THESAURUS

EX

THESAURO

PALATINO

SELECTUS.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/thesaurusexthesa00bege

DELECTANT

APOLL: PAL.

PALLAS

Joann Ulrich Kraus Del: et Sculp:

THESAURUS
EX
THESAURO PALATINO
SELECTUS,
SIVE
GEMMARUM
ET
NUMISMATUM
QVÆ
IN ELECTORALI CIMELIARCHIO
CONTINENTVR
ELEGANTIORUM
ÆRE EXPRESSA, ET CONVENIENTI COMMENTARIO
ILLVSTRATA
DISPOSITIO

AVTHORE
L. BEGERO
SERENISSIMI ELECTORIS PALATINI
ANTIQVARIO ET BIBLIOTHECARIO.

HEIDELBERGÆ,

Typis PHILIPPI DELBORN.
M. DC. LXXXV.

BIBLIOTHECA
OELRICHSIANA

CAROLVS DEI GRATIA COMES PALA:
TINVS RHENI S. R. I. ARCHITHESAVRARIVS
ET ELECTOR DVX BAVARIÆ ETC

Jo: Ulrich Kraus Del: et Sc:

SERENISSIMO PRINCIPI

AC

DOMINO, DOMINO CAROLO

COMITI PALATINO RHENI, S. R. IMP. ARCHITHESAURARIO ET PRINCIPI ELECTORI,

DUCI BAVARIÆ &c. &c.

Domino meo Clementiſsimo.

SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR,

DOMINE CLEMENTISSIME!

Lumina, quas ex Mari hauſerunt, in Mare refundunt aquas: Arbores, quæ ex terra ſuxerunt, folia, flores, fructus, ea in ejusdem & decus propellunt & gloriam: Non deeſt volucribus, non animantibus quibuscunque grati ſensûs ſive fons, ſive impetus; Etiam

)(*Hirun-*

Hirundo Conditoris ſui laudes canit. Hæc imitarer & Ego, ſi Tu, SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, *vel minimæ laudis patiens fores. Serenissimæ Domvi Tvæ Electorali ſubditum Natura me creavit: Creatum* GLORIOSISSIMI TVI PARENTIS *Clementia ſuſcepit: Suſceptum Tua Gratia ſtabilivit & fovit.* ILLIVS *benignitate uberrimam Cimeliarchii Tui Gazam licuit contemplari,* TVA *in conſpectum Orbis eam exponere licet: Nec licet tantùm, imò & Clementiſſimo Juſſu, ut id faciam, adducor. Sic Tuus eſt Gemmarum, Tuus eſt hic Numiſmatum Selectus. Aquas has ex Tuo Oceano hauſi; Inde meritò ad ſcaturiginem eas refunderem. Fructus hos ex Tua terra ſuxi; Ideo jure eos in Tuam propellerem Gloriam. Non deeſt mihi impetus. Eſt & vox, Tuâ,* SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, *benignitate, canora. Turget ingenii fons; at ruentem Tua modeſtia inhibet. Non præconio, ſed utilitati dare jubes & meum Calamum & Tuos Theſauros. Sic Oceanus fluminibus aquas immittit, ſed ut terras humectent: Terra arboribus fructus, ſed ut animantia nutriant. Volucres non tam grati ſensûs aguntur inſtinctu, quàm amabili concentûs dulcedine. Poſſem* SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, *rationibus his reſpondere; ſed malo obedientiæ legibus aſſurgere, quàm Tuæ obſtrepere virtuti. Pareo voluntati: Utilitati ſacrifico; At non poſſum, quocunque devehor, non Tua ſimul deferre munera. Unde Fluminum humor, niſi ex fonte? Unde Arborum folia, flores, fructus,*

ctus, nisi ex Terra? Si fluminibus fontem neges, si arboribus terram, nec animantibus perenne nutrimentum erit, nec telluri vita. Non dubito, SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, *de splendidissimo Gratiæ Tuæ radio. Quo me hactenus dignatus es, dignaberis, confido, etiam in posterum; At fontem ne à flumine separari patiaris, ne terram ab arbore, id verò est, quod debitâ abs Te humilitate peto. Liceat gratiæ Tuæ jubar per orbem spargere! Liceat* AVGVSTVM TVVM NOMEN, REGIOS TVOS VVLTVS *Thesauro Tuo præpositos simul deferre! Sciant Populi, Tuâ ex Benignitate hunc laborum meorum rivulum decurrere! Sic perennis erit: Sic utilitati potero litare: Sic æternam fixero devoti mei animi Tesseram.*

SERENITATIS TUÆ ELECTORALIS

Humillimus Cliens & Servus,

L. BEGER, Electoralis Antiquarius,
& Bibliothecarius.

LECTORI.

Vdicia Hominum ſunt diverſa ; Ad ſuum tamen, quæ proponuntur, quilibet ſolet exigere, laudare ſibi convenientia, à ſe diſcrepantia vituperare. His ita conſtitutis, quis quæſo ſperet, ſe placere poſſe omnibus? quis in omnibus uni? Hæc ſcio,

Et tamen infeſtis committere carbaſa ventis
Suſtineo?

Suſtineo, AMICE LECTOR; Neque enim detrectatio vel obedientiam Servo excutere, vel ſinceram provehendæ utilitatis publicæ debet ſuffocare cupidinem. Obedientiam debeo *SERENISSIMO* Fortunæ meæ *STATORI*, cujus non indultu tantùm, ſed & juſſu, hoc, quicquid laboris eſt, aggreſſus ſum. Aggreſſus id ſum, non ut vanam aucuparer gloriam, ſed ut ditiſsimam Cimeliarchii Electoralis Palatini Gazam publicis uſibus conſecrarem. An hoc me conatu dejiciat metus iniquioris judicii? Minimè verò. Phœbus, ſi fabuloſis uti licet,

licet, ut lucem ſuam impertiatur mundo, non extimeſcit reluctantes tenebras, non

— — adverſi cornua Tauri,
Hæmoniosque arcus, violentiq; ora Leonis,
Sævaque circuitu curvantem brachia longo
Scorpion.

Hercules, ut genus demereretur humanum, etiam Hydris obviam proceſsit, Geryonem invaſit,

Buſirim domuit, ſævoque alimenta Parenti
Antæo eripuit,

Imò ipſas dicitur deſcendiſſe Tartarei Regis in ſpecus.

Ea paſsim obſtrepentium linguarum impudentia eſt, ut ad diſpellenda Invidiæ nubila, ad elidendas Calumniatorum ſagittas, Herculei mihi ſpiritus, Phœbeæ opus eſſent quadrigæ, niſi & Tua Æquitas, AMICE LECTOR, & ipſa cauſæ meæ Iuſtitia viæ me redderent ſecurum. His animus meus innititur. Altera alterius famula eſt. Si hanc demonſtravero, illam non denegabis.

Iuſtitiam cauſæ jacto; ſed ea non in perfectione hujus operis radicatur, ſed in imperfectione: in imperfectione, ſed communi. Etiam Soli ſunt ſuæ maculæ, neque inventus eſt Scriptorum quisquam, cui aliquis non potuerit objici error. Si idem & mihi contingat, aliorum imbecillitate muniar, aliorum fatum fato meo erit ſolatium. Hoc in limine prædíco, ne me communis fortunæ inſcium, fluctuantes undas tentare, aliquis arbitretur. Nolim tamen ob id exiſtimet, nullam eſſe calami mei fiduciam. Quod ſcripſi, non tumultuario

tuario impetu ſcripſi, ſed certo conſilio. Ratio mihi actorum conſtat. Ratio actorum altera cauſæ meæ juſtitia eſt. Vt & hanc prænoſcas, quid in his, & quâ ratione quodlibet actum ſit, plenius exequendum eſt.

Theſaurum ex Theſauro Palatino Selectum profitetur inſcriptio. Cimeliarchium Electorale Palatinum *Gazam* appellat ILLVSTRIS SPANHEMIVS Ego *Theſaurum*. *Theſauri* nomine elegantiorum quorundam Numiſmatum farraginem dignatus eſt Cl. PATINVS, Ego uberiorem, non *Numiſmatum* tantùm, ſed & *Gemmarum* copiam, quæ jam dudum Erudito Orbi in votis fuit, quamque immenſis ſumptibus paravit, & adhuc ſuſtentat Auguſta in Muſarum & Apollinis Artes *PALATINI LEONIS* indulgentia. Ex utrisque ſelegi *Elegantiora* Elegantiora tamen non æſtimavi ex ſola vel Integritate vel Venuſtate; ſed interdum & rationem habui vel Raritatis vel Hiſtoriæ: Imò, & vel præcipuè, Methodi. Methodus calami mei Cynoſura fuit; Cùm vaſtum *THESAURI PALATINI* animo metirer æquor, & omnes ejus divitias, quod conſtitueram, unum in volumen compingere conſultum non videretur, illud tamen agendum putavi, ut & aliqualem proponerem earum ideam, & ſimul futuris meis laboribus præluderem. Vtrumque hoc in opere repereris. Vt Idea daretur, Diviſio in *Gemmas* & *Numiſmata*, qualis in Electorali Cimeliarchio eſt, retinenda fuit. Vt futuris laboribus præluderetur, certo quæcunque fuerunt proponenda ordine. Hinc *Gemmas* duo in Capita diſtinxi: Alterum de *Diis Gentilibus* agit, alterum

alterum de *Hominibus*. Quæ in illo tractantur, pleraque sub Theologiam Gentilem cadunt: Quæ in Hoc, sub Philosophiam Moralem, quæ tamen & ipsa suos Theologiæ cogitur submittere fasces.

NVMISMATA tribus Capitibus absolvuntur. In *primo* contemplor *REGES* quosdam *MACEDONIÆ, ASIÆ, SYRIÆ, ÆGYPTI, CARIÆ, PERGAMI, BITHYNIÆ, PONTI; VIROS ILLVSTRES GRÆCIÆ, TYRANNOSQVE SICILIÆ.* In *secundo* aliquot *COLONIAS MAGNÆ GRÆCIÆ, INSVLARVM, GRÆCIÆ, ASIÆ & AFRICÆ.* In *tertio AVGVSTOS ROMANI IMPERII RECTORES,* quicunque à Iulio Cæsare, vel in Occidente, vel in Oriente præfuerunt, paucis exceptis, quorum Numismata præstò non erant. Hæc summa operis hujus Capita sunt. *Nummos*, quos vocant *Consulares & Exoticos* consultò omisi: Illos quòd Cl. PATINUS in restituto & aucto VRSINO hoc laboris jam mihi præripuerit; Hos quod minor eorum sit voluptas.

Quæ hîc proponuntur, cùm diversas contineant res, ad rerum contentarum genium, diverso etiam modo putavi disponenda. *IMPERATORES* ordinem servant *Chronologicum, COLONIÆ Geographicum, REGES & VIRI ILLVSTRES* ex utroque *mixtum.* In *Gemmarum primo Capite* â *JOVE* Principium sumsit ratio, variisque Gentilium Deorum inspectis vel simulacris, vel actionibus, omnia tandem ad Iovem retulit. In *secundo*, temporis quodamodo servato ordine, *GRÆCORVM EFFIGIES & ACTIONES* præposuit, *ROMANORVM* subjecit, omnia demum ad Deorum metum reduxit. Ad Gemmas uberior est verborum luxuria, ad *Nummos* aliquantò remisior. Id eam ob

causam

cauſam factum, quòd ad *Gemmas* Theologiæ aliquot & Moralis Philoſophiæ volupe fuerit depaſcere flores, ad *Numiſmata* autem Hiſtoriæ filum properantem calamum traxerit. Plus certè commodi, plus utilitatis me daturum exiſtimavi, ſi & Gentilis ſuperſtitionis figmenta ad normam veri exigerem, & amœniora virtutum germina traderem, quàm ſi vel Deorum Genealogias tædioſis ambagibus recenſerem, vel de Lapidum Generibus diſſererem, vel denique Artificii extollerem præſtantiam; Quanquam & in his, nequid deſideretur, abundè videatur proſpectum. *Genera Lapidum*, ad Exemplum GORLÆI, brevi denominatione indicavi: *Deorum Genealogias*, ubi opus fuit, ſuccinctè addidi: *Artificii præſtantiam*, quando res tulit, ſuâ laude evexi. Idem & in *Numiſmatibus* actum. *Genus Metalli* his ex Monogrammatibus agnoſces: *N*. Æ. Æ. Ex *primo* ſcilicet, numiſma eſſe Aureum, ex *ſecundo* Argenteum, ex *tertio* Æneum.

Ænea, utut in Romanis trinâ paſsim magnitudine diſtinguantur, omnia tamen, non minus ac aurea & argentea, majore ſub modulo proponere viſum eſt, exceptis paucis, quæ magnitudine ſuâ præcellunt. Id eâ ratione feci, ut res expreſſæ minore cum faſtidio cognoſcerentur. Nec deſunt Exempla. Idem egerunt & ARSCHOTANVS & Alii. Vt tamen ſcias, quâ quodque Numiſma magnitudine ſit, ternam illam dimenſionem, quæ vulgò innotuit, adjectis ad Ærea numeris indicavi: Ita, ut ex numero 1. agnoſcas *primæ* Magnitudinis Numiſma eſſe: Sub numero 2. *ſecundæ*, ſive *mediæ*: Sub numero 3. *tertiæ* ſive *minimæ*.

In

PRÆFATIO.

In *Argenteis* & *Aureis Romanorum*, non minus ac *Græcis*, numeros hos non adjeci: In *illis*, quòd ejuſdem omnia ſint magnitudinis, paucis exceptis, de quibus tamen in Commentario Lectorem edoceo: In *his*, quòd tanta eorum ſit diverſitas, ut iis non potuerit ſignificari.

Meorum laborum rationes dum expendo, ſenſim ſine ſenſu ad alienos devolvor, *Artificis* dico, qui operam ſuam in Cœli venuſtate mihi præſtitit. Is eſt **JOHANNES VLRICVS KRAVS**, feliciſsimus *celeberrimi Melchioris Küſſelii* æmulus. Qui unum novit, noverit utrumque. Hic à prototypo omnia ſuâ manu delineavit, delineata æri incidit, inciſa examinavit, ut ita nihil ſit, quod de Fide Ejus dubites, nihil quod de Peritia.

Ad *Tuam*, AMICE LECTOR, me jam converto *Æquitatem*. Tibi & acta, & actorum rationes expoſui: Non ut omnia laudes, multò tamen minus, ut nihil. Qui omnia laudat, adulator eſt: Qui nihil, invidus: Neuter æquus. Æquitatem mihi à Te promitto, non rigorem. Rigor minima quæq; carpit; ſed Æquitas & meritorum rationem habet, & de erroribus vel blandè admonet, vel tacendo Convivas imitatur, qui, licet eandem ciborum omnium ſuavitatem non ſentiant, tamen, ſi quibusdam delectentur, contenti ſunt. Pluribus fuit ſcribendum. Quæ uni non placent, forſan placebunt alii: Vt omnibus omnia, neque ſpero, neque intendo: Si ſingulis quædam, voti mei ero compos.

Hæc & meo munimini, AMICE LECTOR, & Tuæ notitiæ. Tu judica, ſed ſincerè! Iudica, ſed rationum mearum memor! Memor & humanæ conditionis!

SECTIO PRIMA

CONTINENS

CIMELIARCHII ELECTORALIS PALATINI

SELECTIORES

GEMMAS.

Caput I.

DE

DIIS GENTILIUM

ULla Gentiles re Christianam magis offendunt sinceritatem, quàm invisо plurium, quos vocabant, Deorum cultu. Exercitus adorârunt, non Cœli tantùm & Terræ, sed Maris etiam & Inferorum: Sidera & Elementa, Lapides & Ligna, Bruta denique animantia, aliaque innumera vel Naturæ opera, vel Superstitionis suæ figmenta. Ut non immeritò mireris, Hominem Divinæ mentis participem & animal sanctius, cui os sublime datum, ut conditionis suæ memor in cætera dominaretur, nullique nisi Creatori suo se secundum ferret, tam enormi dementiâ Regiam deseruisse felicitatem, & pronâ libidine in spurcissimæ servitutis ergastula se dedisse præcipitem. Sed

FACILIS DESCENSUS AVERNI!

Quæ pro Diis habuit cæca Posteritas & coluit, eorum quædam Prudentio-

res ab initio non alio fine Divinitatis umbrâ donârant, quàm ut animos vulgi à ferinis, quibus utebantur, moribus abſtraherent, & ad civilem vitam emollirent.

Nulla res ad coërcendam multitudinem videbatur efficacior, neque cui tam facilè acceſſura Ratio, quàm Divinitatis metus. Hunc cordibus hominum putârunt injiciendum. Conatu laudando, ſi Unum & Verum Deum inculcaſſent, qualis eſt, Inviſibilem, Omnipotentem, omniũ Creatorem & Rectorem, ubique præſentem, ſummumque actionum perverſarum Vindicem.

At dum intemperantius agunt, Deumque, quem ſolâ mente attingere fas eſt, non unâ ſub figurâ corporeis ſenſibus objiciunt, primam aperuerunt errorum ſcaturiginem. Simulacra deinceps adorata ſunt, non Divinitas; Creaturæ, non Creator; Actiones deſcriptæ, non quales Dei ſunt, ſed quales hominum; non honeſtæ tantùm, ſed etiam turpes, furta, libidines, adulteria, quibus vitiorum agmini repagula laxabantur, omnisque Dei metus in malitioſam abiit licentiam. Hæc origo, hic progreſſus, hæc ratio Gentilis Theologiæ dicam, an Idololatriæ?

Quæ licet ita ſe habeant, negari tamen non poteſt, ingenioſam fuiſſe induſtriam; convenientem cuique Deo habitum, inſtrumenta propria, actiones, ſi non ubique dignas, naturalibus tamen, aliisque rebus, ex quibus depromptæ ſunt, reſpondentes affinxit, omniaq; tam decoro involvit amiculo, ut & oculis placuerint, & facilè ab imprudentibus fuerint admiſſa, retentaq; à Prudentioribus, tanquam Politico rerum ſtatui maximè neceſſaria.

Hujus rei veritas latius ex idoneis Authoribus deduci poſſet, niſi jucundiorem ſemitam ſternerent, quæ paſſim cum voluptate contemplamur, artificioſæ Antiquitatis monumenta. Quædam eorum præſenti Capite propono, de aliis acturus ſparſim, ubi dabitur occaſio. Principium ſibi vindicat

IUPPITER REX.

Adhat Incis.

IOvem evincit Authoritas Tristani, Regem Diadema. Diadema Regium inſigne eſt. Tristanus eundem profert & habitu & ornatu Cæſaris capiti oppoſitum (a). Jovem cognomento Regem in Lebadia Boeotiæ cul-

(a) Tom. III. Comm. hiſt. p. 336.

cultum ex PLUTARCHO (*b*) discimus. Templi meminit & PAUSANIAS (*c*). Juppiter fuit Rex; si historiam consulas, terrestris; Si Theologiam gentilem, cœlestis. Historia Regem vel Orientis vel Cretæ facit, Theologia Universi Mundi. Rex universi mundi alius non est, quàm unus & æternus Deus. Gentiles idem & Terrestri & Cœlesti nomen dederunt. Idem nomen confusionem Personarum peperit. Confusio Personarum omnis Idololatriæ fons fuit. Homini tributa sunt, quæ Dei erant; & Deo, quæ Hominis. Hinc humana Jovis Effigies, hinc Diadema, hinc perversa regiminis ratio. De Effigie videatur Gemma hujus Capitis tertia; de Diademate Numisma Naxiorum infra adferendum

II.

IOVIS REGIMEN.

IOvis Regimen, si Gentilium opinionem intuearis, perversum est; si veritatem rei, prudentissimum. Utrumq; in præsenti Gemma contemplamur. Illud in externis Deorum larvis, hoc in re per larvas Deorũ adumbratâ. Juppiter medio in Zodiaco, sublimi Nubium fornici insidet, dextram Hastâ nititur, siniſtrâ Fulminis ignes tenet, ante eum Aquila retrospicit, à dextra cernitur Mars, à siniſtra Mercurius & Cupido, infra nubes Neptunus Oceano innatat, omnes gestaminibus suis sunt insignes, Neptunus Tridentem tenet, Cupido Facem, Mercurius Caduceum, Mars Hastam & Clypeum.

Jovem universi Mundi Regem diximus. Universi mundi symbolum est Zodiacus. Elevatus Nubium fornix, quem Olympum vocabant, credebatur Regia, in eaque residens Juppiter universum administrare mundum; non immediatè, sed mediante aliorũ Deorum operâ; habere Consiliarios, habere Præfectos. Consiliarii duodecim erant. Deos Consentes vocabant, putabantque per Menses & Zodiaci signa distributos. Audi Manilium (*d*)

(*b*) in princ. amator. narrat. (*c*) in Bœoticis. (*d*) Astronomic. 2.

Lanigerum PALLAS, Taurum CYTHERÆA tuetur.
Formoſos PHOEBUS Geminos, CYLLENIUS Cancrum.
JUPPITER & cum MATRE DEUM regit ipſe Leonem.
Spiciferæ eſt Virgo CERERIS, fabricataq; Libra
VULCANO, pugnax MAVORTI Scorpius hæret.
Venantem DIANA Virum, ſed partis Equinæ
Atq; anguſta fovet Capricorni ſidera VESTA.
Et JOVIS adverſum JUNONIS Aquarius aſtrum eſt,
Agnoſcitq; ſuos NEPTUNUS in æquore Piſces.

Hæc in Zodiaco Univerſi typo; Si Machinam Univerſi luſtres, plurimi erunt vel naturalibus præpoſiti, vel humanis etiam actionibus. In naturalibus Apollo ſolem credebatur regere, Diana Lunam; Æolus præeſſe Ventis, Vulcanus Igni; Fruges curare Ceres, Bacchus Vina. In humanis actionibus Mars Bella volvebat, Venus curabat Amores. Ut alia taceamus innumera, quorum vel nomina audire nimis foret & longum & tædioſum.

Tot officia tot provincias Jovem univerſi Regem aliis ceſſiſſe, Gentilibus creditum eſt. Nec id mirum. Cum Deum cum homine confudiſſent, quidni confunderent & Regna? Uti Effigiem, ita etiam Regnum ad terreſtris cujusdam compoſuére genium. Conſiliarii Dei & Præfecti alii non ſunt, quàm Dei attributa, Sapientia, Potentia, &c. Attributa Dei nihil aliud ſunt, quâm ipſe Deus, qui omnia absque aliorum Deorum operâ & conſervat & gubernat. Gentiles effectum videbant, videbant & cauſam, ſed oculis immani præjudicio offuſcatis. Non poterant negare vim rerum naturalium & conſervatricem & directricem eſſe aliquid divini; Sed omnia ab immediatâ unius Dei providentiâ procedere, hoc erat id, quod comprehendere non poterant. Diverſos igitur finxerunt. Sic attributa Dei à Deo diſtincta, ſic in ſe diviſa, ſic peculiaribus officiis præpoſita, humanis formis incluſa, humanis actionibus deformata. Inde Gentilium Dii, inde immenſus deviarum opinionum Labyrinthus.

Hoc ut nos expediamus, filo regredimur Ariadnæo. Actiones humanas ſeparamus, formas dejicimus, fixis potentias divinas officiis laxamus, conjungimusque & inter ſe, & cum Deo. Sic omnis Deorum Gentilium cohors in unum Deum recidit. Ipſi Gentiles filum ſuppeditant. Omnes Deos uni Jovi ſubjecerunt. Id procul dubio neceſſe erat ob rationem univerſalis harmoniæ; At eo ipſo prodiderunt, non plures, ſed unum eſſe Deũ univerſi Creatorem, Conſervatorem & Rectorem; Reliquos dum uni ſubjiciunt, neceſſe eſt, ut aut Deos negent, aut Dei attributa fateantur, à Deo ipſo ne hilum diſtantia.

Simul-

Simulacra nihil niſi cortex ſunt, quibus res ipſa occultatur. Evolvamus. Mars bellorum præſes quid niſi roboris ſymbolum ſit? Mercurius Jovis & Deorum Interpres quid niſi conſilii? Cupido quid niſi amoris? Hæc cum ita ſint, cum ut jam dictum, ſub Jove ipſo Deus lateat, tutò dicimus: Deum Conſilio, Robore & Amore univerſæ Mundi machinæ præſidentem hic nobis præfigurari.

Quid Neptunus? Is quòd non maris tantùm dominator, ſed terrarum etiam motor putabatur (*e*), procul dubio potentiam Dei ſignificabit in mari & terra efficacem. Nec tantùm ſignificat, imò etiam dextrâ Cœlum verſus erectâ originis Authorem demonſtrat, monetque: Gratias pro Regni felicitate non Creaturis dandas, ſed Deo; Non Regnũ cœleſte ad terreſtria, ſed terreſtria ad cœleſte componenda, principesque vel rationes vel virtutes eſſe debere, uti Dei, ita etiam Regum terreſtrium, non ROBUR tantùm, ſed CONSILIUM etiam & AMOREM.

III.

IOVIS OLYMPICI EFFIGIES.

CUm Iovem Deum Regi terreſtri ſimilem crediderint Gentiles, jam conſtat, cur humanâ eum facie depinxerint. Unde autem ea, quæ humanæ faciei afficta cernimus, ornamenta deſumpſerint, altioris indaginis res eſt. Tremendi quid Supercilia ſpirant, Barba quid venerandi, Capilli quid dulcedinis, Corona oleagina quid pacifici. Barbatum Jovem ab antiquis ſtatuariis fictum, Lucianus (*f*) author eſt; Oleaginam coronam Olympicum geſtaſſe, Pausanias (*g*); Superciliis fuiſſe gravem, Poëtæ. Imaginem, ſi Macrobio (*h*) fides, delineavit Phidias. Ectypon ex Ho-

(*e*) Heſiod. in Theogon. adde A Gellium Noct. Attic. l. 2. c. 28. (*f*) In lib. de ſacrificiis it. in Dial. Deorum. (*g*) Eliac. prior. (*h*) l. 5. Saturnal.

MERO desumpsit. HOMERI hæc sunt: (*i*)

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο. μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

Dixit, & nigris superciliis annuit Saturnides.
Ambrosiæ autem Comæ defluxerunt Regis
Ex capite immortali: ac magnum concussit Olympum.

Hanc Jovis descriptionem HOMERUS non ab Universi Rectore desumpsit, sed ex contemplatione Aëris. Medii scilicet,

in quo consistere nubes
Scimus, & humanas motura tonitrua mentes.

Cum Jovem, ut dictum, Universi Rectorem faterentur, hunc autem non nisi ex Regimine cognitum haberent, mirum non est, quòd rebus Physicis nomen ejus imposuerint. Pro Cœlo sumi, dubium non habet ullum. Pro Aëre, vel ex hoc HORATII constat:

Quod latus mundi nebulæ malusq;
Juppiter urget.

Pro media Aëris regione, evincunt collatæ cum Jove Juno & Minerva, quas & ipsas Aëris præsides novimus. Illam quidem proximi Terræ, hanc proximi Cœlo. Illam medio inferiorem, unde Jovis & Soror dicta est & Conjunx; Hanc superiorem, unde Jovis ex vertice nata. Adde Numismata Antonini Pii, in quibus Juppiter medius, à dextris Minerva, à sinistris autem Juno, vel sedent, vel stant, vel sacratis animalibus præfigurantur; Ut vel ex ordine Deorum Aëris Præsidum, Jovem pro medio positum agnoscas.

Hunc medium Aërem in descriptione Homericâ versari, vel ex Comis eluceſcit & Superciliis. Jovem superciliis Olympum concutere commune Poëtarum assertum est. Olympum sive montem intelligas, sive cœlum, neuter absque vehementi tempestatum impulsu videbitur moveri. Tempestates ex nubibus ventorum vi collisis oriri, vulgaris opinio adstruit. Nubes nigras oculorum acies judicat. Nigra HOMERUS supercilia Jovis fecit. Idem igitur & nubium, & superciliorum, & color est & effectus. Idem color, idem effectus alterum sub altero intelligi debere demonstrant.

Haud dissimilis ratio in Comis. Dicuntur defluxisse. Defluunt pluviæ. Pluviæ, licet ex horrendo tempestatum turbine defluant, terris tamen ardore nimio exustis omni Nectare & Ambrosiâ dulciores sunt.

Hæc si Comarum ratio, quid ni & Barbæ? Vejovem imberbem videmus. Credebatur is Deus noxius. Apollinem sub eo intelligi Gellius (*k*) author est. Apollinem Solis Præsidem novimus, imò ipsum Solem.

Sol

(*i*) Iliad. α ℣. 528. (*k*) Noct. Attic. l. 5. c. 12.

Sol, niſi concurrat humido, quid nimio Calore? nonne nocebit? Hinc Apollini Sagittæ, hinc & Vejovi. Hinc Jovi imberbi apud Heliopolitas non fulmen tantùm, ſed & flagrum. Secus Juppiter barbatus, qui Juvans Pater & vaſtatricem vim temperat, & defluente Capillorum Ambroſiâ deficientes rerum ſubjectarum Spiritus, etiam ipſis in tempeſtatibus, recreat.

Hæc cum ita ſint, jam patet & fundamentum Coronæ Oleaginæ. Non tam quòd ad Alphei ripas frequentior fuerit, Victoribusque Olympiorum dabatur, nec ob perpetuum virorem, nec ob pinguedinem vel utilitatem, nec denique ob coloris glauci genium, qui cœleſtem imitetur, Olympico Jovi additam credimus. Alia cauſa ſubeſſe videtur. Si ſub imagine medius Aër lateat, ſi Superciliis Nubes, Comis Pluviæ adumbrentur, quæ vel irato Cœlo Terræ felicitatem ſpondeant; quid olea? nonne, ut plerumque, ita & hîc Pacis erit indicium? Pacis inquam, ſed Pacis cœleſtis, quæ, tanquam ex divina conſtitutione Iridis arcus, pluvias coërceat, ut Olea Jovis comas.

I V.

IUPPITER FULGURATOR.

EJusdem genii, cum præcedente, etiam præſens eſt. Juppiter fulmen iratâ excuſſurus dextrâ, Aquilam prætendit. Eodem habitu, quo & in Carcinienſium Numismatibus viſitur.

Fulminis generatio & Fabulis involuta jacet, & à Phyſicis docetur. Fabulæ à Vulcano & Cyclopibus id tradunt effingi; Phyſici ex Calore à nubibus ventorum impulſu vehementiùs colliſis, conglobato docent generari. Sub Vulcano Ignem intelligi Caloris principium, dubium non eſt. Quid ſub Cyclopibus? procul dubio vel Venti vel Nubes. Alterutrum ratio ſimilitudinis ſuadet. Si Ventos, tunc Nubes malleos haud ineptè dixeris: Si Nubes, ſimul ratio patebit, cur Jovi potiſſimùm tribuatur fulmen.

fulmen. Nubes in medio Aëre ſubſiſtunt, cum igitur Nubium impulſu fulmen generetur, ex eodem etiam elidi patet, & ad Terras deferri, adeoque, quando Juppiter id emittere fingitur, naturali ratione Aër medius ſub Jove intelligi debet, id quod ab antiquis fieri, ſupra diximus. Imperitis fulmen non in medio Aëre generari, ſed Cœlo decidere hodiénum perſuaſum eſt; eodem modò, quo Horatius Jovem affatus,

Tu gravi curru quaties Olympum,

dixit, cum reverà nihil intelligeret aliud, quàm concuſſas nubes, quibus tonitru excitatur, fulmenque emittitur. Unde & ſubjungit:

Tu parùm caſtis Inimica mittes
fulmina lucis.

Quicquid ſit, utrinque tamen radiant primævæ rationis ſcintillæ. Summo Univerſi Rectori non Aërea tantùm paret regio, ſed Terra etiam & Cœlorum culmen. Quidni, ut omnia, ita & fulmen hujus ex robore dependeat? Chriſtianum id dogma eſt, ſed quod nec Gentilibus obſcurum fuit, qui, quanquam & aliis quibusdam id tribuerent, Jovi tamen, quem univerſi Rectorem ſtatuebant, potiſſimum ejus Arbitrium dederunt. Hæc de fulmine, cujus diverſa genera qui noſſe cupit, videat quæ Seneca perſtringit in Natural. 2. Nobis de Aquilâ dicendum.

Hujus conſecrationem quâ in cauſâ collocabis, ſi non in naturali? Jovem Aërem conſtat. Aquilam omnium volucrium maximè Aëream eſſe, experientiâ teſte jamdudum innotuit. Inde Poëtis *altivolans* & *nubivaga* dicitur. Inde *alitum Regina* & *Jovis ſatelles.* Plinius *(l) Jovis armigeram,* ait, *fingi, quòd ſola omnium Avium fulmine non tangatur.* Etiam hunc naturalis ratio movit. Lactantio hiſtorica placuit.

Si ad moralia deflectas, &, quod fieri poſſe ad Gemmam ſequentem dicetur, ſub Jove Regem, ſub Aquilâ Regis Miniſtros intelligas, nec ſic forſitan abſurda contemplatio erit. Juppiter fulmine vel nubila rumpit vel improbos terret; Rex Viribus Imperii ſui ſurgentes hoſtium Globos disjicit, Vitiorum agmina coërcet. Neuter cœco impetu. Ille Aquilam prætendit, volucrem oculatiſſimam; hic prudenti conſiliariorum ſuorum perſpicacitate rem exquirit, antequam vim ſtringat.

(*l*) Plin. l. 2. c. 57.

V.

IUPPITER OLYMPICUS.

Iuppiter haſtâ nititur; Pateram prætendit; Ad pedes adſtat & retroſpicit Aquila; Adſcriptæ ſunt literæ I.O. Literæ Jovem Olympicum apertè deſignant. Sic dictum volunt, vel ab ejus Magiſtro, vel à Monte Olympo, vel aliunde.

Pateram prætendit; An ſacrificaturus? Is cui tota Gentilium Natio thuricremas accendit aras? Talem non noſtra tantùm Gemma exhibet, ſed prorſus aræ thura ſuperfundentem Numiſma Veſpaſiani argenteum. Sacrificaſſe igitur Jovem palâm eſt; Neque enim divinitatis Symbolum credas id, quod venerationis eſt Inſtrumentum. Cui autem ſacrificaverit, niſi Cœlo Avo ſuo? Factum id eſſe in Inſula Naxo, cum adverſus Titanas proficiſceretur, LACTANTIUS tradit (*m*). Adverſus Rebelles profectus eſt cum exercitu; Ergò non Deus fuit hic Juppiter, ſed exercitus Dux, ſed Rex. Reges Antiquitùs Joves dictos, TZETZES teſtatur (*n*). Inde plurima, quæ Reges geſſerunt, Jovi Deorum ſummo afficta ſunt, quæ ſi hiſtoricè intelligantur, non tantùm non conveniunt Deo, ſed omnem divinitatem evertunt. Secus tamen in propoſita Gemma.

Sacrificat Cœlo; Etiam Reges Cœlo obnoxii ſunt, & depoſito Majeſtatis fulmine, cum Paterâ vel venerationis, vel gratitudinis Deum accedere neceſſe habent.

Haſtâ nititur; Haſta divinitatis Symbolum creditur, quòd, atteſtante JUSTINO (*o*), & ipſa olim divinis honoribus fuerit culta. Divinitatis fundamentum eſt Innocentia. Innocentia inane nomen eſt, niſi variis Virtutum ornamentis fulgeat; ſicuti & Jovis Sceptrum, quod omnium Metallorum varietate diſtinctum fuiſſe, ex PAUSANIA (*p*) accepimus.

Agnoſcite devotum Piorum genium, non Regum tantùm & Principum; ſed omnium, quicunque Deo ſuo perlitare cupiunt! Agnoſcite rationem, quâ voti ſui ſe compotes reddere ſoleant! Innocentiæ ſtudent, non mutæ, ſed charitatis operibus efficaci; Student virtuti, non uni, ſed omnibus; Non mundanis cupiditatibus inquinati, ſed innocentiâ ſuâ con-

 fiſi

(*m*) l. 1. c. 11. de falſ. relig. (*n*) chil. 1. hiſtor. 9. add. quæ diximus ad Gemm. 1.
(*o*) l. 43. c. 3. (*p*) El. priore.

fiſi aras accedunt,

Sic *puras tollunt ad ſidera palmas!*
Sic *grata almis infundunt munera flammis!*

Hoc officium eſt Hominum erga Deum. Contemplemur & miniſtrorum in Reges ſuos.

Aquila Jovem reſpicit; Aquilam Jovi, cum in Naxo ſacrificaret, in Victoriæ auſpicium advolaſſe LACTANTIUS *(q)* Author eſt, ideoque tutelæ ejus ſubjugatam & in ſignis bellicis prælatam auream. Sic Jovis facta ſatelles, eique etiam, ſi Fabulæ fides, fulmen commiſſum eſt. Sub Jove hoc loco Regem intelligi, jam demonſtravi; ſub Aquilâ igitur commodè intelliguntur Regum Miniſtri; præſertim ii, quorum diligentiæ & fidei fulmen, id eſt, Imperii vires concredi ſolent. Hi Dominorum ſuorum reſpiciunt voluntatem, ut Aquila Jovis; Aquilæ ſunt, qui ſole delectantur, immundamque Vitiorum colluviem ulciſcuntur.

Memoriâ digniſſimum eſt, quod ÆLIANUS (*r*) refert: Eſſe Aquilarum genus, quod Jovis dicatur; Id carnes non attingere, Nullâ rapacitate infame eſſe, Sed herbis contentum vivere. En egregium Miniſtrorum Regiorum typum! Contenti vivunt deſtinatâ ſibi à Dominis ſuis portione; Aliena non attingunt; Vires Imperii adminiſtrant, ut repoſcenti incorruptas reſtituere poſſint. Talibus confiſi Principes, orituras periculorum nubes prævident; Prævisas diſpellunt; Malorum Machinas rumpunt; Vitiorum agmina coërcent; Probis ſecuritatem creant; Improbos terrent, ſublimique meritorum remigio famam ſuam æternitati inferunt. Tantùm pulcherrimus trium Gratiarum, Fidei, Prudentiæ & Pietatis in Regio Miniſtro nexus! tantum Cœlo dedita Principis dominatio!

VI.

IUPPITER AQUILA ET GANYMEDES.

PLura ſunt & Bona & Mala, quæ vel ex Naturalibus deſumta, vel ab Actionibus hominum, Jovi Deorum ſummo affinxerunt Gentiles. Bonorum

(*q*) l. 1. c. 11. de falſ. relig. (*r*) de animalium natur. lib. 9. c. 10.

rum exemplum in præcedentibus vidimus; Malorum haud minimum eſt indomita libido, quam ut expleret, varias vel animalium dicitur aſſumſiſſe figuras. Europam Taurus avexit; Danaën Imber aureus implevit; Ledam Cygnus compreſſit; Junonem Cuculus; Et quid non Juppiter? In propoſitâ Gemmâ Ganymedi Trois Dardanorum Regis filio, Venatori pulcherrimo, inſidioſo geſtu adulatur.

Inventum eſt aliquid, quod Juppiter eſſe,
Quàm quod erat, mallet; nullâ tamen alite verti
Dignatur, quàm quæ poſſet ſua fulmina ferre.

Lucianus (*s*) Author eſt, Jovem cum pulchris congreſſurum eam formã aſſumſiſſe, quâ ſe maximè amabilem fore ſperaverit. Sic Europæ robur tauri ruentis in Venerem placuiſſe; ſic Danaën divitias adamâſſe, facilè adducor ut credam; neque negavero, ſiquidem Hiſtoricam fabulæ baſin ponas, eandem rationem etiam in Ganymede locum mereri. Aquilæ adulanti ipſe reſpondet, blanditiis delectatur, ſed quibus? procul dubio Regiæ felicitatis, cujus Aquila Symbolum eſt.

Simplicius commentum, veritati tamen forſitan proximum eſt Eorum, qui à Minoe Cretæ Rege Ganymeden raptum ajunt (*t*). Hi Aquilam claſſis inſigne fecerunt. Eo fortè nixi fundamento Alii, non Jovem Aquilam, ſed Aquilæ miniſterio raptum perpetraſſe ſunt hariolati. Utrique rem ad obſcœna detorſerunt.

Sunt tamen, qui non honeſtum tantùm, ſed divinum planè fabulæ ſenſum ex Ganymedis nomine finxerunt. (*v*) Dicitur ἀπὸ τῆς γάνυσθαι καὶ μήδεως, *quod lætetur conſilio.* Conſilium prudentiæ effectus eſt, Prudentia mentis habitus. Mens prudentiâ prædita pulchritudine reliquas antecellit. Pulchritudinem Homerus raptûs cauſam poſuit. Haud abſurda videtur interpretatio; Noſtræ Gemmæ ex amuſſi reſpondet. Cernis pulcherrimum juvenem, Venatorem agnoſcis ex Cane Venabulis & Lepuſculo, quem Aquilæ obvertit, quaſi prædam offerret Jovi. Hâc Juppiter comitate motus dicitur raptum perpetrâſſe.

(*s*) in Charidemo. (*t*) Athenæus Deip. p. 601. (*v*) Xenoph. in Sympoſ. circ. fin.

VII.

MARS VICTOR.

IOvem ſequitur Mars, Jovis, ut ipſe apud Homerum (*x*) fatetur, ex Junone filius; alii ex ſolâ Junone natum aſſerunt, impletâ florum vel contactu, vel olfactu.

Duplex originis opinio, ex duplici bellorum genere videtur orta. Mars Geminâ ſignificatione cenſetur; vel propriâ vel impropriâ. Propria Martis ſignificatio eſt, quâ pro Numine bellorum Directore ſumitur; impropria, quâ pro ipſo Bello uſurpatur. Bellum, ut diximus, duplex eſt; vel externum, vel internum ſive civile. Civile plerumque ex internâ Rerum publicarum felicitate oritur; Inde plebis laſcivia, Potentiorum ambitio; ex utraque factiones, ex factionibus bella. Regnorum & Divitiarum ſymbolum Juno eſt; laſcivientis Felicitatis hieroglyphicum Flores. Juno florum & contactu, & olfactu gravida, cujus, niſi Reipublicæ præ nimiâ felicitate laſcivientis? Ea Martem parit, id eſt bellum, civile ſcilicet, quale geſſerunt Marius & Sulla, Pompejus & Cæſar, Antonius & Auguſtus.

Si ad Jovem reſpicias, externorum bellorum origo patebit. Juppiter & ipſe Regiæ potentiæ typus eſt, non minus ac Juno. Si Rex alterius regni cupiditate capiatur, ipſoque facto eam explere ſatagat, quid naſcitur? procul dubio bellum. Maxima bellorum cauſa eſt Imperiorum Cupido; & quamvis alias plerumque cauſas prætendere ſoleant bella geſturi, probè tamen diſtinguendum inter cauſam & prætextum, jam olim monuit Polybius (*y*).

Hæc impropria Martis contemplatio; Propria & ipſa Jovem Patrem agnoſcit. Videbant Gentiles non humanis viribus bella vel geri, vel confici; videbant divini quid eſſe, unde præliorum fata dependerent; attamen, quòd ea in Terris gererentur, Jovem autem univerſi Rectorem in ſumma Cœli

(*x*) Iliad. *ε*. circa fin. (*y*) lib. 1.

Cœli regione poſuiſſent, affirmaſſentque aliorum miniſterio Eum hæc inferiora gubernare, non auſi ſunt in bellis immediatam Ejus potentiam aſſerere. Ad mediatam ergò delapſi ſunt. Eam, quòd non in creaturis, ſed in ſolo Deo invenirent, Jovis filium dixerunt; humanâ tamen figurâ delineârunt, formam ex officii contemplatione deſumſerunt. Nuditas corporis apricos Potentiæ Martialis effectus indicat; Caſſis tutelam, quam præſtat iis, quibus favet; Haſta vulnera, quæ infert iis, contra quos depugnat. Sic eadem vertigo, quæ Jovis plaſtas, illa & Martis egit.

Martem credebant bellorum præſidem. Bellorum præſes, ſiquidem divina requiras, non eſt alius, quàm Potentia Dei in volvendis bellorum motibus exerta; Potentia Dei à Deo reapſe non differt; Deum igitur humanæ formæ incluſerunt. Is primus circa exertam in bellis Dei Potentiam idololatriæ gradus. Sequebatur mox alter; humanis actionibus eum deformarunt, Viros fortes Martis nomine dignati ſunt, eorumque non Virtutes tantùm, ſed & vitia ei affinxerunt; eadem ratione, quâ & Jovi. Vitia ex Adulterio patent in Venerem commiſſo; Virtutes in propoſita Gemmâ continentur.

Mars Tropæum geſtans, Aræ appropinquat; A tergo Clypeus cernitur. Tropæum Martem Victorem indicat; Ara venerationis inſtrumentum eſt. Quem venerabitur Mars ipſe Deus? an Jovem Patrem? Id credidit cœca Gentilitas. Nos quibus, deterſis ſtultiſſimæ ſuperſtitionis nubibus, ſanior ſenſus, ſub Marte hoc Hominem, ſed Hominem Victorem, ejusque laudatiſſimam & Prudentiam agnoſcimus & Pietatem. Tropæum refert, ſed Clypeum à tergo relinquit. Tropæum non in profanas ædes fert, ſed ad Aram. Clypeus Securitatis inſtrumentum eſt; Ara, ut dictum, Pietatis. Prudens Victor non ad Tropæa convertitur, niſi omnibus à tergo probè munitis. Pius non ſuis Viribus, ſed Deo Victoriam refert acceptam. Multi dum Hoſtem devictum contemnunt, etiam fracto rei gerendæ occaſionem dederunt. Multi dum Deo ſunt ingrati, ſubitò amiſſâ Victoriæ gloriâ in captivitatem ſunt abſtracti. Deus eſt verus bellorum arbiter. Dei nutu quæcunq; præliorum momenta vel ſurgunt, vel concidunt. Juppiter apud Homerum (z) fata exercituum Græcorum & Trojanorum bilance ponderans, clariſſimum, in tenebris vel Cimmeriis, ſpargit veritatis hujus radium.

(z) Iliad. 8. v. 70.

VIII.

MARTIS ORACULUM.



MArtem cum ſpoliis cernere, inſolitum non eſt; Fortitudo propria ejus habetur Virtus. At cultum meruiſſe ob vaticinia quis credat? Apollinis id officium communiter putabatur; imò & Jovis, & Themidis. Apollo Delphis reſpondebat, plurimisque aliis in locis; Juppiter in Lybia & Epiro; de Marte nihil hactenus in vulgus emanavit. Fuit tamen & hujus Oraculum; Non in Græcia, ſed in Italia; Non apud Romanos, ſed ante Romanorum in Italiam adventum; Non in tota Italia, ſed in unica Gente, in unica Urbe. Gens dicebatur Aborigines. Eum habitabant Italiæ tractum, qui inter Lirim interjicitur & Tiberim. Urbes præcipuæ erant Reate, Trebole, Vesbola, Suna, Mephyla, Orvinium, Corſula, Maruvium, Vatia, & Tiora, quæ Matiena dicebatur. In Urbe Suna erat pervetuſtum Martis Templum, in Tiora Oraculum. Oraculum in propoſitis Gemmis agnoſcimus. Audi DIONYSIUM (*a*), & fidem habebis: Ἀπὸ δὲ Ῥεάτης τὴν ἐπὶ Λατίνην ὁδὸν ἴοῦσιν, ἡ βατία μὲν ἀπὸ τριάκοντα σταδίων, Τιώρα δὲ ἀπὸ τριακοσίων ἡ καλουμένη Ματιήνη. ἐν ταύτῃ δὲ λέγεται χρηστήριον Ἄρεως γενέσθαι πάνυ ἀρχαῖον. ὁ δὲ τρόπος αὐτοῦ παραπλήσιος ἦν, ὡς φασὶ, τῷ παρὰ Δωδωναίοις μυθολογουμένῳ πολὺ γενέσθαι. Πλὴν ὅσον ἐκεῖ μὲν δρυὸς ἱερᾶς καθεζομένη φήσειρὰ θεσπιῳδεῖν ἐλέγετο. παρὰ δὲ τοῖς Ἀβοριγίσι θεόπεμπτος ὄρνις, ὃν αὐτοὶ μὲν πῖκον, Ἕλληνες δὲ δρυοκολάπτην καλοῦσιν, ὅπη κίονος ξυλίνης φαινόμενος τὸ αὐτὸ ἔδρα. Hoc eſt, vertente Sylburgio: *A Reate verſus Latinam Viam euntibus occurrit ad trigeſimum ſtadium Vatia; ad quadrageſimum Tiora, quæ dicitur Matiena. In hâc ajunt fuiſſe* ORACULUM MARTIS ANTIQUISSIMUM, *non abſimile illi Dodonæo, celebrato in fabulis; niſi quòd illic in ſacrâ quercu ſedentem Columbam dicunt vaticinari ſolitam; apud Aborigines* AVIS DIVINITUS MISSA, *quem ipſi Picum, Græci* δρυοκολάπτην *nominant, idem faciebat* IN COLUMNA LIGNEA.

Quid clarius ad Gemmas noſtras dici poteſt? adeſt Columna; Inſidet Picus; Adſtant qui reſponſum expectant; Nec adſtant tantùm, imò & ſacris operantur. Milites ex habitu agnoſcis. Credibile eſt, non de omnibus

(*a*) Antiquit. Rom. l. 1. p. 12.

MERCVRO
TIMONIA
VITTVO

bus cauſis Martem reſpondiſſe, ſed de bellicis tantùm; Ne videlicet poteſtatis ſuæ limites transgrederetur, aut in alienam meſſem ſuam videretur immittere falcem. Quid de Oraculis judicandum? commodiore loco, ſi dabitur, exponemus latiùs. Hîc paucis dicendum, Sapientiores Gentilium, ſub plerisque ſuis Diis, aliquid verè divini intellexiſſe; ſed immundos Spiritus, ut tenebroſæ mentium caligini illuderent, Divinitatis locum occupaſſe, variisque reſponſis ad Veri Dei imitationem, etiam ſibi paraſſe, & Cultum, & Authoritatem.

IX.

MERCURII STATUA.

MArtem excipit alius Jovis filius, idem & Miniſter Deorum, Mercurius. Statua eſt Lapidea, indubitatæ Antiquitatis, Raritatis non contemnendæ. Eam in Aulâ Electorali Palatinâ erectam cernere licet, tres pedes, cum baſi, altam. In nomine ſcribitur MERCURO pro MERCURIO. Quis ſit ille, qui Statuam ſe Mercurio poſuiſſe profitetur, nondum patet.

Mercurius plerarumque artium Deus credebatur; Artes humanæ mentis debentur indagini; Mentis igitur operationes curare & promovere credebatur Mercurius. AMMIANUS MARCELLINUS (*b*) *Mercurium*, inquit, *velociorem Mundi ſenſum, motum mentium ſuſcitantem, Theologicæ prodidêre ſcientiæ*; Quis eſt ille velocior Mundi Senſus? Quis ſuscitat motum mentium? Nonne is, qui Mundum? Nonne is, qui mentes creavit? Verus inquam Deus eſt, in quo & Nos, quanti quanti ſumus, & vivimus & movemur. Potentiam Dei in Bellis efficacem ſub Marte Prudentiores Gentilium intellexiſſe demonſtravi ſupra; ſub Mercurio, quidni eam intellexerint, quæ Humanas mentes ad Actiones & Scientias idoneas efficit? Eadem hîc ratio, ſed & eadem contaminatio; Illius vidimus, Videamus & hujus.

Effectus mentis Artes eſſe diximus. Artes & vigilantiâ & agilitate & acquiruntur, & exercentur; Vigilantiæ Symbolum Gallus eſt, Agilitatis hieroglyphicum Pennæ. Artibus lucrum intendimus; Lucri repoſitorium Crumena eſt. Hinc Mercurio gallus, hinc Pennæ, hinc Marſupium.

Poteris etiam ad ſpecies abire. Non in genere tantùm artibus præſidere Mercurius; ſed in ſpecie etiam Mercatorum, Eloquentiæ, Palæſtritarum, &

(*b*) in Juliano.

& Paſtorum Deus crédebatur; Ad omnes has probè colendas, mentis acies requiritur; Ob Paſtoritiam Arietem ei dicatũ, Pausanias ait. In lapide hircus eſt; & hunc in Mercurii tutelâ fuiſſe noveris: adde fabulam, quâ ſub hirci figurâ Penelopen compreſſiſſe fingitur; Eâdem forte ratione, quâ ſupra Juppiter variâ ſub figura Varias; Nifi, quòd ex eo concubitu Pan Paſtorum Deus fuerit natus, & hîc in Præfectura Paſtoritiæ rationem ponas. Ad Mercaturam pertinet Crumena; Ad Eloquentiam Caduceus. Caduceus Serpentes, vel dividit, vel conjungit; Eloquentia diſcordes dividit, quando prohibet, ut alter alteri nocere poſſit; Conjungit, quando concordiæ nexu eorum lites componit. Eleganter Virgilius: (c)

In populo cum ſæpè coorta eſt
Seditio, ſævitq; animis ignobile vulgus;
Tum pietate gravem & meritis, ſi fortè Virum quem
Conſpexere, ſilent arrectisq; auribus adſtant;
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Fabula, Mercurium ab Apolline Caduceum accepiſſe, docet. Apollo Eruditionis Præſes eſt; Ab eruditione Vires ſuas mutuatur Eloquentia. En figmenti rationem! Mercurius juvenis eſt; Juvenis per omnem ætatem ſolet eſſe humana mens; Nullâ ſenectute frangi, ſed Viribus & pulchritudine creſcere. Mercurius nudus eſt; Non obſcurâ verborum caligine, nec tenebroſis involucris includantur mentis operationes, ſed nativâ ſermonis pulchritudine fulgeant, ſi caſta intendatur oratio! Hanc nuditatis cauſam crediderim; Neque enim à divinitate eam accerſere licebit, cùm ea pauciſſimis, & ne his quidem nuda apparuerit.

X.

MERCURIUS GERMANORUM.

ALia in Electorali Cimeliarchio Statua eſt, Antiquitatis & Raritatis veneranda, ærea. Alamannum exhibere, Deum Germanorum à Maximiliano

(c) 1. Æneid. v. 153.

miliano Imperatore in pago ALMA propè Conſtantiam, Anno 1507. inventum, ſequens veteris membranæ, quæ juxta aſſervatur, inſcriptio, ſi opinio vera, teſtatum facit:

Allman abtgott bin ich/
Die Teuſchzen iren nam hambt durch mich
Von groſſen ſtreitten der walhen dich verſich
Alamanna Theuſchzlant nent ſich
Bei Coſtnitz im dorff alma lag ich
Durch künig Maximilion ſchikkt es ſich
Im XVc. und VII. Jaren in die lad legt er mich

Quid, inquis, Alamannus cum Mercurio? Dicam: Alium non eſſe, vel ipſa Statua evincit; in Capite Pileum cernimus, non obſcuris Alarum veſtigiis; Dextram extenſam gerit; Siniſtram deorſum inclinatam; Planè qualis Marſupium & Caduceum geſtare conſuevit. Imò & inferiorem Caducei partem adhuc ſupereſſe videmus; Quæ omnia, Mercurium hunc Germanorum fuiſſe, extra ponerent dubitationis aleam, niſi TACITUS, Germanos nec cohibere parietibus Deum, nec in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine Cœleſtium arbitratos, aſſeveraret. Quid reſpondebimus? An TACITUM de Interiore Germaniâ locutum putabimus? De Galliæ oppoſitâ intelligi fortè poterit, quòd Cæſar de ipſis Gallis aſſerit: Eos non tantùm coluiſſe Mercurium, ſed plurima etiam ejus habuiſſe Simulacra. Sed ne credendum quidem, Germanos, præſertim eos, quibus Romana conſuevit Natio, ſolos Divinæ naturæ formam, captu ſuo auguſtiorem putaſſe, cum Sapientiores etiam non tantùm humanæ figuræ incluſerint, ſed humanas etiam res ad Divinæ Potentiæ faſtigium evexerint. Errorem TACITI ſatis evincit decantatum Saxoniæ Idolum Irmenſeul, quod ex Etymo vocis & ipſum de Mercurio interpretantur; Quanquam ad Martem detorqueat SPELMANNUS; MÜNSTERUM adi, & ipſum videbis.

XI.

MERCURIUS & PALLAS.

Sard. incis.

MErcurium cernis & Palladem; Illum cum Animalib⁹ ſacratis, Hanc ſolitô more armatam. Mercurius Marſupium præfert & Gallum; Siniſtrâ Caduceum tenet; Ad pedes Hircus adſtat; A tergo Scorpius viſitur cum Capite Lepuſculi. De Gallo, Caduceo, Hirco, & Marſupio, in ſuperioribus dictum. Scorpius Calliditatis & Venenatæ linguæ hieroglyphicum eſt. Non ſatis erat tenebroſæ Gentilium cœcitati, Motorem mentium ex Honeſtis hominum Actionibus, Actionumvé ſucceſſu deſcripſiſſe; Etiam Inhoneſtis deformarunt; Furem dixerunt & Impoſtorem, furum & impoſtorum Protectorem; Rationem ne in Deo quæras; In vafritie hominum latet, quâ Proximorum bona etiam ſub ſpecie recti ſibi vendicant; Quâ ſubdola in innocentes mendacia procudunt, iisque livido Calumniarum harpagone & Famam concerpunt, & Vitæ ſubſidia tollunt.

Audaces ſunt, & ne Palladios quidem vultus extimeſcunt. Pallas Sapientiæ Dea eſt; Sis ſapientiſſimus, inſidias tamen ſubdolorum non vitabis. Gallum prætendit Mercurius, Crumenæ inſidentem; Sic ſubdoli Lucri, vigilantiâ acquirendi, Spem objiciunt iis, quos fallere conantur. Gallus non Minervam reſpicit, ſed ipſum Mercurium; Non tibi lucrum, licet tuâ Sapientia parandum, ſed ſibi ſubdoli addicunt. Quæ à tergo ſunt, Pallas proſpicere nequit, objecto Mercurii Corpore teguntur; Sic ne Sapientiſſimus quidem Ignes cineri doloſo ſuppoſitos facilè detexerit. Sed ſtruant Fallaces Innocentibus Machinas: Qui malè agit, Conſcientiæ ſtimulis non caret. Ex malâ Conſcientiâ Timor; Timor, quem per Leporis animalis timidiſſimi caput præfiguratum crediderim.

MER-



XII.

MERCURIUS & FORTUNA.

MErcuriusFortunamcoronat.Fortunam ſi Philoſophicâ ſtaterâ perpendas, quid aliud eſt, quàm Cauſa rerum contingentium,Humanæ Rationi incognita? Gentiles, utut cœcis in cognoſcendo Deo abriperentur Erroribus, eò tamen progreſſi ſunt, ut hanc incognitam ſibi Cauſam Numen putarent. Creditam ejus & Naturam, & Poteſtatem in Simulacro expreſſas cernimus.

Muliebri habitu efficta eſt, & Cornu copiæ tenet, & Gubernaculum. Sub Muliebri habitu Blanditias contemplare Fortunæ ridentis, contemplare Inconſtantiam, quâ paſſim diffamatur; Corpus ubique velatum eſt, exceptis manibus & vultu, quòd non agnoſci poſſit, niſi ex effectibus. Gubernaculum tenet, quòd ejus nutu humanæ res regantur; Cornu copiæ, quòd ex favore ejus omnium Rerum abundantia profluat. Hæc crediderunt Gentiles.

Nos diviniore illuminati radio, Effectus, quorum cauſæ rationi incognitæ ſunt, non cæcæ cuidam Fortunæ adſcribimus, ſed Deo. Hujus non Inconſtantiam metuimus; Conſtantiſſimus eſt. Non diffidimus Blanditiis; ſincerô nos complectitur Amore. Non effectus tantùm nobis patent, ſed & ejus Natura; Ipſe ſe nobis manifeſtavit.

Deum quâ ratione venerabimur? Mercurius, qui, ut dictum, humanæ induſtriæ Motor credebatur, imò pro ipſâ ſæpiùs uſurpatur, viam monſtrabit. Lauream imponit Fortunæ; Laurea gloriæ Symbolum eſt. Gloria igitur danda Benigniſſimo felicitatis noſtræ Statori. Gratitudinis hoc officium eſt. Mercurius non ſibi Lauream reſervat; Illuſtri exem-

plo omnibus, qui Mercurialibus Artibus humanæ beatitudinis culmen conſcendunt, ne ſuis Viribus ſecundiorem votorum ſuorum Curſum acceptum ferant, ſed Deo; Deo, quem nos cauſam illam Gentilibus incognitam novimus, quem omnium rerum & Rectorem ſcimus, & Datorem.

XIII.

VENUS.

VEneri Formam, Voluptatem & Generationem ſubjectam, Gentiles crediderunt. Quæ formam hominibus impertit; Quæ voluptatis ſenſum creavit; Quæ generationem curat, Gratioſa Dei Potentia eſt. Gentiles majus quid humanis viribus ſuſpicabantur, quod tantâ dulcedine, tanto dulcedinis fructu, mortalitatem beaſſet; Sed quòd nihil viſibile occurrebat, ipſi ſibi tale finxerunt, quale cognitum habebant. Libidine homines ad generationem videbant adigi; Generationi Voluptatis ſenſum videbant admixtum; Voluptatem in Venuſtate ſive verâ, ſive apparente videbant radicatam; Apicem & Venuſtatis & Voluptatis inveniebant in Fœmina; Inde Generationis Præſidem ex Libidine deſcripſerunt; Inde Fœminam finxerunt; In Fœmina & Voluptatis & Venuſtatis expreſſerunt delicias, non tantùm honeſtas, ſed etiam meretricias.

In propoſita Gemmâ Nuda eſt, & Pedibus inſidet ſuis, Linteumque ſupra caput elevat, adſtante Vaſculô. Talis ex mari emerſiſſe, ſpumamque capillis expreſſiſſe dicitur. Nota eſt fabula. Ex reſectis à Saturno Cœli genitalibus Sanguinem; Ex Sanguine, fluctuum jactatione, in ſpumam coagulato, Venerem dicunt prognatam. Rationem figmenti evolvit Fulgentius; Satis concinnè, niſi quòd, ad quorundam mentem, pro Cœli Virilibus, Virilia Saturni execta dixit. Ejus nos veſtigia ſequimur:

Virilia

Virilia Vim continent Genitalem. Vis Genitalis Cœli in fructibus Terræ efficax eſt; Non perpetuò, ſed ad maturitatem tantùm; In maturis fructibus deficit. Maturitas à tempore procedit. Tempus cum Saturno idem eſt; Græcis, qui fabulæ Conſarcinatores ſunt, uterque Κρόνος dicitur. Ex eodem nomine commenti origo. Saturno affictum, quod Temporis erat. Saturnus Cœlum exſecans nihil aliud, quàm Tempus fruges Genitali Cœli Potentiæ per Maturitatem ſubtrahens.

Fructus abſciſſi, & in humores viſcerum, velut in mare, abjecti, in Animalibus Semen producunt genitale; Semen in Animalibus genitale, ſecundum Philoſophum, eſt ſpuma ſanguini ſupernatans; Ex Seminis abundantia Libido; ex Libidine deſcriptio Veneris; Quam & ipſam proinde cum Libidine Gentiles interdum confuderunt. Confuderunt; ſed præpoſterâ rationis cæcitate, cùm ſi de Potentiâ Divinâ, ſive Primo rerum, in re Venereâ concurrentium, fonte quæras, Libido inter effectus potius illius Potentiâ reponenda ſit, quàm Divini quid putanda. De libidine loquor, nullâ turpitudine infecta; Turpitudo enim non à Potentiâ Divinâ procedit, ſed à Potentiâ Infernali.

XIV.

VENUS VICTRIX.



Venerem victricem contemplare; Secundam, qualiter fere in TITI Numiſmate occurrit, Martis exuvias, Victoriarum an Adulterii præmia jactantem. Nuda eſt, & Meretricii corporis formam proſtituit; ut FULGENTIO videtur, quòd Libidinis crimen nunquam celatum ſit; vel, quòd non niſi Nudis conveniat. Adde ſi placet, quòd Cultores ſuos plerumque Nudos dimittere ſoleat, quòd idem & cauſa credi poteſt, cur à tergo ſe præbeat aſpiciendam, ſecundum illud HORATII:

Vulgus infidum & Meretrix retrò
Perjura cedit. Diffugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis Amici.

Fortè cum Callicratide apud Lucianum (*d*) ad Praxitelis Artificium reſpicere volupe eſt, Poſterioremque mirari Corporis decorem, Scapularum concinnitatem, Protuberantes & amplexantium manus implentes Lumbos, Scitiſſimè circumductas & incurvatas Clunium pulpas, neq; tenues nimis, ipſisve oſſibus adſtrictas, neque in immenſam effuſas pinguedinem. At vanus eris; Vanior, ſi cum Syracuſanis Veneri Καλλιπύγῳ, ſeu pulchras nates habenti, templa ſtatuas; cujus rei originem pluribus enarrat Athenæus (*e*). Hi digni planè, quibus, ut Marti, & Naturæ & Fortunæ facultates ſurripiantur. Quid Virium habebit miles, ademtis Gladio, Haſtâ, Galeâ, & Clypeo? Hæc belli ſunt Inſtrumenta, ſed non qualia Venus adhibere ſuevit; Niſi Homericam intelligas, aut ad Cæſarem reſpicias, qui in Prælis, Pharſalico & Cordubenſi, Venerem Victricem militibus pro teſſerâ dicitur dediſſe.

Rationem Encomii inveneris, vel in muliebribus blanditiis, vel in ejusdem Cæſaris fortunâ, vel in, Martis dicam, an Aſſeclarum ejus? Libidine. Muliebres Blanditiæ quid non vincunt? Ubi hæ dominantur, etiam Salomonis Sapientia evaneſcit. Virorum Libido quid non peſſundat? Ubi hæc inceſſit, etiam Herculis vigor diffluit. Cæſar non indigna Veneris Proles, Romanæ libertati frenum injecturus, ab hâc potiſſimùm victoriarum ſummam ſibi promiſit; An quòd Libido, noxium Rebuspublicis virus, Romanis tunc dominabatur? An ut familiæ ſuæ celebraret originem? Magnificam ſanè, quòd per Julum ab Æneâ deſcenderet, quem Venus per Adulterium ex Anchiſa dicitur ſuſcepiſſe, & vel per ignominiam Mariti putavit fovendum.

XV.

VENUS VULCANUM
ad Arma Æneæ fabricanda inducit.

ENormis eſt Meretricia Mulierum quarundam levitas! Non inter Solutas tantùm invenias, quæ Viros-juvenes, ſed inter Jugatas etiam, quæ Maritos

(*d*) in amoribus. (*e*) Deip. 12. in fin.

Maritos ſuos in extremum Miſeriarum & Infamiæ conjiciant barathrum. In Solutis res levior ; At in Jugatis, quis toleret? Eſt tamen, & ab omni tempore fuit, pernicioſa labes. Diluvio crederes abolitam; ſed cum Idololatriâ revixit, eoque etiam inter Gentiles proceſſit, ut nec Ratio tacere potuerit. Difficile erat Satyras non ſcribere, cùm non Plebeiæ tantùm, aut Patriciæ titubarent; ſed Regii etiam, ſed Imperatorii Spiritus, pudendo proſternerentur artificio. Quis Cleopatram ignorat? Quis Meſſalinam? Plena ſunt Hiſtoricorum, plena Poëtarum ſcripta. Plerique rem vituperant. Id mirum. Nonné Deum ſequebantur? Venerem Vulcani Uxorem, quam colebant, cum Marte, Adonide, Anchiſe, concubuiſſe norant; Norant Eam ex Hoc, ut modò dictum, Æneam ſuſcepiſſe; Norant fallaci Blanditiarum palpo eò adegiſſe Maritum, ut Spurio Arma fabricaret, quibus is contra Hoſtium inſultus tutior eſſet; Id agentem in præſenti Gemma contemplamur. Cernis Venerem; Cernis Vulcanum, Veneris Maritum; A tergo Vulcani, Cupido eſt, Veneris filius; Ad dextram Veneris, Satyrus. Venus Nuda viſitur; Dextrâ Columbam prætendit; Siniſtra Faci innititur; Vulcanus Incudi aſſidens ſiniſtrâ Forcipem tenet, dextrâ Malleum elevat; Cupido recedit, Arcumque & Sagittas auffert; Satyrus Utrem inflat. Cave hæc Deorum opera credas; Egregia ſunt & Perfidiæ conjugalis, & Pœnarum ſymbola.

Quæ ſubdolâ perſuaſione Mariti honorem prodit; Quæ inhoneſtâ vafricie Adulterii fructum fovet; quis Cœlo dignetur? Conjugium cum Vulcano in naturalibus ponit D. Augustinus (*f*). Ut Voluptas oriatur, Ignem Libidini cooperari neceſſe eſt; Venus Libidinis Dea credebatur, Vulcanus Ignis. Hæc Conjugii ratio. Vulcanus Ignis eſt, ſed Subcœleſtis; neque hic omnis, ſed impurior tantùm, qui vel ex Nubibus elicitur, vel quotidianis inſervit uſibus, qualis etiam eſt, quo in fingendo ferro fabri utuntur; Hinc de Vulcano fabula; Hinc ipſe fuligine ſordidus & Faber.

Non eſt, quòd mireris, tam Deformem Formoſiſſimæ jungi. Formoſa eſt Venus, ſi externa Corporis intuearis; Si interna Mentis, vel Vulcanum prætuleris. Sub Venere contemplare Uxorum quarundam levitatem & nequitiam; Sub Vulcano, miſeram Maritorum aliquot ſimplicitatem; Sub Cupidine, Amorem conjugalem; ſub Satyro, Satanam. Venus Face nititur & Columbam prætendit; Fax Amoris ſymbolum eſt, Columba Sinceritatis. Amore & Sinceritate ſe confiſas mentiuntur, quæ ſimplici Maritorum credulitati illudere ſatagunt. Vulcanus fallaci palpo delinitus patienter operam ſuam Adulteræ addicit; O quot hodiénum, duriſſimo

(*f*) Contra Fauſtum l. 20.

duriſſimo labore, Furtivam Uxorum Prolem nutrire coguntur! Utut dejectis Deaſtrorum agminibus, nondum tamen deferbuit iſta peſtis. Venerem Adulterarum Antiſtitem, nec in Cœlis agnoſcunt Chriſtianorum Fœminæ, nec in Terra; Puriſſimam fatentur Dei Eſſentiam; & tamen impuriſſimis interdum voluptatibus indulgent, datam Maritis fidem produnt, omnesque miſellorum facultates, & ſudorem & laborem infandis ſuis inſumunt cupiditatibus.

Perverſitati præcinit Satanas; Eodem modo, quo in Gemmâ noſtrâ Satyrus Veneri. Satyrus Hirci figuram gerit; Hirci ſub figurâ Satanas ut plurimùm Hominibus ſolet apparere; Inde Satyrorum figmentum. Utricularium Veteribus in uſu fuiſſe, vel ex Neronis hiſtoria patet. Hæc dulcis forſitan videtur Impudicis; at vindictam trahit; ſi non temporalem, tamen æternam. Temporalis ſub Cupidine latet; Matris is aſtutiam averſatus, recedit; A Vulcano recedit, Caloris Deo. Arrigite aures Adulteræ! En fraudum veſtrarum exitum! Conjugalis Maritorum Amor vos averſatur! Abit, & nec Arcum relinquit nec Telum, quibus reduci poſſe ſperetur! Abit, & cum eo præſentis vitæ corruit felicitas. Admoveat Satanas ſcelerato conatui fomenta; Animæ veſtræ inſidiatur, & in æternam vos tandem præcipites daturus eſt perniciem.

XVI.

CUPIDO.



CUpido Amoris credebatur Deus. Amorem, ut omnes Affectus, Homini non Prometheus aliquis indidit, ſed Univerſi Creator. Hinc nemini obſcurum poteſt eſſe, quem amoris noſtri debeamus agnoſcere & Authorem & Normam. Gentiles, qui in cognoſcendâ Divinitate tetrâ turbabantur vertigine, Res Creatas in Creatoris, Regendas in Rectoris, ſubſtituerunt Solium. Cupidinem Veneris filium fecerunt; Non aliam ob cauſam, quàm quòd vel ex Libidine naſci ſoleat, vel à Venuſtate excitari ſive Verâ ſive Apparente. Patrem ut plurimùm ei dederunt vel Vulcanum, vel Mercurium; illum quòd Libido abſque

Calo-

Calore nulla ſit; Hunc quòd Venuſtas non muta, ſed Eloquentiæ Spiritu, animata amorem producat. Qui Dianam, vel Martem, vel Chaos inter Cupidinis Parentes numerant, ii ad vim reſpexiſſe videntur, vel Lunarem, vel Igneam, vel denique mixtam quandam Elementorum repugnantiam, ex quibus corporibus vigor & amoris nutrimentum. Mavis fortaſſe vel ad Fortitudinem, vel ad Caſtitatem, vel denique ad Meretriciam reſpicere Libidinem; Quòd illæ placeant, Hæc confuſo Virtutis & Vitiorum ſemine, imò & fructu, miſellos Amantes interdum decipiat, & caſſibus ſuis involvat. Puer creditur fingi, quòd Amantes etiam Senes pueriles affectent ineptias; Nudus, quòd animi ſui ſenſa celare nequeat; Alatus quòd inconſtans. Spicula duo habuiſſe fertur; Aureum unum, alterum plumbeum; Illud vi præditum amorem conciliandi, hoc pellendi fugandique. Sed & Pharetram cernimus, ex quâ ſagittas depromere perhibetur; Hæc, quid aliud ſit, quàm vel Animus Hominum, vel corpus, quorum dotes ſagittis haud ineptè comparaveris, Amorem vel excitantibus, vel fugantibus. Arcum Oculos dixeris, vel aliud quid, cujus ope dotes iſtæ radiant.

Hæc Una amantium ſpecies eſt; Alteram contemplare ſub Cupidinis Lyra. Hanc ei à Pauſia pictore datam ex PAUSANIA (*g*) conſtat. Sunt, qui amant, & ſe in amore felices prædicant, omnibus rei amatæ ſibi apparentibus, ac dulciſſima quædam harmonia, qua delibuti Somno concedunt, nec ſentientes, nec reluctantes; Sunt, qui Amorem ſuum agnoſcunt, adverſitates inde emerſuras conſiderant; amant tamen, & vel inviti in Amore perſiſtunt. Illos Lyra, hos ſagittis à Cupidine ſubigi, eruditè finxit Cœlator. Aliam Lyra interpretationem recipere videtur ex illo EURIPIDIS:

Μουσικὴν δ' ἀεὶ Ἔρως διδάσκει κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Muſicam docet Amor quamlibet ejus rudem prius.

Locum allegat PLUTARCHUS, (*h*) additâ explicatione ex Amantium genio, qui omnia ſua vel triſtia, vel jucunda carminibus complecti ſolent; Unde nec abſurdè Antiqui ex Helicone Amorem in Gymnaſium adductum ſunt fabulati.

(*g*) Corinth. Secundo. (*h*) Sympoſ. 1. add. amator.

XVII.

AMOR COELESTIS.

VAria Amantium eſt Fortuna; Ex variâ Fortunâ varius Cupidinis habitus. In ſuperioribus vel Arcum tendit, vel Citharam pulſat. In præſenti ad Arborem Clypeo, Aræ impoſito, incumbit, dextroque pede Globum calcat. Globus Terræ ſymbolum eſt; Ara Pietatis Inſtrumentum; Clypeus Securitatis hieroglyphicum; Cupido Clypeo incumbens, quid, niſi Amoris ſecuri? Clypeus Aræ impoſitus, Securitatis Pietati innixæ; Cupido Globum calcans, Amoris terreſtria ſpernentis. Cœleſtem crediderim, qui non humanarum Voluptatum illecebris ducitur, non fragilem corporis Venuſtatem adorat, non fallaces Divitiarum & Honoris radios colit, non turbulentæ Potentiæ vapores venatur; Sed qui Terrena conculcat, qui ſuis contentus bonis Pietatem ſecuritatis ſuæ baſin facit. Huic non Oceani rabies nocet, non Ventorum turbo; Et ne ſterilem arbitreris, vel effœta frutex revireſcit, novâque fronde ſecuram quietem inumbrat. En rationem, cur in Veneris Cnidiæ luco, Arbores fuerint, non varii tantùm generis; ſed & effœtæ jam ætatis, præ vigore tamen quaſi Juveneſcentes, & novis ſubinde ramis integræ & formoſæ (*i*).

XVIII.

PHOEBUS & DIANA.

APollinis, ut aliorum etiam Deorum Gentilium, officia plura erant. Aliud fingebatur obire in Cœlo, aliud in Terrâ; In Cœlo Solem regere, in Terrâ Artibus præſidere; Non quibusvis, ſed quatuor potiſſimùm:

(*i*) Atteſtante Lucıano in Amorib.

mùm: Citharœdus eſſe, & Citharœdorum, imò & Poëtarum Deus; Medicinæ Inventor, & Medicus; Jaculator, & deniqúe Vates. Vatis & Medici, ut & Jaculatoris in Gemmis noſtris nulla mentio; Aurigæ Solis in propoſitâ illuſtris, Citharœdi in ſequente. De Auriga Solis, quòd inde reliqua dependeant, primô loco dicendum.

Qui Solem regit, alius non eſt, quàm qui Solem creavit, ſtatumque Sideribus motum indidit. Motum videbant Gentiles, ſed Motorem ignorabant. Quem ignorabant, ſibi finxerunt. Finxerunt, non qualis eſt, ſed qualem ex naturali Solis motu ſibi imaginabantur. Non videbatur Sol tàm accurato curſu poſſe vel ab Oriente ad Occidentem devolvi, vel Zodiaci ſigna permeare, temporumque diſpenſare vices, niſi Mente quâdam regeretur providentiſſimâ. Hanc Mentem ad terreſtrium Effigiem formârunt, mixtis tamen, quas cognitas habebant, Cœleſtis Solis qualitatibus. Mentem Solis Rectricem, Humanæ Figuræ incluſerunt; Figuram ad habitum Aurigæ compoſuerunt; Aurigam radiis ſolaribus ornârunt. Inde Corona radiata, inde Scutica, inde Currus & Equi.

Equorum Nomina recenſet Ovidius:

Pyroeis, & Eous, & Æthon
Solis Equi, quartusq; Phlegon.

Aliis Erythræus, Æthon, Lampos, & Phlogeus dicuntur. Alii in Mares eos & Fœminas dividunt. Illos Eoum & Æthiopem appellant, hos Bronten & Steropen, quibus nominibus aliàs Vulcani Miniſtros appellatos novimus. Numerum alii ex quadripartitis annui Temporis varietatibus, alii ex quadrifido limite Diei determinatum autumant. His quo minùs calculum ſubjiciamus, facit, quòd quatuor Equi ſimul currui adjuncti ſint, cùm Anni & Diei partes non niſi, ut cum Spartiano (*k*) loquar ſucceſſivè cohæreant. Si figmenti ratio vera, ſequeretur, quatuor quidem equis Apollinem uti, ſed per ſucceſſiones; Non niſi unum currui adjungere, ſed eum ſecundum quadripartitos Limites vel Diei, vel Anni mutare, id quod contra Poëtarum mentem eſt.

Tutiorem fortè Numeri hujus rationem in præcipuis qualitatibus inveneris, quibus ubiqúe & omni tempore Sol inſtructus eſt: Luce ſc. Colore, Ardore, & Motu. Conjecturæ videntur ſuffragari & Nomina. Eous ab Aurora appellatur; Aurora ex Solis Luce profluit; Lux ſplendet; Splendere Græcis dicitur λάμπειν, inde λάμπος. Lampos igitur & Eous ſunt unum & idem, & aliud nihil, quàm Solis Lux ſive ſplendor, ex quo primus Apollinis Equus. πυρόεις ignitus dicitur; αἰθίοψ uren-

(*k*) in Caracalla.

tis aſpectus; Utrumque Rubore fulgidum; A Rubore Erythræus denominatur; Idem igitur Erythræus, Æthiops & Pyroeis, nec aliud quid, quàm Igneus Solis Color, ex quo ſecundus Apollinis Equus. Phlegon & Phlogeus ἀπὸ τῦ φλέγειν ab inflammando dicuntur; Βροντὴ Tonitru ſignificat; Tonitru fulminibus inflammare ſolet; Hinc Phlegon & Phlogeus, & Brontes idem, nec aliud quid, quàm Solis Ardor, & tertius Apollinis Equus. Αἰθων propriè quidem & ipſum urens dicitur, Sed apud Homerum & Sophoclem, non uno in loco uſurpatur, de Equis, Leonibus, Volucribus, non aliâ ſignificatione, quàm pro fervido, qui ardente impetu fertur; Ardente impetu fertur Fulgur; Fulgur Græcis Στεροπὴ; hinc idem Steropes & Æthon, nec aliud quid, quàm rapidus Motus, & quartus Apollinis Equus. Hæc de Apolline Aurigâ. De Dianâ dicetur paulò poſt.

XIX.

APOLLO CITHAROEDUS.

APollo Juvenili Facie, & decoro inſignis Capillitio, Siniſtrâ Citharam tenet, Dextrâ Plectrum, Corpore Nudus eſt, niſi quod Crura ambiat dependens à tergo Pallium. Apollinis Citharœdi hunc habitum eſſe, ſi non aliud, omninò Cithara evinceret. Hanc Apollini datam arbitrantur, alii ob motum Sphærarum Cœleſtium, quo, ſi Platonicis Fides, dulciſſima excitatur Harmonia; Alii ob Univerſalem, cujus Sol Author eſt, rerum Conſonantiam. Ratio poſterior ſatis concinna foret, ſi & ſub hoc Apolline Sol intelligeretur; Cùm autem, ut diximus, Citharœdus ſit & Citharœdorum creditus Deus, jam non Citharam jactabit ob Univerſalem rerum Conſonantiam, ſed ob Artem & Præfecturam. Cithara Citharœdorum Inſtrumentum eſt, non Solis. Rectiùs Conſonantiam illam Univerſalem dicerent eſſe cauſam Præfecturæ. Iidem videbantur & Solis effectus, & Citharæ. Sol demulcet Corpora, Cithara Animos; Decenti Sol Radiorum harmoniâ, Cithara amabili Fidium concentu. Ex hâc effectuum Convenientiâ Ratio aſſurrexit ad Cauſam. Quem Solis ſtatuerat Rectorem, Eundem & Citharœdis præfecit, Simulacrum ex contempla-

tione

tione Artis deſumſit: Juventas indicat ejus pulchritudinem; Aurei Capilli Nobilitatem; Nuditas corporis apertam Suavitatem; Involuta Pallio crura, fundamentorum obſcuritatem. Vix eſt, qui Muſices non ducatur dulcedine; Pauci tamen ejus penitiora rimantur, Pauciſſimi Artis intima norunt. Hinc factum crediderim, ut Apollo Citharœdus in Numiſmatibus Toto Corpore; In noſtrâ Gemmâ Pedibus tantùm tectis incedat. De Longitudine Veſtis notum eſt illud Propertii:

Pythius in longâ Carmina Veſte ſonat.

XX.

SERAPIS.

Achat. ex cis

SErapidem Ægyptiorum Deum Calathus evincit. Serapidem Plutonem eſſe Plutarchus (*k*) Autor eſt: Macrobius (*l*) Solem ſtatuit. Solem, Ditem, Jovem, Ammonem, Æſculapium, & Nilum eundem cum Serapide creditum Seguinus (*m*) Numiſmate firmat, in honorem Antonini Pii percuſſo. In Serapide Sole per Calathum Sideris Altitudinem intelligunt & Capacitatem; In Jove Menſuram & Modum, quo cuncta moderetur, vitamque mortalibus præbeat, & frugum abundantiam.

Kircherus (*n*) & ipſe Solem interpretatur, ſed Solem ſubterraneum, qui in ipſis Terræ viſceribus omnen Terræ partum producat & foveat. Sententiam fulcit authoritate Beroaldi & Iſiacâ Bembi Tabulâ, quorum ille

(*k*) lib. de Iſid. & Oſir. (*l*) Satur. 1. c. 20. (*m*) in ſelectis. (*n*) in Oedip. Ægypt. Synt. 3. c. 5.

ad Apulejum caput Serapidis omnibus Metallorum, Lignorum, Radicum generibus compoſitum fuiſſe aſſerat; hæc Barbam, loco Pilorum, Radicibus Herbarum compoſitam; Oculos autem & Naſum, & Aures; variis Lapidum & Metallorum generibus conſtructa, exhibeat.

His accedit noſtra etiam Gemma, in qua Frondes cernis Calatho appoſitas. Quæ in Terra infra frondes ſunt, ut plurimùm ſubterranea ſunt. Infra frondes in noſtra Gemma eſt Serapidis Caput; Serapis credebatur Numen; Numen igitur credebatur ſubterraneum. Ex Capite enaſcuntur frondes; Frondes Arborum pars ſunt, Arbores ex Terra Germinantium Plantarum Species, ponunturque pro genere, & indicant: Serapidem omnium ex Terra naſcentium Plantarum Gentilibus creditum fuiſſe Procreatorem. Deus Plantarum procreator non eſt Sol, quanquam Gentilium rationi ita viſum ſit; Sed veri Dei in Radicibus efficax Potentia; Hanc qui peculiare Numen finxerunt, à Deo ſeparârunt, ex effectibus deſcripſerunt, Calathumq; dederunt ob abundantiam rerum. Si frondes & Calathum ſepares; Si humanam Effigiem aboleas, rurſus invenies Unum, ut Univerſi, ita etiam omnium, ex & in Terræ viſceribus naſcentium & Creatorem, & Conſervatorem, undique benigniſſimum.

XXI.

BACCHUS INDICUS.

BAcchum Vini datorem creditum, omnibus in confeſſo eſt. Vini dator eſt Cauſa Vini procreatrix. Cauſa Vini procreatrix eſt, vel naturalis, vel divina. Naturalis eſt Sol in humore Terræ efficax; Divina eſt ipſe Deus; Deus ut Parens eſt omnium, ita etiam Vini. Gentiles, cùm dulcedinem guſtâſſent, cùm mirandas ejus non in Corpora tantùm, ſed etiam in hominum Mentes intellexiſſent Vires, religioſâ admiratione tacti, divinam quandam Potentiam non potuerunt non fateri; ſed immane quan-

quantum à vera aberrantes tantis eam vel involverunt Tenebris, vel conſpurcârunt Vitiis, ut nemo hodiè ſit, qui perverſas cogitationes non vel rideat, vel doleat.

Vini munus partim Soli adſcripſere, partim Hominibus; Soli, quòd ejus in producendo Vino Efficaciam agnoſcerent; Hominibus, quòd vel egregiâ in vitibus colendis excellerent peritiâ, vel bibacitate præſtarent, vel deniqúe quòd invento quodam Vini partum juviſſent. Ex his Fontibus tanta & tàm abſurda, & de Simulacris Bacchi, & de Geſtis. Deum dixerunt, & tamen huic Deo omnes Vini effectus, etiam turpiſſimos, affinxerunt. Deum dixerunt, & tamen humanis Actionibus, humanis deformârunt Simulacris: Partim puerili ætate, partim Juvenili, præterea Barbatâ Facie, ſenili quoque reperiri, Macrobius (*o*) teſtatur, putatque diverſitatem ex diverſis Solis gradibus ortum traxiſſe, ut parvulus videatur Solſtitio Hiemali, Æquinoctio Vernali Adoleſcens, pleniſſimâ Barbâ conſpicuus Solſtitio Æſtivo, indeque per diminutionem quaſi ſeneſcat. Solem & Bacchum Hic eundem facit. Aliam rationem forſan in Vino, aliam forſan in diverſis Bibentium Ætatibus inveneris; Non ſenes tantùm & Viri, ſed Adoleſcentes etiam & Pueri Vino delectantur. Vinum & ipſum quatuor Ætatibus poteſt cenſeri: Puerili, cùm dulcedine ſuâ adhuc blanditur; Juvenili, cùm deferbuit; Virili, cùm in maſculum robur ſuccrevit; Senili, cùm viribus paulatim deficit. Sed pleraque hæc Ingenii luſus ſunt. In vini Satoribus, quos Veteres ad Divinitatem evexêre, tutiùs ſubſtiteris. Bœoticus imberbis erat, Indicus Barbatus. De Bœotico paulò poſt. De Indico teſtatur Diodorus, (*p*) additq; rationem, quòd antiquiſſimis Temporibus Barbas alere moris fuerit. Intelligitis, hunc Bacchum reverà non Deum fuiſſe, non etiam ex Naturalibus Effectum; ſed Hominem, qui, quòd torcular invenit, Lenæus vocatus eſt, & ad Divinitatem evectus.

XXII.

BACCHUS cum TIGRIDE.

BAcchi Barbati Effigiem vidimus, hic ejusdem eſt Simulacrum. Vaſi cuidam & Ferulæ innititur, Tigridi uvas obtendit. Ferulam à Bacho

(*o*) Saturn. 1, c. 18. (*p*) l. 3. Biblioth.

cho introductam Diodorus (*q*) Author eſt, ne furoris Inſtrumentum lethale foret, cùm anteà ligneos baculos etiam Mors ſequeretur. Vaſis rationem quilibet intelligit; Tigridis, procul dubio in ſæviſſimi Animalis naturâ conſiſtit; An ebrioſorum rabiem intelligas? Geſtus obſtat; Non ſæviens Baccho affingitur, ſed miti lenitate dulciſſima reſpiciens munera; Uti & in aliis ejusdem ſubiens currum ; Hinc potiùs eſt, ut ferociam intelligamus ad Munera Bacchi miteſcentem, non Animalium, ſed Hominum, quos Beſtiarum more viventes dulcedine Vini Bacchus legitur ſubegiſſe.

XXIII.

BASSAREUS.

achat. *incis.*

Aliud Bacchi Barbati Simulacrum intuere ! Ferulam gerit & Cantharum, & longiore Pallâ indutus incedit. Ferulam gerit & Cantharum, ut vel ex Inſtrumentis Bacchum agnoſcas. Longiore pallâ indutus incedit, ut eum eſſe intelligas, qui Horatio Baſſareus appellatur :

- - non ego Te candide Baſſareu
Invitum quatiam.

Quamvis enim denominationem alii à Vulpibus, quarum pellibus Bacchæ ſuccingerentur, derivatam putent, quòd Βάσσαρος ἀλώπηξ legatur apud Herodotum, & Bochartus Baſſareum autumet rectè explicari per Æliani προλεύγην, cùm Baſſar Ebræis ſit idem quòd Græcis τευγᾶν, *vindemiare*; Rurſus alii à Græco βάζειν *clamare* Etymon accerſant; à longiore tamen Pallâ, quæ Baſſaris dicebatur, tutiùs deduxeris. Hâc enim & ipſe Bacchus indui ſolebat, & Bacchi Miniſtræ, quas proinde & ipſas Baſſarides dictas novimus. De Baccho audi Statium (*r*)

Decet auratâ Bacchum veſtigia Pallâ
Verrere.

Baſſaridum mentionem facit Persius (*s*) :

Baſſaris, inquit, *& Lyncem Menas flexura corymbis.*

Deno-

(*q*) lib. 4. Biblioth. (*r*) Achilleid. l. 1. (*s*) Satyrâ. 1. (*t*) l. 3. El. 6.

Denominationem veſtis à Baſſareo deducunt, Lydiæ loco, quod vel ex PROPERTIO (*t*) videtur adſtrui :

Candida laxatis onerato colla Corymbis
Cinget Baſſaricas Lydia mitra comas.

XXIV.

BACCHUS & CUPIDO.

In Cameo.

BAcchus imberbis Aræ inſidet, Cupidiniſque porrigit Uvam, & in Capite Coronam gerit Pampineam. Alius hic eſt à ſuperiore; Ille Hôc vetuſtior; Ille Indicus, Hic Bœoticus; Ille Jovis ex Proſerpina, Hic Jovis ex Semele filius. Differentiam vel ex Facie colligas. DIODORUS (*v*) Author eſt: Illum barbatum, Hunc tenero ac plane delicato fuiſſe corpore, formæque venuſtate Indico inſigniorem, ſtudia tamen imitatum; In exercitu agmen Mulierum habuiſſe, Haſtis Thyrſo involutis inſtructum; In pugnâ armis bellicis & Pantherarum exuviis uſum, in Pace ſolennes conventus & dies feſtos celebraſſe, florulentum & delicatâ mollitudine veſtitum. Corporis, & ex parte veſtitûs etiam mollitudinem in propoſitâ Gemmâ contemplamur. Corona in Memoriam revocat Staphylen Nympham, quàm in vitem mutatam Mythographi tradiderunt, uti in hederam Ciſſum. Nuditas Bacchi, Ebriorum Genium exprimit; Ebrii vel maximè Arcana ſua revelare ſolent; inde verbum: IN VINO VERITAS. Hæc utut damnoſa ſatis, toleranda tamen, cùm, qui bona egit, nihil niſi bona revelare poſſit; At quis tolerabit Ebrios in quodvis Libidinis genus proclives? quis Bacchum Cupidini Uvas porrigentem? Aræ quidem inſidet Pietatis Inſtrumento, ſed tamen Uvas porrigit Cupidini. Aræ inſidet ut Pietatis prætextu facinus defendat; Sic Sanitatis voto largiores plerumque excuſare ſolemus hauſtus; Ex largiore hauſtu Ebrietas, ex Ebrietate Libido. Intelligitis cur Bacchum Cupidini Uvas porrigentem finxerit Cœlator. Sine Baccho & Cerere friget Venus; At cum Cerere & Baccho, immodicè ſumto, fervet.

(*t*) l. 3. Eleg. 16. (*v*) l. 3. Biblioth.

XXV.

BACCHUS & PRIAPUS.

in Cameo

PRiapus nefandam libidinem in Bacchum hoſpitem effundere tentat. Cupido plaudit, ſed fruſtrà; Expergefactus Bacchus petulantiam riſu dicitur excepiſſe. Fabulam pluribus apud Lucianum (*x*) recenſet Bacchus ipſe: *Ridiculum,* inquit interprete Micyllo, Apollinem allocutus: *Ridiculum quiddam narrabo tibi, quod cùm nuper Lampſaci eſſem, mihi accidit. Ego quidem ad Urbem acceſſeram, ille autem* (Priapus ſc.) *me recepit hoſpitio apud ſe præbito. Poſteáquam igitur quieti nos dedimus, in Convivio affatim madefacti, circa mediam noctem exſurgit generoſus ille; Sed pudet dicere. APOLL. ſollicitavitne te? BACCH. Hujusmodi quippiam eſt. APOL. Quid Tu autem porro ad hæc? BACCH. Quid enim aliud, quàm riſi?* Hæc Gemmam opinor apertè ſatis explicant. Affatim madefactos, ait, Cubitum conceſſiſſe; Sic vel ex hoc intelligis, de Ebriis hic agi & Libidinoſis. Maximus nequitiæ fervor eſt, ſi vino incaluerit; Optima Occaſio, ſi temulentos in publico ſepoſitis armis ſtertere videat. Culpæ Baccho damus ebrietatem; at laudi vigilantiam. Expergefactus inſidias diſcuſſit; Sic & nos expergiſcamur! Machinas Satanæ & exercituum ejus in inſidiantium retorqueamus ignominiam! Sed ea non præteritorum tantùm ſeculorum debilitas fuit, ſed & hodierni eſt, ut vino, non dicam repleti in ſomnos dilabantur homines, ſed vel in rabiem acti omnibus interdum feris ferociores exiſtant, vel in Libidinem præcipites, nefandis ſe polluant facinoribus.

(*x*) in dial. Deor.

DIANA.

XXVI.

DIANA.

in Cameo.

Chalced. incis.

TRIVIÆ lenis ſpecies, & multus in ore
Frater ineſt, *Phœbiq́ genas & lumina Phœbi*
Eſſe putes, ſolus prodit *diſcrimina ſexus.*
Brachia nuda nitent : levibus projecit & *auris*
Indociles errare comas, arcuq́ remiſſo
Ocia nervus agit, pendent poſt terga ſagittæ. (*y*)

SUb Diana Gentiles Lunam intellexiſſe, nemini dubium eſt; Ex hujus contemplatione pleraque illius & Simulacra & Actiones. De Actionibus ſuo quibuscunque loco. Simulacra pro triplici officio triplicia potiſſimùm ſunt. Eſt Dianæ Luciferæ, eſt Venatricis, eſt Proſerpinæ. Isidorus rem paucis :

Quando, inquit, *LUNA eſt, ſubluſtri ſplendet amictu.*
Cùm ſuccincta jacit calamos, LATONIA VIRGO eſt.
Cùm ſubnixa ſedet Solio, PLUTONIA CONJUNX.

De Dianâ Luciferâ & Proſerpinâ dicemus, cùm occaſio ſe obtulerit; Venatorii habitus fontem ut eruamus, Gemma monet.

Ut Sol diei præſes eſt, ita Luna noctis. Non in Cœlo tantùm inter Sidera regnat, ſed argenteo etiam ſplendore terreſtria illuminat. Ab hoc ſplendore omnis ferè Dianæ Venatricis habitus.

Apollini ſagittas ob radios datas eſſe, ſuprà diximus; ob eosdem etiam datæ ſunt Dianæ : Non quòd ipſa radiis ſuis immediatè cervos figat, uti Apollo Pythonem Terræ filium, ſub quo nebulas intelligunt ; Sed quòd Venatores noctu, niſi Luna ſplendente, feras inveſtigare non poſſint. Hi vel emolumento delibuti Deam putârunt, cujus favorem maximum felicioris prædæ cauſam videbant ; Ut Deam hanc ſibi propitiam redderent, meritisque demererentur gratiis, Actiones ſuas ei acceptas tulerunt : Si

(*y*) Claud. in rapt. l. 2.

Actiones, quidni & Inſtrumenta? Hinc Luna Dea, hinc Diana Venatrix, hinc Arcus, hinc Pharetra.

Cur Fœminam finxerint, alia ratio eſt. Lunam videbant & videbant Solem, hunc potentiorem, illam debiliorem; Hunc proprio, Illam alieno lumine ſplendentem; Hunc, ut PLINIUS (z) loquitur, cuncta torrentem, cuncta ſorbentem & Sidus maſculum, Illam Nocturnum ſolventem humorem, Sidus molle & fœmineum. Omnis Lunæ honos & Potentia à Sole, omnis fœminei ſexûs à virili; Hinc Sol habitu virili, hinc Luna fœmineo. Lunam videbant, & videbant Solem, utrumque ex Tenebris exorientem, utrumq; pulcherrimo luminis ſplendore decorum; Hinc Apollini & Dianæ pulchritudo, hinc & ſimilitudo facierum & capillorum, hinc idem ortus ex Latona, hinc fraternæ cognationis vinculum. Quis Deam arbitrabitur Fœmineum Creaturæ Simulacrum? Si Divinitatem requiras, eam non in Luna invenies, ſed in ſapientiſſimo Mundi Architecto, qui ut Machinam ſuam contra Tenebras armaret, & Solem creavit, & Lunam, & Sidera

Toto dedit effervescere Cœlo.

XXVII.

DIANA EPHESIA.



Sard. incis.

Diana Epheſia Calathum gerit, Peplo amicta eſt, Pluribus Mammis incincta, ex manibus demittit, non, ut ſolet, verua; ſed, ut videntur, radio infixas vel Corollas, vel Roſas. Adſtant utrinque Cervi. In alterâ Gemmâ juxta caput, illinc Lunula eſt falcata, hinc Stella viſitur.

Etiam hæc Gentilibus Luna fuiſſe creditur; Ex hujus igitur operationibus, habitûs ratio deſumenda. Mammarum Officium eſt Nutrire; Nutriunt alimenta; Alimenta ex Terrâ, ſed humore calido impregnatâ; Calidus humor à Lunari Potentiâ. Luna non humidum Sidus tantùm, ſed & calidum eſt, caloris tamen temperati, cùm Sol ſit vehementioris. Inde Diana Agriculturæ præpoſita & Generationi; Inde quibusdam eadem, quæ Ceres; Hinc mammis pluribus ornata, creditaque Nutrix viventium. DIODO-

(z) l. 2. c. 103. & 104.

Diodorus (*a*) ait: Dianam educationis inveniſſe rationem, & cibos quosdam Naturæ tenellæ convenientes, ideoque κκροτρόφον ſeu Puerorum Nutricem appellatam. Hæc non Deam ſapiunt, ſed Hominem, qualis & Iſis, quam, quòd fruges & alia utilia inveniſſet, Ægyptii non divinis tantùm honoribus affecerunt; ſed etiam cum Lunâ confuderunt, Inventrici tribuentes naturalia Procreatricis opera. Modum nutritionis nobis imaginamur ſub iis, quæ ex Manibus vel in Cervos, vel in Terram demitti cernimus. Utrumque ad Lunarium radiorum vim pertinet, quâ humorem Terræ ſolvit, eumque in varias & frugum, & fructuum ſpecies propellit, quibus deinceps animantia nutriuntur. Calathus procul dubio ad abundantiam pertinet, de quâ dictum ſub Serapide. Ab Iſide Ægyptiorum deſumtus videtur. Forſan & totum Dianæ Epheſiæ Simulacrum Ægyptum ſapit; Ex Ægypto quin pleraq; Gentilium, etiam Græcorum Theologia manaverit, vix videtur dubium.

XXVIII.

HERCULES.



in Cameo

HErcules Barbatus vel Diademate redimitus eſt, vel Populeâ Coronâ; In altero frontis aliqua calvities obſervatur, in utroque Leonis exuviæ. Herculem plurimi Virum fortem arbitrantur fuiſſe; Dionysius (*b*) Ducem facit, alii Philoſophum; Phyſici Tempus ſub eo intellexerunt, Theologi Solem. Non minor lis de incunabulis; Ea vindicant, hinc Græci, illinc Ægyptii, alii alibi. Si vel Tempus vel Solem intelligas, haud ineptè duodecim labores, vel duodecim Anni Menſibus, quibus Temporis revolutio abſolvitur, vel duodecim ſignis Cœleſtibus comparaveris, quæ Sol Annuo ſpatio permeare ſolet. Quod alii Heroëm, alii Philoſophum dixére, fundamentum in duplici Fortitudinis objecto repoſitum credimus: Non ille tantùm Fortitudinis laudem meretur, qui infeſtas Corpori belluas proſternit, ſed & ille, qui Vitia animi, qui Libidinem deprimit, qui Avaritiam tollit, qui Iram ſuperat.

In Gemmis noſtris Diadema eorum ſententiam ſtabilire poteſt, qui Herculem non ſolum, ſed exercitu adjutum labores ſuos ſuſtinuiſſe arbi-

(*a*) l. 5. p. 235. (b) l. 1. Antiquit. Rom.

trantur, Regem enim evincit, quem & ARCHILOCHUS vocat. Calvitie conſpicuum fuiſſe, ad Effigiem Cæſaris Cl. TRISTANUS obſervat; A Ceti, in quo per tres noctes latuerit, calore autumant ortam; Id quod ex Jonæ Hiſtoria depromptum ajunt; unde forſan, ſi opinio vera, & Oraculum, cujus HERODOTUS (*c*) meminit. Corona Populea meritum indicat, quo Populum albam in Græciam primus legitur intuliſſe. Omnia hæc hominem ſapiunt, non Deum; Hominem tamen ex Gentilium opinione ad Deos relatum, multiplex ejus in orbe teſtatur cultus.

XXIX.

HERCULES

cum Clava & Leonis exuviis.

HErcules Pellem Leonis gerit & Clavam. Utraque, pro diverſa conſideratione Herculis, diverſam ſortitur interpretationem; Si Hiſtoriæ vel Fabulæ credas, Clavam apud Saronidem paludem ex Oleaſtro abſciſſam, Pellem Nemæo Leoni detractam PAUSANIAS docebit.

In myſtico ſenſu plura occurrunt. Aliud invenies, ſi Solem intelligas; Aliud ſi Tempus; Aliud ſi Philoſophum. Solis vis in Calore conſiſtit, decus in Splendore Calore Sol intemperiem diſpellit & Aëra purgat; Splendore degenerem Oculorum aciem perſtringit, & adverſus audacem Japeti progeniem ſe quaſi tutatur. Si igitur ſub Hercule Solem intelligas, conſequens eſt, ut ſub Clava Solis Calorem, ſub fulva Leonis pelle ſignifices Splendorem. Jubas ſi radiis compares Solaribus, haud abs ratione feceris. Leonem principale Solis ſignum eſſe eorum ſententia firmat, qui Aſtrorum & Situs deſcribunt & Meatus. Leonem Soli ſacrum antiqui putaverunt. Perſæ mithram cum vultu Leonis effinxerunt.

In Hercule Temporis typo ſub exuviis Leonis ſpolia latitare judicamus ea, quæ rerum duratio detrahere ſolet. Horum, utut crebra ſatis, inviſa tamen recordatio. Gratiora forſan ſub Clava. Robur indigitat. Temporis robur in fluxu conſiſtit. Quod Ratio non poteſt, id interdum Tempus ſanat. Imbres dum cadunt, præterfluunt, dolores dum patimur, evaneſcunt.

De

(*c*) l. 2. c. 38.

De Hercule Philoſopho audiamus: Omnis Doctorum vis conſiſtit in Eruditione, omne decus & munimentum in Prudentia. Quod Clava & Leonis exuviæ Herculi, id Eruditio & Prudentia Philoſopho. Hæc omnes Fortunæ injurias excipit, Illa ſurgentia errorum monſtra comminuit. Olea Pacis ſymbolum eſt, Clava igitur ex Oleaſtro deſumta pacificæ eruditionis indicium. Pellis Leoni exanimato detracta Prudentiæ ortum demonſtrat. Hæc non paratur, niſi poſt acrem periculorum Experientiam, ſuperatasque Fortunæ adverſitates; Illa non irarum fulminibus adverſarios, ſed placidâ rationis aggreditur efficaciâ.

XXX.

HERCULES
cum Cornucopiæ.

HErcules in præſenti Gemma præter Clavam & Pellem, etiam Cornucopiæ tenet. Varia rurſus interpretatio locum meretur. Liceat Solis & Temporis benignitatem laudare, quâ ſublunaribus omnium rerum abundantia creſcit, omnia florent & matureſcunt; Liceat Philoſophorum extollere merita, quorum in prudentiâ præcipuum felicitatis publicæ novimus verſari cardinem. Non abs ratione, qui tunc beatas pronunciavit fore Respublicas, ſi vel Reges Philoſophi eſſent, vel Philoſophi imperarent.

Si ad Fabulas revolvaris, Herculem invenies Acheloo, luctâ cum eo congreſſum, poſt varias figuras in Taurum mutato, Cornu avulſiſſe, idq; accepiſſe Nymphas, & omnis generis repleviſſe, & fructibus, & floribus. Alii ab Heſperidibus hoc factum dicunt. Ovidius Najadibus tribuit. Sunt qui non Acheloi, ſed Amaltheæ Cornu, quòd Hercules factâ permutatione pro Acheloi Cornu acceperat, floribus repletum & cornucopiæ appellatum arbitrantur. Horum opinionem vulgaris fulcit appellatio, quâ Cornu Amaltheæ dictum novimus. Sub Acheloo Acarnaniæ fluvium latere, jam dudum Doctorum Calculo compertum eſt. Sub variis figuris igitur curſus & flexus riparum & alvei intelligi debent, & cornu avulſum reverà nihil aliud fuit, quàm Aquæ ex Acheloo fluvio per agros vicinos deductæ, eæ cum Terram irriguam facerent, uberioremque

florum

florum & fructuum educerent copiam, in Cornu Nympharum miniſterio omni venuſtatis abundantiâ repleto, pulcherrimum Poëtices colorem ſortitæ ſunt. Hanc ſententiam eorum eſſe, qui ex Fabulis verum colligunt STRABO (*d*) arbitratur.

XXXI.

HERCULES & CUPIDO.

Lazul. incis.

MUtilet Acheloum Herculeus labor, vincat Leones, evadat Inferni vincula; amorem tamen exuperare neſcit. Qui Hydram domuerat, Cupidini ſuccumbit; Qui Monſtra, infanti.

Sub Marte & Venere Virtutem Libidine corruptam intelligunt; Eandem & hîc ſub Hercule. Quid gloriam, quid eruditionem tot laboribus, tot periculis parandam putatis, O Heroës, ô Philoſophi! ſi poſteà putidiſſimo libidinoſæ Meretricis conſpurcanda traditur gremio? Ubi Fortitudo, ubi Prudentia, quas tot vel Terrarum, vel Animi Monſtra debellaſſe clamatis? En Monſtrum omni Monſtro monſtroſius! En immanem colubrum multinodis voluminibus, Serpentem veneno noxio colla ſanguinantem, hiantemque ingluvie profundâ! Hunc conficite, huic fulvam obtendite pellem, in hunc nodoſam vibrate Clavam! Incaſſum laboramus. Excuſſa eſt Clava. Nihil juvat Leonis pellis; Et hanc & illam Joles nuditas ei extorſit.

XXXII.

MINERVA.

Sard. excis.

CAſtius, quàm vel Hercules, vel alius Deorum quicunque, Fortitudinis laudem & merita eſt, & conſervavit Minerva. Hujus Effigiem ejusdem

(*d*) Geogr. l. 10.

dem magnitudinis, quâ hic exhibetur, oſtendit Gemma. Galeata eſt; Pectus Ægide munitum; In Ægide agnoſcimus

Gorgona deſecto vertentem lumina collo.

Multas fuiſſe Minervas, Authorum teſtimonio compertum eſt; Omnium tamen Actiones Uni communiter tribuuntur, Jovis filiæ. Jovem Gentilib⁹ Deorum ſummum fuiſſe conſtat, conſtat fuiſſe Cœlum, fuiſſe Aëra. Pro diverſâ hâc conſideratione Jovis, diverſa etiam eſt conſideratio Minervæ: Eſt Providentia Divina; Eſt Summa Cœli regio; Eſt ſumma regio Aëris. Alii Memoriam dixerunt, alii Virtutem Solis; Quidam Lunæ, omnes Potentiam aliquam Divinam intellexerunt, vel per ſe ſummè ſapientem, vel intellectualis Animæ facultatis & Datricem, & Conſervatricem; Ingenia humana pro diverſâ Aëris qualitate, diverſis in locis, videbantur diverſa. Qui diverſitatem ab Aëre pendere putabant, Minervam Aërem dixêre; Qui à Sole, à Luna, ab Æthere, quorum efficacia Aër temperatur, Hi vel Solem, vel Lunam, vel Ætherem putârunt; Qui Hominis id adſcribebant naturæ, Hi vel Memoriam, vel Intellectum Minervam credidere; Qui ad veritatem proximè aſcenderunt, Providentiam Divinam dixerunt, & Jovis Deorum ſummi Filiam; Sed nec Hi erroribus ſe extricârunt; Uti Deum ſummum, ita etiam Dei ſummi Filiam, variis commentis deformârunt; Ex Prudentiæ humanæ contemplatione & ortum deſumſerunt, & habitum; Ex Prudentiæ effectibus determinârunt actiones; Deniq; quasvis vel Prudentiâ, vel bellicâ Virtute præcellentes Fœminas ejus dignati ſunt nomine.

Mentem in capite potiſſimùm regimen ſuum exſerere, Antiquorum opinio fuit. Mentem niſi ignita ingenii vis agitet, nec intellectus illuminabitur, nec memoria valebit. Ignita vis Vulcanus eſt; Vulcanus dicitur caput Jovis bipenni diſſecuiſſe, & ita viragini viam patefeciſſe. Fabulam in Prudentiæ radicatam ſcaturigine, alii ad ſuam poſtea hypotheſin detorſerunt. In Naturalibus, ubi Jovem Cœlum, ibi Minervam dixerunt Cœli Verticem; Ubi Jovem Aërem, ibi Minervam Cœlum; Ubi Jovem Mediam Aëris regionem, ibi Minervam regionem ſummam; ſc. ut ubiqúe ortus ex capite Jovis ſervaretur. Haud diſſimilis circa Minervæ habitum ratio. Si Aërem, Solem, Lunam, aliave naturalia reſpicias, eadem ferè contemplatio erit, quæ fuit in Hercule; Sed iis relictis in ſequentibus de Prudentia videbimus.

XXXIII.

MINERVA.

DIverſas hîc ejusdem Minervæ Effigies agnoſcimus; Omnes tamen, ut & ſuperiorem, Galeatas, & Pectorali munitas; Galeæ Humanâ facie inſignes viſuntur; Ægis ſquamata eſt, ad mentem Poetæ:

Ægida - horrificum, turbatæ Palladis arma
Certatim ſquamis Serpentum, auroq; polibat.

Omnia Prudentiæ genium ſapiunt: Armatam Palladem fecerunt, non tam propter uſum Prudentiæ in Bellis, quàm ex Prudentiæ ipſius naturâ: Homo prudens omnes fortunæ caſus prævidet, prævisos antevertit, robur in pectore gerit, quo Inimicos terreat; Galeam in capite, quâ ſe tutetur. Nec proſpicit tantùm, ſed & cœlum reſpicit; ut intelligas, veram Prudentiam res humanas tractare, cœleſtium tamen non obliviſci. Criſtas ad Prudentiæ decus referimus, quò & ſplendorem armorum, quæ non ære tantùm, ſed & auro, fulgida Poetæ tradunt.

Hæc, niſi Minervam Deam feciſſent Gentiles, ingenioſa ſatis foret Prudentiæ imago. Dum Deam putant, jam deficit venuſtas. Auguſtior eſt Natura Divina, quàm ut fragilibus humanæ imbecillitatis includi debeat vel ornamentis, vel munimentis.

XXXV.

SPES.

HIlari vultu SPES procedit. Spes nihil aliud eſt, quàm animæ, rem dubiam deſiderantis, expectatio. Hanc expectationem cùm impletam

cupe-

cuperent Gentiles, implementum autem extra ſperantis arbitrium cernerent, ad varia delapſi ſunt finem ſuum aſſequendi media. Non ſufficiebat humana induſtria; Ut in omnibus, ita & hîc ad Potentiam divinam abire neceſſe habuit; Eam quòd non agnoſceret, ex humanæ ſpei contemplatione & effinxit, & denominavit. Rem evincit Ratio, teſtantur Hiſtoriæ, firmant Numiſmata; Numiſmatibus accedit & noſtra Gemma.

Juvenculam volunt, non aliam ob cauſam, quàm quòd eâ in ætate Spes laudetur, non res; Hilarem, quòd omne, quod homo ſperat, hilaritatem afferat; Herbam prætendit aut Florem, quòd omnis res ſperata haud aliter ſe habeat ac primum germen, quod jacto ſemine prorumpit, aut Flos quidam eleganti blanditiarum jubare conſpicuus, ex quo Spes quidem, at dubia eſt, fruges extituras; Veſtem gerit Longam, quòd Spes plerunque longa præcedat, antequàm re potiamur; Hanc tamen moram, quòd Spes ipſa tolerabiliorem reddat, veſtis Laciniam tollere perhibetur; Veſtem gerit laxam, quòd res ſperata non in noſtra ſit poteſtate, ſed variis Fortunæ procellis & perpetuo dubitationis vento adhuc obnoxia; Rem ſperatam ex longinquo videmus, id cauſam dedit Gentilibus, ut veſtem transparentem facerent.

En egregium Deæ figmentum! vel habitus impotentiam arguit. Quis ab hac votorum ſuorum ſummam ſibi promittat? Id fecére Gentiles. Spem à Calatino conſecratam meminit CICERO (*e*). Templum extra portam in foro Olitorio ſtetiſſe, Author eſt LIVIUS (*f*). Et Templum & Simulacrum dejecit vetuſtas, nos dejicimus inviſa Divinitatis Simulacra. Potentiam rebus, reſpectu noſtri dubiis, dominantem, Deum aſſerimus; In hoc Spei noſtræ fiducia, ab hoc implementum.

XXXV.

VICTORIA.

VIx unquam majore conſenſu rem dubiam & deſiderant, & expectant Mortales, quàm ubi fervente bellorum incendio, hoſtiles concurrunt

(*e*) II. de Legib. (*f*) l. 24. c. 48 pr. add. l. 21, c. 62.

runt Exercitus. Utrinque Victoria speratur; Utrinque incerta est. Gentiles, neque ex Copiarum numero metiendam, neque ex Militum robore didicerant exemplis, quibus robustissimos ab invalidis, plurimos à pauciſſimis, non uno in prælio, constabat esse devictos. Quid facerent? Latipatentem Creaturarum rimantibus machinam nihil occurrebat, in quo desiderii sui apicem se inventuros confidere possent; Victoriæ igitur Arbitrium Divinæ Potentiæ adscripsêrunt. Id vel ex Iovis Nicii seu Victoris cultu intelligas; Quaquàm in Simulacris non naturam Dei expressêrint, sed obviam contemplationem vel Victoriæ, cujus & nomen gerit, vel Victorum.

In Gemmis nostris vel Navi insistit, vel Graditur, vel Bigis vehitur; in prioribus & Sertum gerit, & Ramum; Ubique visitur Alata. Navi insistit, ut victoriam navalem intelligas; Graditur vel currit, ut Celeritatem; Bigis vehitur, ut bigis obtentam. Sertum laurea est; Ramus vel lauri, vel palmæ. Laureâ Victores coronari solitos in vulgus patet. Id à perpetuo virore profectum crediderim, ut sub honore, etiam Votum perpetuæ felicitatis significetur. Palma suo ex genio recipit interpretationem; Sub magno pondere emergit, ramosque suos contra nitendo explicat; Sic & victoria non nisi inter hostiles exurgit impetus. Alarum ratio varia est: Pars ad Inconstantiam refert, pars ad Velocitatem. Ob velocitatem victoriarum & Galeæ affixas, in Effigie Romæ agnoscimus. Ad inconstantiam retulit Pompejus Magnus: Is cum Alas Victoriæ in Capitolio fulmen dejeciſſet, quòd à Romanis amplius avolare non posset, faustum id interpretatus est; Eâdem ratione, quâ Athenienses Νίκην ἄπτερον *Involucrem* coluêre.

Hæc cùm ita sint; Cùm omnis hic habitus, ut modo vidimus, ex terrenis descendat, Quis non videt, aut Deam non esse hanc Victoriam, aut, si Dea, formis terrenis non fuisse involvendam? Detrahe Vestes, prosterne Simulacra humano effigiata ingenio; Adora, non Victoriam, sed Deum, à cujus nutu omnis præliorum dependet eventus; Sed nec Tibi reserva Victoriarum gloriam; Authori redde. Id etiam Gentiles observasse & suprà dictum est, & clariùs patebit ex subjuncto indubitatæ Antiquitatis Lapide.

LAPIS

I.O.M.
IVL.SECVN
DVS ET IVL.
IANVARVS
FRATRES
V.S.L.L.M.

XXXVI.

LAPIS VICTORIALIS.

HUnc Lapidem, in Aula Electorali Palatina erectum, Cl. FREHERUS dignum judicavit, qui videndi cauſâ vel trans mare adeatur, in Eo IULIUS IANUARIUS & IULIUS SECUNDUS FRATRES votum Jovi O. M. Libentes Meritò ſe ſolviſſe, teſtantur & Inſcriptione, & Aquilâ Coronam querceam ſuſtinente. Vota hæc pro victoriâ quâdam ſoluta, Simulacrum Victoriæ perſuadet, Clypeo arbori affixo, neſcio quam Inſcripturæ. Qui ſint illi Fratres JULIUS JANUARIUS & JULIUS SECUNDUS, non adeò patet; Neque enim dicere auſim, hunc JULIUM SECUNDUM eum eſſe, cujus in Dialogo, quem vulgò TACITO, alii QUINTILIANO adſcribunt, inter claros Oratores extat mentio. JANUARIÆ MARINÆ, VIVII MARIANI, HADRIANI per Britanniam legati uxoris meminit Lapis Sepulchralis inter *Marmora Oxonienſia n. 147.* Sed quid huc facere poſſit, non video; Quicunque fuerint, non Jovi tantùm honorem habuerunt, ſed & Vulcano & Fortunæ. Vulcano procul dubio ob ſuppeditata arma bellica, vel aliud quoddam Ignis beneficium. Fortunæ autem pro felici, quem experti fuêre, rerum ſucceſſu; Unde nec dubium, qui omne meritum Diis acceptum tulêre, moderatius victoriâ uſos, quàm plerunque fieri ſolet, dum inflati proſtratis inſultare pergunt. Rari ſunt, qui Leones imitantur, quibus ſuper ire ſatis eſt; Inde ſi & victi vindictam ſpirent, quis Paci locus?

XXXVII.

PAX.

OB utilitatem Gentiles plerosque Deorum ſuorum, vel ad Divinitatem evexiſſe, vel humanis Simulacris involviſſe, ex hactenus dictis appa-

ret, id factum & in Pace. Aurea hæc rerum humanarum Nutrix, admotâ Face juxtà jacentia comburit Arma; Non quæ quietem cuſtodiunt, ſed quæ Rempublicam turbant & evertunt. Virgo pingitur, non tàm quòd virginitatis in Pace ſit & honos & ſecuritas; Quàm quòd omnia virginei inſtar decoris & vigeant, & floreant. Dextra ramum Palmæ præfert & Oleæ. Palmam Paci dari inſolitum eſt; Victoriæ potiùs, ut dictum, tribuitur; Aptè tamen cum oleâ conjunctam arbitror, ut victores officii ſui admoneantur, palmasque ſuas porrigant Paci, cujus gratiâ bella debent & ſuſcipi, & confici. Oleam ex proprio rurſus naturæ ſuæ genio explicandam arbitrantur. Ferrum, inquit, belli ſymbolum, ut emolliant fabri, candens oleo intingere conſueverunt; Inde hieroglyphicum deſumtum, inde mos, ut per Oleam Pax, quæ & ipſa bellum enervat, ſignificetur, & Pacificaturi Oleæ ramum præferant. Ratio haud ſatis arridet. Mirum, ſi Pacis ſymbolum ex officina ferraria deſumſerint Antiqui. Quidni in generaliore ſimul & notiore ſubſiſterent Olei Natura? Non ferrum tantum emollit, ſed omnia, quæcunque contingit, lævigat & placidâ pinguedine demulcet; Haud aliter Miſericordia & Pax. Quodcunque contingit dulciſſima hæc Humanæ felicitatis Biga, id ex rudi malorum turbine ſublevat & leniore favoris aurâ perfundit. Sic, idem eſt & Olei & Pacis genius; Ex eodem genio hieroglyphicum; Non quidem ut Oleum præferatur, ſed Olei procreator Ramus, in cujus perpetuitate non minus, ac in Lauro, perpetuæ felicitatis videtur latitare Votum.

XXXVIII.

FIDES PUBLICA.

NEquicquam componitur Pax, niſi Fides utrinque ſervetur. Sanctiſſima hæc tranquillæ felicitatis Conſervatrix & ipſa meruit, quæ Numinum inſereretur cætui. Cultum, ſi Hiſtoriæ credas, debet vel Romanorum Progenitoribus, vel Romanis ipſis; Originem divinitatis, ſi Rationi aſſurgas, vindicabis Deo. Hiſtoria ejus ædem in Capitolino, vel ab Ænea, vel Æneæ filia hariolatur ædificatam; Alii Numæ id honoris tribuunt, conſecratamque ajunt ab Atilio Calatino. Ratio primævum, ut omnium Virtutum, ita & Fidei exemplar non in homine, ſed in eo, qui ut omnium rerum

rum, ita hominis etiam, & Creator eſt, & Rector. Hujus fidem pluribus in locis exultabundus ebuccinat Regius Propheta: Gentiles, licet eam ignorarent, ſuſpicabantur tamen. Deum ignorantes, quî noſſent Virtutem cum Deo eandem? Deum ſuſpicantes, ſuſpicabantur & Virtutes Divinas; Suſpicionem prodit Silius (g): *Fides,* ait,

ante Jovem generata, decus divûmq; hominumq;.

Decus aſſerit, non Hominum tantùm, ſed Divûm etiam. Generatam ait ante Jovem; Procul dubio quòd ante Jovis Nativitatem ex Gentilium opinione jam Cœli Terræque Machina extiterit, Diisque & hominibus fuerit habitata; Idem Silius *Tirynthium ad limina Sanctæ,* ait, *contendiſſe Fidei, ſecretaq; pectora tentaſſe*; Additque, *Deam lætam arcanis, Polo tum fortè remoto, Cœlicolûm magnas volviſſe conſciam curas.* En alterum ſuſpicionis Ethnicæ documentum! Conſtantiſſimam cordis humani ſinceritatem, cujus paſſim exempla occurrebant, humanarum virium eſſe, non poterant non negare; Divinæ cuidam Potentiæ in fidelibus efficaci, non poterant non adſcribere; Hanc faſſi, quidni in Cœlo locarent? Hactenus ferenda rationis operatio; At ubi à reliquis Cœleſtibus diſtinguit, jam errorum

Una Eurusq; Notusq; ruunt, creberq; procellis
Africus.

Propria debebat aſſignari Regia, propria Figura, propriæ Actiones, Regia ubi collocaretur, niſi in remoto Cœli Polo? uti Fides Virtus habitat in pectoris intimo; Figura quæ daretur, niſi cognitarum nobiliſſima? Humanam dico, cujus tamen ornamenta & ipſa ex fidei contemplatione deſumenda erant, ut ratio officii conſtaret. Intuere veſtem! nullis ea pigmentis fulget, ſolo Candore celebratur. Horatio *albo* dicitur *velata panno*; at in ſequenti

Velata non eſt, ſed à tergo dependet Chlamis. Fœminam & vultus arguit, & colligati Fœmineum in morem Capilli. Nuditas in hâc Corporis, ut & in ſuperiore brachiorum, evidentem fidei & utilitatem indigitant, & infucatam ſinceritatem. Ad ſinceritatem tendit & veſtis Color. Actiones ex communi fidem ſervantium effinguntur genio. Hi quod de Dea

(g) l. 2. de bello pun. ſecund.

Dea cecinit Poëta, volvunt curas; non tam ſuas, quàm eorum, quibus Fidem dedêre; Honeſtis delectantur, turpibus affliguntur; Lætantur taciturnitate, nulla neceſſitate ad fallendum coguntur, nullo corrumpuntur præmio: *Ure*, inquit, *qui Sanctiſſimum hoc humani pectoris poſſidet bonum, cæde, occide, non prodam*; *Sed quo magis ſecreta quæret dolor, hoc illa altiùs condam.*

Varia eſt hominum in Terris Conditio; Ex varia conditione varia cognomina Fidei, varius ſimulacrorum habitus: Eſt FIDES MUTUA AUGUSTORUM in Numiſmatibus Pupieni & Balbini; FIDES MILITUM, EXERCITUUM LEGIONUM; Hæc in Albini, iſta in Hadriani & Elagabali, illa in Gordiani & Macrini. In priore Gemma eadem plane, quæ in Domitiani Nummo, cum elogio PUBLICÆ viſitur; procul dubio ad differentiam Privatæ: Quanquam ſi verum fatearis, differentia in Dea nulla ſit; In perſonis latet, quæ fidem dant; vel in rebus, de quibus datur; Ratione publicarum, Publica eſt; ratione privatarum Privata. Ex utraque utilitas; Ex publicâ tamen major. Regionum ea felicitatem continet, cùm Privata ſingulorum hominum. Intelligis rationem, cur non Spicas tantùm teneat Publica, ſed & Calathum præferat variis fructuum generibus repletum. Antonius Augustinus præter fructus vel Aviculas, vel Corda intelligit, vel etiam Cymbam ſpicis refertam ſive Tritici menſuram. Oiſelius indicium eorum credere mavult, quæ Fidei Publicæ in ſacrificio fuerint oblata. Diis quid homines offerant, niſi quæ à Diis accepêre? Omnia hæc ingenioſè, minùs tamen pro dignitate; Fidem non eſſe Numen per ſe, ſed unici Numinis attributum, ſi aliud non, certè JUPPITER FIDIUS demonſtrat, qui aliter & FIDEI SPONSOR dicitur.

XXXIX.

ÆQUITAS.

Æquitas etſi reverà nihil aliud ſit, quàm Juſtitia, in Antiquis tamen Monumentis ab hac ſolet diſtingui. An Jure Conſulti diverſitatem procu-

procuderint, non auſim decernere. Certum eſt, in Foro Juſtitiam Legum rigorem, Æquitatem autem rigoris ſignificare Temperamentum.

In Nummis utraque pingitur Virgo, ſed Illa Diademate redimita & vultu ſevero, Hæc capillis religatis & gratioſa; quam diverſitatem Jureconſultorum opinioni ſubſcribere, nemo non videt. Quicquid ſit, ſi dignitatem excipias, quâ per Diadema Regium Tribunal aſſeritur, in Æquitatis etiam Simulacro venerandæ videas Juſtitiæ munia. Eorum Tria præcipuè recenſentur Jurisconſulto : *Honeſtè vivere, Neminem lædere, Suum cuiq; tribuere.* Cùm autem, qui ſuum cuique tribuit, ille & honeſtè vivat, & à læſione alterius abſtineat; Qui autem priora duo violat, ille nec ſibi tribuat, quæ ſua ſunt, nec Proximo, quæ ſunt Proximi; Jam conſtat, unicum illud *Suum cuiq; tribuere* omnes Juſtitiæ explere gradus.

Res, quæ tribuuntur, tribuuntur vel Pondere, vel Numero, vel Menſurâ. Numeri equidem nullum in noſtra Gemma apparet veſtigium; Ponderis verò & Menſuræ ſunt clariſſima. Bilanx cernitur, & Pertica menſoria, uſitata Juſtitiæ adminiſtrandæ Inſtrumenta. Ex bilance ſpicæ conſurgunt, ut uberrima Juſtitiæ agnoſcas, & Æquitatis emolumenta. Omnia hæc Æquitatem ſapiunt, qualis ab homine ſolet exerceri; Si in Cœlos aſcendas, quid Æquitas Dei, niſi Deus ipſe? Si alterum tollis, tollis utrumque. Non abs ratione Æquitatem Iovi aſſidentem finxit SOPHOCLES (*h*).

XL.

CYBELE.

QUò contemplamur virtutes, Matrem autem Deorum hactenus obliviſcimur? An quòd rugis obſita, minus venuſtatis præfert? Quâ de

G cauſa

(*h*) in Oedip.

cauſa Poëtis *grandævam* dictam novimus, & *veternoſam anum*; At aliis nominibus ſatis commendatur; *Cybele* dicitur, à Cybelo Phrygiæ monte, in quo ejus ſacra primò inſtituta creduntur; A monte Berecyntho, *Berecynthia*; A potentia, *Mater magna*; A benignitate *Ops*, quòd opem ferat; & *Rhea* ἀπὸ τῆ ῥεῖν *à fluendo*, quòd ejus munere omnia largiter affluant, omnes paſcantur.

Numen, cujus munere omnia affluunt, omnes paſcuntur, aliud non eſſe, quam Verum Deum nemo noſtrûm ignorat. Simulacrum Gentiles, ex contemplatione Terræ deſumſerunt, cujus ex gremio Numen illud benignitatis ſuæ munera profert. Veritatem vel ex Cybeles veſte colligas, quam variis & herbarum & florum generibus depictam accepimus. Eodem pertinet & Corona Turrita, quæ nihil aliud, quam oppida ſignificaverit & Arces.

Hæc ingenioſè quidem, ſed Vulgo Gentilium nimis obſcura. Quid Numinis agnoſcat ſub Vetulâ, Turribus ornatâ? Quid, inquam, niſi ipſam Terram? Hanc Numen putavit, Hanc coluit, Hujus filios Cœlo inſeruit. Agnoſcite quorundum Deorum Gentilium originem! Terrigenæ fuerunt & mortui. Divinitas à ſolâ Poſterorum opinione pependit. Mortui ſunt & in annoſæ ſuæ matris gremium redierunt. Hæc Natis ſuis quot jàm ſecula ſupervixit? Injuſtè facis, ſi, unde rugas contraxerit, mireris.

ANACEPHALÆOSIS.

DEorum quorundam Gentilium hactenus contemplati ſumus & Simulacra & Actiones; Pauca, ſi ad reliquam Cimeliarchii Electoralis exigas ſupellectilem; Pauciſſima, ſi immenſum figmentorum agmen. Attamen vel ex hoc ſpecimine patebit, quàm præpoſterè in fabricandis Deorum cætibus inceſſerit ratio.

Quid

Quid Juſtitia & Fides? Virtutes ſunt; Si hominis, extra humanæ imbecillitatis Sphæram non elevandæ. Quid Pax & Victoria? Dona Dei ſunt, à Datore diſtincta. Si cum Datore eaſdem arbitreris, quid diſtincta figurarum involucra? Pallas & Hercules vagabundo judicio variè explicantur, ubiq́ue tamen tantis immerſi perverſarum opinionum ſordibus, ut vix divini quid extorqueas. Diana Lunam arguit, Bacchus, Serapis, & Apollo Solem. Lunam & Solem cœleſtia corpora novimus, non Numina; Si Numina, quid corporeas affingis qualitates? Venerem cum Pharetrato Filiolo impudica Libidinoſorum curioſitas procudit; Mercurium devota diteſcendi Cupido; Martem religioſus militantium ardor. Numen, quod Bella, quod Artes, quod Amores moderatur & fœcundat, Deus eſt. Ad hunc dum aſſurgere Cæcitas neſcit, Deorum ſomniavit umbras. Umbras diſpellat illuſtrior rationis Radius, nusquam divini quid inveniet: niſi in Deo, & Uno, & Vero.

Non eſt, quòd arbitreris, Gentiles Hunc latuiſſe; Unum faſſi ſunt, in multitudine etiam immenſâ. Plurimi plerosq́ue confuderunt: Confuſio iſta unius eſt confeſſio. Sapientiores rem apertius. Audiatur ORPHEUS:

Primus cunctorum eſt,
(inquit ille interprete APULEJO,)
Et Juppiter ultimus idem,

Juppiter & Caput & Medium eſt, ſunt ex Jove cuncta.
Juppiter eſt Terræ baſis, & Stellantis Olympi.
Juppiter & Mas eſt, eſtq́; idem Nympha perennis.
Spiritus eſt cunctis, validusq́; eſt Juppiter Ignis.
Juppiter eſt pelagi radix, eſt Lunaq́;, Solq́;.
Cunctorum Rex eſt, Princepsq́; & originis Author;
Namq́; ſinu occultans dulces in luminis auras
Cuncta tulit, ſacro verſans ſub pectore curas.

En Jovi tribuit omnia, quæcunq́ue per immenſum Deorum agmen diſtribuit aliorum error; Quæcunq́ue Deo Vero divinitùs illuminata Chriſtianorum Religio. *Primum* dicit & *ultimum*; Quis non ex Prophetico JOHANNIS ore hæc crederet pronunciata? *Ignem* vocat, qualem & Sacræ Paginæ Deum. *Pelagi radicem* nominat, nominat *Lunam*, nominat *Solem*; Quid Apollinem crepas? Quid Dianam aut Neptunum per-

versa Gentilitas? Deus est, qui Solem creavit & Lunam; Deus est, cujus ad nutum

Inflantur tumidi stridentia murmura Ponti
Horrisonæq; cadunt, undâ metuente, procellæ.

Omnia lustra. De nomine litem invenies; Et ne de hoc quidem: Quem Latini à juvando vocant, Eum Græci à vivendo; Utrique haud indignâ Deo appellatione.

SECTIONIS PRIMÆ

Caput II,

CONTINENS

ILLUSTRIORES QUORUNDAM, EX GEMMIS, EFFIGIES, ACTIONESQUE TUM PROFANAS, TUM SACRAS.

Iſſident, nec ullâ ratione videntur convenire Mars & Apollo. Hic Pace gaudet, Ille Bellô; Hic amabili Muſices concentu, Ille horrido Præliorum Strepitu; Alter Laureâ inſignis eſt, Alter Galeâ. Mars Clypeum jactat, Apollo Citharam; Ille Haſtam, Hic Plectrum. Diſcordiam vel ex utriusque colligas Aſſeclis: Qui Martem ſequuntur, imbelles Apollinis Cultores præ Martio robore contemnunt; Qui Apollini ſtudent, Militarem calumniantur ferociam. Si utrosque conferas, vix dixeris, utri vincant? Vidimus fugientes cum

Apolline Muſas,
Cùm ſua fulmineo quateret Mars arma boatu;

Vidimus languentem

cum belli fulmine Martem,
Dum Phœbus tenerâ reſonaret carmina Chordâ.

Doctis triumphantibus, Milites deprimi solent; Militibus elatis, succumbere Docti. Bilanci similis videtur Utrorumque fortuna; Sæpissimè inæquali agitatur, rarò æquali libratur pondere.

Hæc, utut experientiâ vera, nullâ tamen ratione procedunt in iis, qui vel altioris animi sunt, vel ætheream agnoscunt Potentiæ sublimioris Majestatem. Aras accedat sive Miles, sive Philosophus, uterque supercilium deponat, necesse est. Qui Cœlesti agitantur Spiritu, indivisum agnoscunt Sapientiæ & Fortitudinis Conjugium. Divina has Mundo intulit Sapientia, non ut contrariis motibus se invicem abolerent; Sed ut altera alterius ope subsisteret. Mars sit Apollinis Propugnator; Apollo Martia facinora æternitati inferat: Sic in Pace Miles, in Bello Philosophi, dignô utrique radiabunt jubare. Quid Pallas, si Prudentiam tollas? Quid Pallas, si Fortitudinem? Hæc duo in Una conjunxére Gentiles, ut utriusque superbiam temperarent, laudandasq; Principum quorundam proponerent ardores, qui non tantùm suis in regnis clarissimos hos publicæ felicitatis fontes aperiunt, sed & ipsi in se pulcherrimi nexus ostendunt documenta; Literas colunt, Gladium non abjiciunt; Bellicos sectantur clangores, non ut Musarum domicilia diruant; Sed publicam ut stabiliant tranquillitatem.

Non hîc in Exemplum adduco hodiernas felicioris Imperii Columnas. Modestia adulationis notam impinget, si vera proferas. Inspice venerandos plurium, quos vetustas reliquit, vel Regum & Imperatorum vel Philosophorum etiam & Poetarum Vultus; Invenies qui ex Schola in Bellum proruperint: Invenies qui Scholasticas scientias Regali & Imperatorio Solio intulerint. Nos præsenti capite quosdam dabimus, ut asserti veritas constet; Dabimus & alios, variis, sive virtutibus, sive vitiis cognitos; Et cùm omnes, quanti quanti fuerint, Deorum tamen Majestati succubuerint; Ad finem quosdam ritus contemplabimur, quibus Numina sua devenerari Gentilibus mos fuit.

Plura occurrent in Numismatibus.

AGMEN

Agmen non Heroum tantùm, & Virorum Principum; Sed Sapientum etiam optimo Jure ducit

ALEXANDER MAGNUS.

achat. inciſ.

SI reſpicias remotioris doctrinæ Theſauros; Si intuearis Martium fortitudinis Robur; Si conſideres celſiſſimæ Majeſtatis Jubar: Omnia deprehendes in Uno. Alexander Bucephalum domuit, ſed Sapientiâ; Domuit immenſa Orientis Imperia, ſed Prudentum armis. HOMERI Scripta circumtulit, laboribus ſuis non tàm Solatium, quàm Oraculum. Prælia & Obſidiones inſtruxit, Virtutis Palæſtram. Sic æternum nomen apud Poſteros adeptus eſt, Gloriam intulit Cœlo, cujus convexa etiam in terris intueri ſolebat.

Projectam contemplare cervicem, contemplare oculorum lenitatem. Hæc duo LYSIPPUS, à quo ſolo fingi voluit, ad unguem expreſſiſſe PLUTARCHO memoratur. Projecta cervix Heroicos commonſtrat Alexandri Spiritus, quibus & à juventute inclaruit. Nihil humile perquirentem Perſarum Legati mirabantur, judiciiſque veritatem Regni ſui in ruina invenerunt. Nectant alii dolos, Artibus tractent bella, Hic aperto Marte congrediebatur, Hic Fidem vel hoſtibus præſtitit, clementiâque temperavit præpotentis animi rigorem.

Clementiam agnoſcis in Oculorum Lenitate; Hanc ſi non Thebæ expertæ ſunt, non Tyrus, imò nec Amicorum quidam, quos miſerrimâ morte legitur confeciſſe; Cogita, non crudelitatis in his, ſed Juſtitiæ exſtare monumenta. Qui Rebelles concuſſit, qui ſervos Dominorum ſanguine pollutos ſuſtulit, qui ſuæ inſidiantes vitæ dignô affecit ſuppliciô; Non crudelitatis notam, ſed Juſti meretur encomium. Alexander cui nocuit, non provocatus? Quid egit abſque ratione? Intemperantem ais; at Ethnicus Deum æmulabatur. Superbiam culpas? At Rex erat, at Heros.

ros. Reges Dii ſunt, Heroes Semidei. Illorum in culmine Natura Alexandrum collocaverat; Ad horum merita ducebatur cœlô, ducebatur ingeniô. Cùm Herculis, cùm Bacchi adæquaſſet facinora, quid mirum, quod eosdem expetierit honores?

Quod de aſſumptô devictarum Gentium veſtitu objicitur, levius eſt. Veſtitu; accenſetur Ornatus, Ornatui Diadema; Etiam in hoc moroſiores inveniunt, quod ſugillent. Perſicum Eum aſſumſiſſe diſplicet: Quid Perſicum à Communi? Colore, ajunt, diverſum erat & Odore; Præcipuis ſc. mollitiei & luxûs inſignibus. Commune candidum erat, Perſicum autem, quod Alexander aſſumſit, purpureum albô diſtinctum fuiſſe Curtius (*i*) prodidit. De odore teſtabitur Athenæus (*k*). *Inſigne*, inquit ille, *quod Reges Perſarum ſuis capitibus imponunt, voluptatem eos captaſſe minimè negat; id enim, uti ſcribit Dinon, ex Myrrha præparabatur, & odore illo quem Labyzon nuncupant; Suaviter à Labyzos olet, & multò pretioſior eſt, quàm Myrrha.*

Quid odoris Labyzos ſit, hic inquirere ſuperſedeo. Stultitiam mirari ſubit eorum, qui Tanto in Rege culpant, quod patrarent ipſi, ſi vel mediocri afflarentur Fortunâ. Quid Victoria, ſi rebus Victoriâ partis non liceat uti? Cui bono Naturæ & Artis opera, ſi Regibus negentur?

II.

ALEXANDER GALEATUS.

FAciem Alexandri vidimus, ſed Regio Inſigni conſpicuam; Hic intuemur eandem, ſed in bellico apparatu. Caſſidem gerit, qualis in pugna comparere ſolebat; qualis in Oxydracarum Urbem ſe ſolum memoratur immiſiſſe.

Etiam hoc Alexandri facinus Cenſorum experitur virgulam. Temeritatem, clamant, non Fortitudinem; Facinus ne milite quidem dignum tantum

(*i*) l. 3. (*k*) l. 11.

tantùm abeſt, ut Rege. Adeòne generoſos Regiæ Majeſtatis Spiritus intra Palatii ſepta, intra ſatellitum agmina concludunt, qui modo molliorem in ea cultum damnaverant? Adeòne ſui immemores, ſupercilio ſuo ſubjectos arbitrantur, quos Divina Providentia in ſupremum terrenæ poteſtatis culmen evexit? Adeòne omnem Principum curam DEO, omnem in DEUM fiduciam Principibus abjudicant? Non norunt Alexandrum, qui factis ejus inſultant; Quid dignius erat Rege, qui Orbem Terrarum animo conceperat, quàm ſuo Exemplô, militibus oſtendere, quibus artibus hoſtilis pervicacia eſſet frangenda? Noli Alexandrum culpare, ſed militum perſtringe ignaviam, quòd non eodem ardore, quô Rex, in mœnia evaſerint, quòd non eâdem audaciâ in hoſtiles ſe immiſerint exercitus.

Legerat Alexander Homeri Scripta; Græcorum Principes contemplatus erat, non reſides domi, ſed in periculis primos. Hos quidni imitaretur? Imitatus eſt, & in æternam eô factô ſurrexit Gloriam, oſtenditque: Gloriam hodiernos etiam manſuram Principes, ſi non Præfectis ſuis prælíorum momenta concredant, ſed ipſi præſentes dirigant, ſi non Ducum tantùm, ſed & militum exequantur officia; Neque enim ſibi Fortitudo periculum creat, ſed ſecuritatem circumponit, exercitûs robur adauget, Inimicos terret, fidem ſubditorum confirmat, tandemque

Candida ſublimi vehitur ſuper æthera curru.

III.

LYSIMACHUS.

Sard. inciſ.

AD oſtentandam Virtutum Gloriam Plurimi non propriis, ſed alienis utuntur Inſignibus; His autem quid aliud innuunt, quàm eos, quorum ornatum ſibi decorum arbitrantur, longè ſe fuiſſe meliores?

Non inficianda hæc imbecillitatis confeſſio eſt; Inter homines tamen non toleranda tantùm, ſed inſuper fovenda. Ubi Virtus, ſi Virtutum fomitem tollas? Ubi Virtutum fomes, ſi Gloriam? Ubi Gloria, ſi humanarum

narum Dignitatum gradus ? A minimis ad ſumma enitendum. Non omnes ad culmen pertingunt. Quibusdam vel ad media penetraſſe pulchrum eſt ; Omnes tamen exantlatorum venantur laborum ſuorum teſtimonium. Unde illud ? Non ab iis, qui minores ſunt : ſic merita ſua deprimerent, ſed ab iis qui dignitate Majores, ut extollantur. Exemplum illuſtre exhibet renata ex Alexandri, Maximi illius Orientalium Regnorum Domitoris, funere Regum Soboles. Plurimos horum, ut ſe & æmulos oſtenderent, & legitimos Succeſſores, projectam cervicem imitatos, PLUTARCHUS Author eſt. Numiſmata rem ad oculum demonſtrant; ſed clariùs adhuc propoſita Gemma.

Lyſimachum cernis, fortiſſimum Thraciæ Regem, qui cùm Alexandrum comitaretur, inter militares ſtrepitus Sapientiæ ſtudia in tantum non neglexit, ut Calliſtheni, vel caveæ incluſo, operam dederit.

En verum Palladis Cultorem ! Hunc reſpiciat tenebroſæ Plebeculæ cacoëthes, & deſinat præ corporeo robore aciem mentis contemnere. Hunc reſpiciat imbelle Doctorum Vulgus, & deſinat corporis vires calumniari.

Conſultando opus eſt ; Ubi conſulueris, maturè facto ; Illud Sapientiæ, hoc Roboris officium eſt. Utroque fulſit Lyſimachus; Cùm ob porrectum Calliſtheni veneni poculum Leoni objectus eſſet, Herculeis viribus, Palladio invento, feram legitur exanimaſſe, tantæq; inde exiſtimationis fuiſſe, ut in fronte vulnerato, cùm ſanguis aliter claudi non poſſet, demptum ſibi Diadema Rex ipſe imponeret.

Quod illuſtrius Virtutum ſuarum monumentum jactaret Lyſimachus? Projecta Cervix cum pluribus ei communis erat, ſed Diadema Filii Ammonis, quod Regni ei auſpicium dederat, erat proprium. Hoc jactavit: Hoc in Numiſmatibus, hoc in Gemmis; Id vel ex cornu cognoveris. Audi LUCANUM (*l*)

ſtat certior illic
Juppiter, ut memorant; ſed non aut fulmina vibrans,
Aut ſimilis noſtro; ſed TORTIS CORNIBUS AMMON.

(*l*) L. 9.

HAN-

IV.

HANNIBAL.

Prudentiam & Fortitudinem præcipuas bellicorum Ducum Virtutes eſſe, vix videtur dubium. Prudentia, quid ſibi conducat, quid hoſti noceat, prævidet; Locorum ſitus rimatur & qualitates: qui Caſtris, qui Prœliis apti? Unde Annona, aliaque Exercitui neceſſaria? Quæ Hoſtium Vires? Quibus artibus Prœlia? Qui Prœliorum eventus? Unde novi milites? Unde Arma? Fortitudo pericula contemnit, in Aciem progreditur, hoſtium agmina rumpit, conſtantiſque audaciâ in Prœliis durat, donec proſtratis, contra quos depugnat, exercitibus, Victoriæ ſibi cedatur gloria.

Virtutibus opponuntur totidem vitia. Imprudentia ſc. & Ignavia. His qui vel involvuntur, vel diffluunt, rarò glorioſi quid peragunt; Si peragant, non ſuis id ex Viribus, ſed ex Potentia procedit humanis Viribus majore. Divina ea eſt, quæ non Imprudentibus tantùm dominatur & Ignavis, ſed Prudentibus etiam & fortitudine ſuâ celebratiſſimis; Non ſemper immediatè, ſed mediante interdum humanæ conditionis vertigine.

Ignavi ſuâ culpâ pereunt: Sed Fortes, ſed Prudentes alienâ. Græciam perluſtra! Quot & quantos Viros non depreſſit invidia? Sed quid pluribus? Hannibalem intuere! Si Vires deſideres ſive Prudentiæ & Fortitudinis, ſive Imprudentiæ & Ignaviæ, ſive deniſque Invidiæ & Calumniæ; in Unius Vita invenies quascunque. Hic Odium in Romanos, non in cæcam ultionem effudit, ſed prudentiſſimô Conſilio Italiam in Italia quaſſavit. Hic non ignavus intra minas ſtetit, ſed Alpium clauſtra perrupit, oppoſitos Romanorum exercitus cecîdit, ipſamque ad Urbem ſua poſuit Caſtra. Teſtis Victoriarum eſt Rhodanus; Teſtes ſunt Padus, Trebia, Traſimenus. Ut alia taceam, quibus ubique fortiſſimi juxta & prudentiſſimi Imperatoris ſolertia fulſit.

At eundem non abs re forſan Imprudentiæ etiam, & Ignaviæ argueris. Poſt Scipionem fuſum, Sempronium devictum, Flaminium proſtratum, poſt infectas Romano ſanguine Cannas; invictum Alpibus, indomitum armis, Campaniæ, quis crederet? Soles, & tepentes fontibus Bajæ ſubegerunt. Acceſſit & aliena vis: Patriæ neceſſitas, & Civium invidia; Illa, ut revocaretur, effecit; Hæc ut ab Imperio removeretur, ejiceretúrque in exilium. Nondum ſtetit Fortunæ iniquitas. Antiocho, ad quem fugerat, calumnia ſuſpectum fecit. Apud Pruſiam, hoſtium invidia oppreſſit. Quis Prudentiâ poſthac, quis Fortitudine gloriabitur? Si tantum Invidiæ, tantum Calumniarum robur?

V.

THESEUS

paterna depoſita petiturus ſaxum attollit.

Sard. incis.

AQuilæ prætentant vires, antequam ventorum ſe committant turbini. Leones non emittunt Catulos, niſi ſufficiente contra injurias inſtructos Robore. Hæc in animantibus adumbrata, ſanioris Prudentiæ præſcripta, tantò juſtiùs obſervant Homines, quantò, rationis illuminati radiô, cæteris animantibus præſtant. Omnibus Cura ſui innata eſt, omnibus Cura ſuorum. Parentes & fovent filios & informant; Filii niſi exploratis viribus in Publicum non procedunt; Ubi exploraverint, timidâ etiam tum Parentum anxietate, pericula aggrediuntur, debellatisque Vitiorum Monſtris, Patriæ ſecuritatem pariunt, ſibi gloriam. Generoſiorum iſta Indoles eſt, Aquilas imitantium, imitantium Leones; Illæ ne fulmen quidem, Hi nec ullas inſidiantium extimeſcunt Furias.

In propoſitâ Gemmâ indubitatum invenies, ex vetuſtate, aſſerti Teſtimonium. Non Elegantiâ tantùm fulget, ſed & Argumentô. Ut hoc majore cum voluptate cognoſcas, illius efficiet ſplendor. Tantô artificiô cælata eſt, ut in cælatura vivus quaſi corporis motus appareat. Dulcior tamen Hiſtoriæ ſuavitas.

The-

Theſeum cernis, celebratiſſimum illum Civilis, in Attica, Concordiæ Authorem. Filius is erat Ægei & Æthræ, ex conjunctione non ſatis juſtâ. Non obſtante hâc, ſumma tamen fuit Parentum pro eo ſollicitudo, ſumma ipſius Generoſitas, tantusque, ubi Vires ſuas agnoverat, ardor, ut ſpretis, quos Parentes ſuaſerant, tutioribus viis, immani hoſtium potentiæ obviam proceſſerit, devictisque, quos bonis infeſtos reperiebat, non publicam tantùm firmaverit tranquillitatem, ſed in æternam etiam ſurrexerit gloriam. Peripheten in finibus Epidauri interfecit: Sinnin Pityocamptem in Iſthmo ſuſtulit: Crommyoniam ſuem occidit: Scironem pro finibus Megaricis oppreſſit: Cercyona Arcadem Lucta ſuperavit. Non Pallantidas memoro, non Minotaurum. Primum intuere Robuſtæ Fortitudinis ſpecimen, quo, ut Patrem requireret, ingens ſaxum ſuſtuliſſe, abditaque ſub eo generis indicia legitur abſtuliſſe. Et Genus, & Factum, ſimul cum Parentum pro Salute ejus ſollicita cura, accipe ex PLUTARCHO. *Ægeus de Sobole ſollicitus, cùm interrogaſſet Pythiam, Oraculoq; monitus eſſet, ne ullam Mulierem attingeret, priusquam appuliſſet Athenas, non intellectis ſortibus, Trœzenen profectus eſt, ad Pittheum, Filium Pelopis Virum tunc temporis doctiſsimum juxta & ſapientiſsimum. Ab hoc, non conſtat quâ mente, aut inductus, aut circumventus, cum Æthra conſuevit; Certior poſtea factus, cum Pitthei Filia ſibi Concubitum interceſsiſſe, ſuſpicatusq; prægnantem, ENSEM ET CALCEOS SUB SAXO ABDITIT ingente, ET QUI SINUM habebat ad complectenda depoſita congruentem; factum ſoli indicavit Æthræ, præcepitq;, ſi filium ex ſe edidiſſet, & is in ætatem Virilem adultus, ſaxum valeret attolere, & aufferre relicta, ut eum ad ſe, conſciô nemine, ſed quoad fieri poſſet, maximè clam omnibus, cum depoſitis mitteret. [Pallantidas enim formidabat, quinquaginta Pallantis Filios, qui inſidiis eum appetebant, deſpiciebantq; propter orbitatem.] His ita peractis diſceſsit. Edito Filio Nomen Theſei datum, ſive à poſitione illorum indiciorum, ſive ob adoptionem, ſive quòd Comas ſuas Apollini ſacraverit. Adoleſcenti CONNIDAS adjunctus, Vitæ & Studiorum Rector. Cùm adoleviſſet, & præter Corporis robur in eo, & Fortitudo eluceret, animusq; ſolidús, cum Sapientia & Prudentia conjunctus, Æthra eum ad ſaxum duxit, edoctoq; de ſuo ortu aufferre juſsit Paterna Inſignia, atq; Athenas navigare. ILLE SAXUM SUBIIT, ET FACILE APERUIT; verùm navigare abnuit, quamvis tuta eſſent omnia, Avus inſuper inſtarent & Mater.*

Clariorem Gemmæ noſtræ Interpretationem quis deſideret? Quis tutius aſſerti Teſtimonium? Sollicitus Pater pro Filio, nedum nato, & ſigna reliquit, quibus agnoſceretur ipſe, & monita dedit, quibus Filius ab inimicis

micis ſervaretur. Mater in Educatione occupata, Connidam Rectorem ei adjunxit. Ipſe in ædibus maternis perduravit; Donec pertentatis, ad ingens illud ſaxum, viribus ad Majora accenderetur, ablatisque generis indiciis prorumperet. Vides Gladium, vides Calceos, vides & Saxum vario ſinu tortuoſum, & ipſum Theſea tantis adnixum illud tollere viribus, ut venti & Chlamidem ventilent, & Pileum auferant.

VI.

BELLEROPHON.

HEroes ſectando ad fabulas devolvimur. Bellerophon avocat, cujus facinora tantis immerſa jacent, Poëtici floris dicam, an mendacii tenebris, ut ne Oedipus quidem certi quid inde eliciat. Quis Equum vidit alatum? Quis Equitem in aëre ſublimem?

Quî fieri potuit triplici cum corpore ut unâ
Prima Leo, poſtrema Draco, media ipſa Chimæra,
Ore forâs acrem flaret de corpore flammam.

Venuſinâ hæc digna putaveris lucernâ, adeò

collatis undiq; membris
Turbantur variô Naturæ ſemina nexu.

Sed audi! Non hîc

placidis coeunt immitia, non hîc
Serpentes avibus geminantur, Tigribus agni.

Equo affinguntur alæ; Alæ celeritatis hieroglyphicum ſunt; Celeres equi per aëra volare, communiter Poëtis dicuntur. Leoni ignivomo & Capra & Serpens jungitur; Tria hæc Animalia hoſtium hîc Symbola ſunt, non amicorum. Hoſtium ſi conjungantur capita, quis placidis dicat coire immitia?

Bellerophon erat Corinthius, filius Glauci, Siſyphi Nepos. Hic cùm antea Hipponus diceretur, ut quidam volunt, ab occiſo Bellero, Bellerophon

lerophon dictus eſt; Inde Patriam excedere coactus, cùm Argos deveniſſet, nec Stenobeæ, quæ aliis Antea dicitur, reſponderet amori, à Prœto ad Jobatem in Lyciam, & ab hoc ad oppugnandum triplicem hoſtem, Chimæram, Solymos & Amazones, miſſus eſt, quos omnes ſuperavit: Amazonum & Solymorum in Gemmis noſtris nulla mentio, Chimæræ in propoſita illuſtris. Duplex invaluit Opinio, alii Sagittis eam, alii Haſtâ dixerunt transfixam; non acutô cuſpide, ut in noſtra Gemma, ſed plumbo infeſtâ, quod in faucibus ignivomis liquefactum, viſcera combuſſerit.

Varia Fabulæ interpretatio occurrit: Alii ſub Chimæra Mulierem intelligunt; Alii Montem Lyciæ; Alii Fluvios. Natalis Comes, qui & pleraque congeſſit, iram intelligit; Alii Theoreticam facultatem; Tres alii Populos; Alii Libidinem. Omnes ſi non verè, ingenioſè tamen: Mulierem, quòd cum Fratribus Leone & Dracone arctiſſimô Concordiæ nexu contra Bellerophontem conſpiraſſet; Montem, quòd ſuprema Ignem vomerent, media paſcendis capellis vireſcerent, radices Serpentibus ſcaterent; Fluvios, quòd inſtar Leonum rugirent, inſtar Capellæ littora carperent, inſtar Serpentum ſinuarentur; Iram, quòd tanquam Leones furibundos faciat, oculosque rubro colore, tanquam flammis, perfundat, uti Capella herbis, ita facultatibus noceat, uti Serpens ſit fugienda. Theoreticam facultatem, quòd proœmiorum natura ſit acris, medium Orationis ſublimia ſectetur, extremum inſtar Serpentis ad media reflectatur, virusque habeat & acrimoniam; Navim, quòd prora Leone ignivomô, puppis autem Dracone fuerit inſignita; Populos jam ſupra attigimus: Solymi ſunt, ſunt Amazones & Lycii; Illi quòd Leonum more pugnarent, Iſtæ quòd loca montoſa tranſcenderent, Hi quòd redeunti inſidias ſtruxiſſent; Libidinem, quòd imprudentes Leoninâ feritate invadat, media procacitatem Capellæ ſapiant, at finis Draconis inſtar Conſcientiæ ſtimulos agitet.

Quicquid ſit, in plerisque Heroicum fuit ſuperaſſe; neque enim Prælia terrâ tantùm ſed & mari; non tantùm adverſus homines, ſed etiam adverſus feras conſerere Martium eſt, & ille demum Fortitudinis Apicem credi debet attigiſſe, qui non externos tantùm Hoſtes devicit, ſed & interna animi ſui monſtra domuit; Non unum, ſed omnia; Non ſemel, ſed ſemper. Monſtrum eſt Libido, ſed & Superbia Monſtrum eſt. Libidinem ſuperaſſe, ſuperaſſe hoſtes Bellerophonti ſatis non erat, Cœlum ipſum petebat, ſed Stultitiâ. Pegaſum cùm Juppiter impleret Oeſtro, Ille excuſſus in terram legitur decidiſſe, brevique & Invidiâ periiſſe & penuriâ. En Deum etiam in Heroibus Superbiæ Vindicem!

IOLE

VII.

IOLE.

NEmo Mortalium, & ne Semi-Dei quidem, inculpatâ fulgent Integritate. Sunt Soli ſuæ Maculæ; Sunt & Heroibus. Bellerophontem Superbia peſſundedit, Herculem Libido ſubegit. Amori ſuccumbentem ſuperiore Capite vidimus; Hic Iolen contemplamur, ſubacti ſpolia jactantem. Euryti Hæc Filia erat, Regis Occhaliæ, quam certaminis lege ſibi debitam, cùm non obtineret Hercules, licet jam Dejaniræ devinctus, legitur abduxiſſe, exiliiq́ue habuiſſe cauſam. Audi Zelotypas Dejaniræ Voces:

Proh! pudor, inquit, *Hirſuti coſtis exuta Leonis*
Aſpera texerunt vellera molle latus.
Falleris, & neſcis; Non ſunt ſpolia iſta Leonis,
Sed Tua, Tuq́; feræ Victor es, Illa Tui.
Fœmina tela tulit Lernæis atra venenis,
Ferre gravem lanâ vix ſatis apta colum.
Inſtruxitq́; manum clavâ domitrice ferarum,
Vidit & in ſpeculo Conjugis arma ſui.

Quam appoſitè hæc noſtræ Gemmæ conveniant ipſe vides; Iis motus Augustinus Senensis Iolen agnovit; quanquam non videam, cur non & Omphale putetur, Regina Lydiæ, de quâ ridicula Fauni Deluſio Ovidio (*m*) decantatur, quæq́ue, permutatis cum Hercule Veſtibus, cepiſſe dicitur

Clavamq́; gravem ſpoliumq́; Leonis!

Quicquid ſit, Maſculam Heroum Virtutem nullâ re citius frangi, quàm fœmineis Voluptatibus, & ex his patet, & ex Veneris Victricis figmento, de quo ſuperiore capite vidimus; Quanquam nec Fœminæ ſint immunes: Laudetur Amazonum Gens, Thaleſtris Alexandrum petiit. Laudetur Dianæ Chorus, Jovis expertus eſt Petulantiam. Fidat Atalanta Pernicitati pedum, Veneris dolos effugere neſcit.

(*m*) Faſtor. II.

ATA-

VIII.

ATALANTA.

OMnium Malorum radix Avaritia eſt; Non aliis tantùm nocet, ſed & ſibi. Æſopico Cani ſimiles ſunt, quos turpiſſimâ hâc peſte afflavit Erinnys. Dum appetunt umbram, corpus amittunt. Quæ Virtus tantæ firmitatis eſt, ut ad fulgorem auri non evaneſcat?

Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa, potentiùs
Ictu fulmineo: Concidit Auguris
Argivi Domus, ob lucrum
Demerſa excidio. Diffidit Urbium
Portas Vir Macedo, & ſubruit æmulos
Reges muneribus. Munera navium
Sævos illaqueunt Duces.

Ingenioſè, qui & Deos ex hoc Metallo Majeſtatis ſuæ decora tradidit effinxiſſe. Noverant ejus uſum,

Incluſam Danaën turris ahenea,
Robuſtæq; fores & vigilum Canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Nocturnis ab Adulteris.

Sed

Acriſium Virginis abditæ
Cuſtodem pavidum Juppiter & Venus
Riſerunt.

Quid Danaën loquor? Etiam Atalantæ caſtitas Auro legitur ſubacta. Hæc cùm formoſiſſima eſſet, curſuque etiam viros ſuperaret, à Patre Schœneo legitur petiiſſe, ut perpetuam ſibi concederet Virginitatem; Pluri-

bus autem eam ambientibus, Pater, ut & promiſſum ſervaret, nec ſuô judiciô plures offenderet, Curſûs certamen obtulit; Lege conſtitutâ, ut Proci inermes fugerent, Atalanta cum Telo inſequeretur; Quem intra terminum conſequuta fuiſſet, interficeret, interfectíque caput in ſtadio figeret; Qui viciſſet ut eam haberet conjugem. Plerosque cùm occidiſſet Atalanta, noviſſimè ab Hippomene Megarei & Meropes Filio legitur ſuperata. A Venere Is Mala aurea acceperat; Ea in Stadio cùm projeciſſet, Puellæ impetum tardavit: Hæc enim dum mala colligit, aurumq; miratur, amiſſâ Victoriæ Gloriâ in Victoris tranſiit Thalamum. Virginitatem ſervabitis Puellæ? Venus ridet Pervicaciam; Mille vos oppugnant illecebræ; Si Naturæ Legibus negatis,

Non tamen exiguo fortaſſe negabitis auro.

Quicquid Homines in Terris, id agunt felicitatis gratiâ; At quàm pauci ſunt, qui dum felicitatem quæſiverunt, non eandem amiſerint? Atalantam ſuâ ſpe illuſtrior fulvi metalli ſplendor dejecit; Herculem Ioles nuditas oppreſſit; Bellerophontem elati, poſt fortia, Spiritus peſſundederunt. En egregiam vitioſæ Propaginis Trigam. Avaritia eſt, eſt Libido, eſt Superbia. Quos Heroes his monſtris oppones? Exſurgite Philoſophi! Veſtra hæc militia eſt.

IX.

SOLON.

Conch. Mars. Excis.

Solon procedit, Salaminius ille, qui abrogatis Draconis Legibus novas ipſe condidit, Populoque Athenienſium propoſuit ſervandas; Qui Piſiſtrati Tyrannidem aſpernatus voluntarium ſibi Exilium indixit; Qui Ægyptum luſtravit, Cyprum adiit, pluriumque Populorum & mores vidit, & Urbes. Calvitiem intuere; Hæc Prudentiæ Mater eſt. Oculos obſerva; Sapientiæ radios videbis. Ne dubita! & Calvities, & Oculi Ducem ſpondent veræ felicitatis callentiſſimum. Audiamus ejus Præceptum: *Nemo*, inquit, *felix ante mortem judicetur!* Itane Hic Solem in nocte jubet quærere? Jubet, mereturque hoc effatô, ſiquidem rectè intellexerit

rit ipſe, Sapientum omnium appellari Sapientiſſimus; Non minus ac Strato Rex, quòd Solem Orientem oſtenderit in occaſu.

Ea humanæ Naturæ conditio eſt, ut ad finem aliquem feratur; Qui ad optimum, ille veræ felicitatis tramiti inſiſtit; Si recto pergat, nullisque dimoveatur nec illecebris, nec adverſitatibus, dubium non eſt, quin eam ſit conſecuturus; Conſecutum tamen, antequam metam attigerit, non dices. Omnia redeunt in Ortum. In vita ſtabile nihil eſt. Optimus finis ille eſt, qui eſt ultimus; Ultimus eſt, qui & Primus. Laudent alii Divitias, Voluptates, Naturæ Fortunæque Dotes; Hæc vera felicitas non ſunt; Hinc nec veri Philoſophi, qui in his humanæ vitæ Cynoſuram agnoſcunt. Deſpexerit Solonem Crœſus; Acquieverit in theſaurorum ſtrue, Palinodiam cecinit in ſtrue lignorum, ab igne conſumendus, cùm exclamaret: O Solon! Solon! Solon! Hæc vox, uti pœnitentiæ ſignum ita extremæ miſeriæ remedium fuit. Cœlum eam exaudiit, immiſſòque imbre exſtinxit flammas; Et Cyrus ſortis humanæ edoctus vices, Crœſo & vitam conceſſit, & vitæ tuendæ dedit ſubſidia. Tantum purioris Sapientiæ, vel robur fuit, vel pretium.

X.

CHRYSIPPUS.

SUmmam Stoicæ Philoſophiæ gravitatem hodiénum ejus dogmata demonſtrant. Nulla omnium ſecta ad contemtum utriusq; Fortunæ humanas mentes hâc informavit acrius; Si rem ſuperficiariè conſideres, hujus Aſſeclas Viros, omnes reliquos pronunciaveris fœminas; Si penitiùs, multum à vera ſapientia eos aberraſſe fateberis. Quid Iram Creator, ſi non liceat iraſci? Quid gaudium, ſi non gaudere? Regit affectus Philoſophia, non exſtirpat. Erroris argumentum fulcit & eorum vita. Rariſſimâ plerosque excelluiſſe Doctrinâ, nemo ibit inficias; Sed aliud utplurimùm docuerunt, aliud egerunt; Si idem, vel gloriam venati ſunt, vel aliud quid, plerumque ad ſpeciem boni.

Chryſippus Solenſis, cujus effigiem dedimus, Filius Apollonidæ, qui Tharſo commigraverat Solos, tanti Ingenii fuit, ut in pluribus & à Præceptoribus ſuis abierit; tantæ profunditatis, ut vulgò dicerent, *ſi apud Deos haberetur Dialectica, non aliam futuram, quàm CHRYSIPPI*: Diſputet Carneades, huic tamen Eloquentiæ nervum acceptum feret. In omni hiſtoria curioſum fuiſſe, Cicero (*o*) teſtatur, de rebus Italicis ſcripſiſſe Plutarchus (*p*) de antiquis Phyſicis Diogenes Laërtius. Et quid multis? Septuaginta & quod excedit volumina fertur edidiſſe. His tantam ſibi famam conciliavit, ut ſuæ Sectæ facilè Princeps audierit. Quid in vita? Vix Dogmatibus eum reſpondiſſe credas; Arroganti ſupercilio proximos contemſit; Ebrietati indulſit; Ebrietate mortuus eſt, cùm anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo tertio in ſacrificio quodam nimium bibiſſet. En egregium Stoicæ gravitatis exemplum!

XI.

ALCÆUS.

POëſeos Excellentiam, qui dignè ſe delineaturum ſperat, Poëta ſit aportet, aut certè divinis fulgeat ingenii dotibus. Non hæc, ut cæteræ vel artes, vel ſcientiæ, certis includitur limitibus, ſed per univerſam Cœli & Terræ machinam exſpatiatur, omnemq; ſibi vindicat materiem, quamcunque humanis, & ſenſibus, & mentibus objecit immenſa Creatoris Benignitas. Naturæ æmulam credideris, adeò interdum novas etiam luxuriat in formas; Artium & ſcientiarum Dominam dixeris, adeò felicioribus alis ſe ſuper omnes extollit, omnia ſub ſua jura cogit; Cœli Filiam putaveris, adeò non niſi diviniore incaleſcit radiô.

Norat Hæc veneranda Antiquitas, tantôque in honore habuit ſollertiores ejus Alumnos, quantò vix aliarum ſcientiarum ullos. In Exemplum non Homerum adducimus, de cujus natalibus plures Græciæ Populos certaſſe conſtat; Non eos, qui Regibus Familiares fuerunt, Euripidem, Anacreontem, Æſchylum, Simonidem, aliosque. Non ſtatuas in Helicone poſitas. Hæc levia forent. Plurima vetuſtas abolevit; Sed

(*o*) Thuſcul. Quæſt. 1. (*p*) in parallel.

Sed nummis impreſſas, ſed Gemmis inſculptas nobis durare eorum Effigies, Hæc vel ſola Felicitas eſt, quam

pauci, quos æquus amavit.

Juppiter, etiam inter Reges nacti ſunt.

Alcæum intuere! Non Herculis hic Avus eſt; Non Scriptor Comœdiarum, qui Suidæ celebratur, ſed Poeta; Non heroici Carminis artifex, ſed imbellis Fidicen Lyræ; Mitilene oriundus Urbe Lesbi. In tantam Is ſurrexit Poëticæ laudis Gloriam, ut vel Patria dignum judicaverit, quem æternitati ſacraret. Idem honoris etiam Philoſophis habuit. Utris juſtius? Abſit invidia dicto, Poëtis arbitror; Neque enim ex hodierna conſuetudine judicium ponendum, quâ Poëtæ vix nomen absque riſu excipitur. Rem conſidera! Poëtas, de veris loquor, Philoſophis multò præſtantiores invenies. Hi rem absque venuſto Verborum minio ut plurimùm proferunt; At illi venuſtatem floris Poëtici absq; re proferre non poſſunt; Sic qui Poetam dicit, is dicit & Philoſophum, non vice verſa. Garriat Philoſophus de affectibus, Poeta eos movebit. Non Tyrtæum Lacedæmoniorum Ducem memoro, qui recitatô Carmine

animos in Martia bella
Exacuit.

Alcæus noſter Carminum ſuorum Efficaciâ inimicos ſuos etiam ex Urbe ſolebat ejicere; Noli minacem ejus mirari vultum; *Minaces* & *Camœnas* appellavit HORATIUS *(q)*. Non tamen ſolis Carminibus pugnavit, etiam in Prælia legitur deſcendiſſe; tantæ ob eam rem venerationis, ut ejus, tanquàm Viri & Arte, & Marte præſtantis, arma in Templo Minervæ, vel hoſtes ſuſpenderent.

XII.

PHILEMON.

IN Scholis tenellam ætatem informat Pædagogus; In Academia Morum Elegantiam docet Philoſophus; In Suggeſtu DEI Voluntatem exponit

(q) l. 4, od. 9.

Theologus. In foro delinquentium crimina vindicat Judex. Non Oratores quieſcunt; Non Poetæ. Omnes corruptam laborant integritati reſtituere hominis indolem; Alii laudando Virtutes, alii vituperando Vitia.

Hæc cùm ita ſint, jure ali quis miretur, cur, qui eòdem tendunt, non eodem etiam inter ſe cohæreant nexu? Pædagogos contemnit Philoſophus. Theologus Judices criminatur. Non Oratores calumniis carent. Miſerrima tamen Sors Poetarum eſt. Reliquos publicus officii Splendor defendit; At in hos liberum eſt cujuscunque Judicium. Urbe pellendos ſanctior faſtus imperat. Diſplicet Verborum nativus color, quo vitiorum turpia etiam in Theatra deducunt; Tutius ea neſciri perhibentur, quàm viſcoſo penicillo juvenilibus inſcribi animis. Hæccine cauſa odii? Cave credas! Philemon, cujus effigiem damus, donec blandiente ſocco inceſſit, placuit; At ubi Magæ imperitiam comicâ libertate exagitavit, non tantùm placere deſiit, ſed & menti ejus memorem infixit Injuriæ aculeum, expertusque eſſet vindictam, niſi naturalis Magæ clementia prævaluiſſet. Plutarchus rem paucis: *Magas à PHILEMONE publicè in Theatro comicâ ſcurrilitate exagitatus his verbis erat:*

A Rege Literæ veniunt Tibi, Maga.
Infortunate Literas neſcis Maga.

Hunc Philemonem Magas Tempeſtate ad Parætonium ejectum cùm cepiſſet, militi mandavit, ut ejus Cervicem nudô gladiô tantùm attingeret, ac comiter diſcederet. Miſit deinde Pilam ei ac Talos, ut Puerulo mentis inopi, ac demiſit.

En Poëtam quinquaginta quatuor Comœdiarum Authorem! Hic mentis inops judicatur ob veritatem; Hic Mortis adit periculum ob culpatam hominis ignorantiam; Hodiénum iſta in Republica labes eſt. Poetas non ideò premit Venerabile Supercilium, quòd vitia nativis coloribus depingant; Sed quod in ſe coloris Ectypon agnoſcat. Quid ſi & nomen exprimatur? Fateor immodicam in hoc fuiſſe Philemonis Linguam. Immodica tamen eſt & in aliis, qui ſub officii ſpecie quamcunque animi ſui paſſionem explent. Horum finis qualis? Sibi placendô pereunt. *Ficus conſumenti Aſello cùm merum apponi juſſiſſet Philemon, urbanitatemq; dicti crebro cachinnorum anhelitu proſequeretur, ſenile Guttur ſalebris Spiritus prægravavit.*

CICERO.

XIII.

CICERO.

SApientiſſimè Bias Prieneus, cùm Amaſidi Ægyptiorum Tyranno & optimum & peſſimum de victima mittere juberetur, Linguam miſit. Hæc minima ferè corporis humani portio, ſive bona moliatur, ſive mala, utrobique tantâ cum efficaciâ procedit, ut ab ea vel maxima mortalium videatur dependere Fortuna. Laudandi igitur, qui non indignam putarunt, in quâ excolendâ, & tempus collocarent & Studium. Quanquam quis ignorat, etiam eos, qui ſummum linguæ ſuæ arbitrium ſe conſecutos arbitrati ſunt, ejusdem tamen, cujus ope, felicitatis culmen conſcenderant, temeritate præcipites in extremam miſeriarum corruiſſe ſqualorem. Demosthenem conſidera, conſidera Ciceronem. Illum Grajæ, hunc Romanæ Eloquentiæ Parentem! Uterque merito linguæ perhibetur evectus, uterque pro Libertate Patriæ ſtabat; Ille contra Philippum, hic contra Antonium. Sic idem quaſi fatum utrique. Uterque periit, utrumque

Largus & exundans leto dedit ingenii fons.

De Demosthene in Gemmis noſtris nihil. Ciceronis Vultum propoſita Gemma exhibet. Mole quidem exigua eſt; Arte tamen radiat ingenio Ciceronis condignâ. Venerare hoc Latii ſermonis Decus, Clientum Clypeum, Reipublicæ Romanæ contra perfidos Tutorem. Sed & Linguæ in eo contemplare, & commoda, & incom̃oda; Linguæ ſuæ remigio eò magnitudinis proceſſit, ut ampliſſimi Terrarum Imperii ei committerentur faſces; Ejusdem Linguæ Libertate eò infelicitatis devenit, ut in exilio miſerrimum tandem lueret ſupplicium; Popilio reſecante fauces, quibus ab homicidio fuerat defenſus; Fulviâ pungente linguam, cujus Eloquio ſalus publica non ſemel ſteterat inconcuſſa. Si linguæ Commoda conſideres, Pythagoram damnabis; Si incommoda, laudabis. Imprudentis linguæ felicitas bullæ ſimilis eſt; Ubi ad apicem magnitudinis ſuæ

excre-

excrevit, rumpitur. Præſtat Eloquentia mediocris, ſed quam Prudentia temperat!

DUm Illuſtriores quosdam Muſarum & Apollinis meditamur Alumnos non ſentientes ex Græcia devenimus in Latium. Hic uberrimam Martialium Virorum Segetem, Venerandam hîc Imperatorum Seriem

Maxima Tarpejo monſtrat de Culmine Roma.

XIV.

C. MUTIUS.

FOrtia non facere tantùm, ſed & pati Heroicum eſt. Nec jactantiam in ſecundis laudaverim, nec ignaviam in adverſis. Quorum Spiritibus pernicioſa hæc Vitiorum dominatur biga, Fumo ſimiles ſunt; Extra periculum inflantur, & vel maximas fortunæ minas ſe clamant conculcaturos; In periculo vel minimo iniquioris auræ ſubiguntur ſtrepitu. Ventoſos ejusmodi Publicæ felicitatis helluones dicam, an proditores, quis non execretur? Quis milites inter Pocula? In prælio fœminas? Abſit hæc è Republica peſtis! Ageſilai alantur & Mutii, qui non inani verborum vehementiâ exſurgunt, ſed ubi opus eſt, ad ulciſcendam Patriam proruunt; Nec proruunt tantùm, imò nec ullis adverſitatibus cedunt, & vel per ignes demonſtrant infractam Fidei & Fortitudinis Conſtantiam.

Notiſſima ſunt Heroum facinora. Idem utriusque eſt fatum, licet diverſis pro Civitatibus, diverſos contra hoſtes. Ageſilaus pro Athenis ſtetit, Mutius pro Roma; Ille contra Xerxem, Hic contra Porſennam; Ille Stipatorem obtruncavit, hic Scribam, uterque infeſtus regi; Uterq; cruciatum & Mortis minas injectâ in flammas dextrâ eluſit. Heroica hæc generoſi pectoris audacia in propoſita Gemma radiat. Eum ſi Ageſilai

neges

neges, at Mutio non abjudicabis. En Dextram ardente ſuper ara minacem ! En Vultum mediis in doloribus lætum ! En Corpus ſub immani adverſæ tempeſtatis Pondere erectum ! Hunc imitetur Martia Nobilitas ! Non Juvenili Hic fervore in diſcrimen prorupit, ſed extremâ Patriæ id jubente anguſtiâ. Non ebuccinavit conſilium; ſed Senatui aperuit. Aperuit, non oſtentandæ Fortitudinis gratiâ; ſed ne fama periclitaretur. Non intra Conſilium ſtetit; ſed & facinus aggreſſus eſt. Adverſantibus fatis non quaſſus mente, non vultum inſtantis Tyranni extimuit, non ſupplices manus tetendit, non in Genua prolapſus delicti veniam oravit. Delictum non erat, quod pro Patriæ libertate patrabatur

Dolus an Virtus, quis in hoſte requirat?

XV.

C. IUL. CÆSAR.

Achat. Incis. Sard. Incis.

INfeſtiſſimum humanæ felicitati Virus eſt **Ambitio.** Non eos tantùm peſſundat, qui ſumma petenti videntur obſtare; ſed & eos, in quibus militiæ ſuæ tentorium fixit. Perpetuum his inſpirat altiorum cupiditatem. Nunquam patitur in mediocri conquieſcere honorum menſurâ. Si ultra non poſſit, impellit in præcipitium.

Hæc leviora forent, ſi cætera vitæ tranquillâ fruerentur animi dulcedine. Vel in vultu agnoſcas horrendos motus. Plerumque exangues ſunt ejus Alumni, plerumque Macilenti & Pallidi. Aſpice Cæſarem ! Suetonius hunc ore paulò pleniore facit; Sed Cl. Patino teſte, reclamant Nummi plus mille. Reclamant & Gemmæ noſtræ, in quibus omnibus macilentus & contractis Genis obſervatur. Unde illud? Nonne à Furiarum agmine? à curis inquam, & vigiliis, quibus ut ambitionis ſuæ barathrum impleret, omni, procul dubio, & loco, & tempore exagitabatur. Non deerat Invidia, non Timor; Illa, ne ſuperiorem juxta haberet, laborabat; Hic, ut à minore opprimeretur, cavebat. Non tulit, nec Pompeji Gloriam, nec Caſſii Brutive pallidam gracilitatem; Illum vel Patriæ cum

ruina putavit evertendum, Hos quantum timuerit, vel ſuo, quod in eos jaculatus eſt, oſtendit effato : *Non obeſos & opimos ſe ſuſpectos habere* dictitans, *ſed graciles & Pallidos.*

Hoc ſi in ipſo Cæſare obſervaſſet Roma, ut Cæſar in Bruto & Caſſio, Civi ſuo ſervire fortaſſis non fuiſſet coacta. Sed aliter in fatis erat. Nec ſervitutem Roma, nec Interitum Cæſar, licet prædiceretur, evitare potuit. Rapiat Sacerdotia, quorum per Lituum Auguratûs inſigne in Gemmis noſtris mentio fit; Rapiat honores, qui per Lauream indigitantur; Tegat hâc ſive animi, ſive frontis vitia; jactet Divinum Genus in materno Sidere,

Quòd Venus ante alios aſtrorum diligit ignes;

Divinitatem ambiat, cujus umbram in Encomio DIVI cernimus; In ſummo tamen Apice corruit.

En partam tantis ſudoribus Ambitionis Coronam!

XVI.

AUGUSTUS.

in Cameo.

DEcreta Cœli, ut nullis viribus poſſunt vel impediri vel annihilari, ita manifeſtis plerumque ſignis Humano annunciantur generi. Intende, Prudentia, aciem! Fatis adverſantibus incaſſum laborabis. Romanum Imperium, quòd quingentos fermè per annos in libertate ſteterat, ſub uni⁹ Dominatum reduci poſſe, quis ſperaſſet? Quis poſt Cæſarem è medio ſublatum? Quis ab Adoleſcente? At factum id eſſe, Hiſtoricorum monumenta nos docent, nequicquam ringentibus tot acerrimis Patriæ libertatis Vindicibus. Julium ad ſumma graſſantem Fortuna in culmine deſtituit; Sed nobiliſſimum Gentis Octaviæ Germen, cujus propoſita in Gemma Effigiem agnoſcimus, Benignitas Cœli evexit.

Id ne

Id ne vel fortuitò accidiſſe, vel humanis Viribus effectum arbitreris, plus quàm naturalibus indiciis præfiguratum eſt. Atia Mater per quietem vidit inteſtina ſua ad ſidera ferri, explicariſque per omnem terrarum ambitum; Octavius Pater utero uxoris jubar Solis exortum ſomniavit: Eidem in Thracia ſacrificanti tantum flammæ emicuit, ut ſupergreſſa faſtigium Templi ad Cœlum uſque ferretur. Alia tacemus, quæ pluribus ab Authoribus recenſentur. Loco omnium ſint, quæ in vultu deprehendimus, indubitatæ magnitudinis ac pacifici regiminis indicia: Quid Naſus à ſummo eminentior ab imo diductior, niſi Fortunam à Principio anguſtiorem, in progreſſu & fine eminentiſſimam? Quid Capilli ſubflavi & leviter inflexi, niſi Imperium leviore flexu temperatâque magnificentiâ per orbis ambitum ſeſe inſinuans? Quid Oculorum Nitor niſi prudentiam omnes ſubjectarum gentiũ rationes perſcrutantem? Quid Vultus denique tranquillus & ſerenus ſignificaverit, quàm Pacem toti terrarum orbi communicandam?

Cùm tempus appropinquaret, quo Salvator Mundi humanâ ſub figurâ terras erat ingreſſurus, quid convenientius, quàm præmittere aliquem, qui diſſidentes animos tranquillâ ſerenaret pace, in adventum ejus, qui pacem hominibus erat reducturus cùm DEO? Quid convenientius, quàm ſerenitatem ſignis adumbrare, adumbratam in vultu delineare, delineatam mundo communicare, communicatâ æternam præfigurare? Id in Auguſto factum quis dubitat? Quis incœteris quoque Divinæ Providentiæ neget Alumnum? Ex humili vita in ſummum terrenæ Poteſtatis apicem evectus eſt, ut pacem inter homines reduceret; At Chriſtus, qui Pacem inter hominem & Deum reducturus erat, cùm eſſet Cœli terræque Dominus, in infimum deſcendit humanæ imbecillitatis ſqualorem. Sic cadentis Hic humani generis typum egit, Ille cœleſti benignitate reſurgentis, Reſurgentis in immenſam gloriam. Cùm non Romani tantùm, ſed externi etiam, quâ Sol oritur, quâ occidit, jubar venerati fuerint Auguſtale.

XVII.

LIVIA.

VIx aliquid Fœmineâ venuſtate dulcius; Vix aliquid eâdem fallacius. Omnes blandiente corporis ducimur formâ. Pauci latitante ſub eâ non petimur veneno. Raræ ſunt, in quibus interna animi externis reſpondent Faciei. Et licet morum ſuavitate commendentur, vix tamen eſt, ut infucatum pectoris oſtendant & Candorem & Amorem.

Liviam Druſillam, Livii Druſi Calidiani Filiam, in Theatrum adducimus. Hujus quid formâ pulchrius? Quid morum Comitate præſtantius? Alterâ Octavianum Cæſarem in ſui amorem pellexit, alterâ pellectum retinuit. Non ſanctior Conjugii nexus, quo Tiberio Claudio Neroni devincta erat; non uterus, quem in ſextum jam menſem ferebat, impedire potuerunt, quò minùs Imperiali faſtigio inferretur. Non Auguſti Libidines, non iniquior interdum animus, quò minùs voluntati ejus obtemperando perpetuum ſibi conciliaret amorem; in tantum, ut interrogantibus Romanis quibusdam Matronis, quâ arte Maritum ſibi tàm benevolum redderet? Reſponderit: Modeſtiâ.

Quis hæc non infucati pectoris credat indicia? Quis non amoris in Fœmina ſinceri? Non fuerunt. Si ſublatos cogites Cajum & Lucium Auguſti Nepotes; Si ipſum Auguſtum ob exiguum reconciliati cum Agrippa rumorem; Si Agrippæ necem, Tiberiique ſucceſſionem, perfidæ potius ambitionis dixeris involucra. Arrogantiam Cordis, quam Auguſto vivente occultam habuit, eô remotô plenis effudit imbribus, ubique ferè ipſi ſe proponens Tiberio, quòd Tiberium quidem Imperatorem conſtituiſſet, ſe verò dictitaret Deam. Rem evincunt Divini in Nummis Habitus; In quibusdam Iuſtitiæ Encomium præfert, in quibusdam Salutis, in aliis Pietatis. Pietatem etiam in noſtrâ Gemmâ Velum indicat; Egregiam ſanè, quæ, ut Superbiæ ſuæ criſtas explicaret, nihil nec Divini nec Humani juris reliquit intemeratum.

IULIA.

XVII.

IULIA
AUGUSTI FILIA.

FOecundiſſima duo ſive Virtutum ſive Vitiorum Principia ſunt Natura & Educatio. Illa internis operatur motibus, Hæc externis. Si conſentiant, dubium non eſt, quin facillimè intentionis ſuæ ſint fixuræ tropæum; Si diſſentiant, utra potentior ſit? haud abs ratione videtur diſceptari. Sunt qui Naturam præferant, ſunt qui Educationem. Illi Poëticô nituntur effatô:

Naturam expellas furcâ, tamen uſq; recurrit.

Hi Exemplis pugnant, Socratis potiſſimùm & Lycurgi, quorum alter Naturæ Iniquitatem Educationis ſedulitate diſcuſſit, alter in animalibus oſtendit, quantum Educatio Naturæ prævaleat. Si rem ex æquo æſtimes, neutram prætuleris. Sunt in quibus Educatio Naturam devicit; Sunt etiam, in quibus vel maximè ſollicita ſuccubuit.

Iuliam Auguſtus Pater tantâ curâ legitur foviſſe, tantisque & Virtutum & Artium extuliſſe ornamentis, ut omnium fœminarum præſtantiſſimam fore communis populi vox aſſereret; At quantum diſtabat adultior ætas? Eò laſciviæ progreſſa eſt, ut in ipſo etiam foro & roſtris nocturnas commeſſationes ageret. Libidini dedita & adulteriis luxurioſæ juventutis utebatur gregibus; His corporis ſui faciebat copiam, non domi tantùm, ſed in plateis etiam, aliisque in locis publicis, adeò ut Lupanaria paſſim faceret, reique venereæ diverticula. Ubi Educationis fructus? Naturæ eos malitia ſuppreſſit, uti in Socrate Malitiam Naturæ Educationis probitas.

Illud Naturæ præcipuum forſan videbitur, quòd motuum ſuorum indicia plerunque etiam in Vultibus delineata proponat, cùm Educatio

non niſi in moribus fulgeat. In Julia res aperta. Libidinem produnt Oculi, amabilem proterviam Genæ, Impuram mollitiem Labra. Si Capillorum nexus conſideres, ipſam putaveris Venerem, adeò cum ea conveniunt, quæ in Corinthiorum Numiſmatibus occurrit.

XIX.

CLEOPATRA.

EPaminondas, ut Orbitatis Ludibria diſcuteret, Victoriarum jactavit Gloriam. Auguſtus non victorias tantùm numeravit, ſed & Liberos. Liberorum plerosque cùm ſuſtuliſſet Livia, Epaminondæ quin adæquaretur parum abfuit. Intercidit Stemma, nondum tamen interciderunt victoriæ. Earum meminit, quicunque Bruti & Caſſii; Quicunque Sexti Pompeji; Quicunque M. Antonii. Sic & hoſtium vultus Auguſti Tropæa ſunt. Sic veniam merebor, ſi poſt Cæſaream prolem paululum in Ægyptum deflectam, & Cleopatræ contempler Effigiem; Quis enim hujus cogitaverit interitum, niſi ſimul & Continentiam laudet ejus, qui Meretricias caſſes & effugit & rupit?

Reginam Diadema evincit; Reginam Ægypti Calathus. Quid Reginam loquor? Imò Deam dixeris, nec de plebe Divinitatis, ſed Iſidem Maximam Regionis. Cleopatram Antonii arguit Facies. Hæc cùm *ſacrâ Iſidis induta Stolâ* legatur *in publicum progreſſa, NOVAQUE ISIS appellata,* mirum non eſt, quòd & Calathum uſurpaverit. Diadema Regium Inſigne eſt, non Regum tantùm, ſed & Reginarum; Exemplum habes in Uxore Alexandri Theopatoris, quæ iisdem ſuperbiæ agitabatur fluctibus, quibus & noſtra, licet non eodem arſerit Libidinis æſtu.

Libidinem hîc vel ex Facie colligas. Faciem Cleopatra habuit non tam venuſtam, quàm artificioſis quibusdam amabilem illecebris, quæ in geſtibus

geſtibus demum & ſermone radiabant plenius. His duplicem utebatur in finem : Et reſtinguendis impudicitiæ flammis, & implendis ambitionis furiis. Nimia interdum eſt Regalis faſtigii Licentia ; Nihil mediocre affectat, nihil non ſperat ſe conſecuturam ; Ferenda, ſi ratione moderetur cupiditatem, ſi per legitimos graſſetur tramites; At ubi in deterius vergit, & Injuſtitiæ metam Impietatis telo petit, non modo votis ſolet excidere, ſed dignam meritis reportare mercedem. Cùm Orbis Imperium affectaret Cleopatra, non exercituum robore ad id uſa eſt ; Sed Venereô lepóre, infamiſque militiâ. Sic Martios Cæſaris Spiritus fregit. Qui Orbem Romanum in Pompejo domuerat, putido in Reginæ ſinu requievit. Occubuerat Cæſar, Ipſa tamen nec pudore ſuffuſa eſt, nec Spem abjecit. Quod vivo non potuit, id eô occiſô effectui putavit dandum. M. Antonio tetendit retia. Hic quòd naturâ luxurioſus, prædæ videbatur aptior. Succeſſiſſet Conatus, niſi Auguſti non Victoria tantùm, ſed & Continentia filum rupiſſent. Hic dum Antonium Actiacâ clade ſaucium ad necem compulit, meretricioſque ſprevit Cleopatræ gemitus, imperioſæ mulieri cauſa fuit, ut vel per aſpidum morſus vitæ quæreret exitum.

Turpitudo ipſa ſui Vindex!

XX.

TIBERIUS.

Nihil Mendacio turpius! Nihil Veritate pulchrius ! Optandum ut dogma hoc eâdem, qua hîc proponitur, ſimplicitate & obſervaretur in communi vita; Optandum ut Mendaciorum turpitudo expelleretur, Veritatis coleretur jubar; Sed contrarium videas. Exiguus eſt Veritatis honos, ubique vigent mendaciorum fraudes. Ignoſcite Philoſophi, veſtra hæc culpa eſt. Dum Curioſâ nimis ſedulitate Veritatis pulchritudinem, turpitudinemque mendacii diſtinguitis, mille rationes dediſtis, quibus utraque negetur. Veſtra ex Pharetra mutuatur ſagittas, cupiditatumque ſuarum miniſtras facit omnis Humana Natio. Etiam Tribunal, etiam Imperiale ſolium occupavit denſior hæc ſive inſcitiæ, ſive malitiæ

malitiæ nubes. Pilatus, ubi de veritate incidit mentio, *quid,* inquit, *eſt Veritas?* Tiberius ſimulatâ Oratione per omnem vitam utebatur; Non alium in finem, quàm ut vel innocentibus laqueos poneret, vel crudelitatis libidinumque ſuarum expleret barathrum.

Quid ſimulata Oratio? Mendacium eſt. Quid Mendacium? Externorum vel oris, vel geſtuum, vel etiam calami ab animo diſſenſus. Si externa Tiberii ſcruteris, quantum ab Animo diſtabant? Etiam in Facie obſerves ſubdolam hominis Naturam. Capillus pone occipitium ſubmiſſior eſt, Facies honeſta, Oculi prægrandes, & qui noctu etiam, & in tenebris viderent; Quid Capillus pone occipitium ſubmiſſior? Imperii rationes indicat à Conſpectu ſepoſitas; Quid Facies honeſta? Operculum vitiorum. Quid Oculi prægrandes, & qui noctu etiam viderent? Ingentis aſtutiæ indicium, quâ vel maximè arcana ſibi videbatur elicere; Sibi videbatur, inquam, neque enim certam & duraturam inde conſecutus eſt ſcientiam, uti nec oculi ad longum videbant, ſed cùm primum à ſomno patuiſſent, rurſum hebeſcebant.

Laudarem tacitam Imperatoris Prudentiam, ſi ſepoſitas à conſpectu Imperii rationes in Imperii florem derivaſſet; Laudarem honeſtatem vultus, ſi animi honeſtas reſpondiſſet; Laudarem ſolertiam mentis, ſi Reipublicæ nævos inquiſiviſſet, ut iis mederetur.

Regnare neſcit, qui neſcit diſſimulare;

At qui ſimulatam Orationem in Civium ſuorum perniciem propellit, Is à vero procul Regiarum aberrat Virtutum tramite. Et ſi boni quid proferat, non minus ac Tiberius perituram jactat actionum honeſtatem.

XXI.

DRUSILLA.

Tiberium in Imperio excepit Cajus: Hujus Effigies cùm inter Gemmas Palatinas non appareat, ſubſtituimus Effigiem Druſillæ, non rarita-

ritate minus quàm elegantiâ commendandam : Caji hæc Soror fuit, Filia Germanici & Agrippinæ, Druſi & Agrippæ Neptis. Si ſtirpem conſideres, hinc Patrem intueberis tàm rebus geſtis, quàm fide celebratiſſimum; inde Matrem & Fortitudine & Integritate memorandam. Druſum tacemus, tacemus Agrippam. Clarior eſt Heroica Virorum fama, quàm ut debilis Ingenii culpâ mereatur deteri. Ad culmen Virtutis eos perveniſſe, ſi aliud non, certè vitia Nepotum demonſtrarent.

Generoſiſſima Vina, ſi degenerent, mordaciſſimæ in acerbitatis acetum tranſeunt. Cajus & Caji Sorores non Principes egerunt, non Principes fœminas, ſed ignavæ libidinis mancipia : Condonanda hæc videretur Juvenilibus annis; Condonanda Ethnicæ Cæcitati; Condonanda Imperatoriæ Magnitudini, niſi in cognata peccaſſet viſcera, niſi Naturam pervertiſſet, niſi ſacroſanctas Conjugii Leges turbaſſet. Druſillam cum Fratre prætextato adhuc deprehendit Antonia. Druſillam Frater marito raptam pro uxore habuit propalam. Quartillæ Æmulam credideris. Infans cum pari inquinata eſt, & procedentibus annis majori ſe applicuit, donec, ut eſt in proverbio, Taurum ferre poſſet, quæ ſuſtulerat vitulum. Et tamen hæc ſanctiſſimis, quibus & Sorores, Veſtalium fruebatur juribus? Nihil mirum! Cum nefarius Imperator per ejus Numen deieraret, quid Humani Diviniſque ei non ſubjiceret?

XXII.

NERO.

MAli quod à Virtutibus non poſſunt, id impetrant à Vitiis. Æternitas nominis utriſque paratur; Sed illis glorioſa, his ignominioſa. Non Auguſtum tantùm Hiſtoriarum monumenta celebrant, ſed & Neronem, immanem illam ſub figura hominis belluam; Eum, qui publicis Edictis innocentiſſimos Chriſti Cultores præcepit excruciandos; Qui alios beſtiis objecit, alios ignibus addixit. Quid Belluam loquor? Quidni Draconem? Qui viperеâ rabie in materna ſæviit viſcera. Qui Senecam ad mor-

tem adegit, ſororibus ſtuprum intulit, uxores interfecit, Patriam incendio concuſſit.

Talis Nero, & tamen æterna ejus durat memoria, durat Effigies non tantùm in Numiſmatibus, ſed etiam in Gemmis. Vix tamen aliquid in his laudaveris præter artificium. Cervix obeſa immoderatiſſimæ luxuriæ indicium eſt; Coma in gradus formata cultûs habitûsque pudendi; Oculis utebatur cæſiis, ſed hebetioribus, Vultu pulchro magis quàm Venuſto; Laureâ utebatur, utebatur Coronâ radiatâ; Quid mirum? Sacratas Apollini res cur non contaminet is, qui putidiſſimo Vitiorum conſpurcatus agmine ipſius Apollinis non eſt veritus mentiri perſonam?

XXIII.

VITELLIUS.

in Cameo

UT Virtutum ita & Vitiorum eſt Catena; Vix inveneris, qui uno tantùm diffluat. In Nerone Crudelitas eminuit, in Vitellio Voracitas; Neuter tamen caruit, nec Ille voracitate, nec Hic crudelitate. Aſpice vultum adipe pleniſſimum, & collum enorme! Aſpice Oculorum horrorem! Aperta habebis utriusque indicia.

Eum quis non Crudelitatis arguat, qui *hoſtem occiſum optimè olere* dixit, *meliùs Civem?* Qui pronus ad cujusque, & quacunque de cauſa, necem atq; ſupplicium? Qui Nobiles Viros, Condiſcipulos ſuos & Æquales vario genere fraudis occîdit? Qui quondam in ipſa Salutatione ſupplicio traditum ſtatimque revocatum, cunctis clementiam laudantibus, coram interfici juſſit, *velle ſe*, dicens, *paſcere oculos?* Qui alterius pœnæ duos filios adjecit deprecari pro Patre conatos? Qui, ne in quoquam Neroni cederet, & de Matris interitu ſuſpectus traditur?

Eum quis non Gulæ damnaverit, qui per medias Civitates ritu triumphantium vectus eſt, perque flumina delicatiſſimis navigiis & variarum

rum Coronarum genere redimitis, inter profuſiſſimos obſoniorum apparatus? Qui Epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat, in jentacula, & prandia, & cœnas commeſſationesque facilè omnibus ſufficiens vomitandi conſuetudine? Cui duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem avium appoſita traduntur? Qui Patinam ob immenſam magnitudinem Clypeum Minervæ dixit & ſacravit? Qui Scarorum in ea Jecinora, Phaſianorum & Pavonum cerebella, linguas Phœnicopterorum, Murænarum Lactes à Carpathio uſque fretoque Hiſpaniæ per Navarchos ac triremes petitarum, commiſcuit? Qui ne in ſacrificio quidem unquam aut itinere ullo ſibi temperavit, quin inter altaria ibidem ſtatim viſcus & farra penè rapta ex foco manderet, circaque viarum propinas fumantia obſonia vel pridiana atque ſemeſa.

Noli quærere, unde adipem contraxerit! Non in Imperio tantùm contaminabatur, ſed à primâ etiam pueritiâ. Adoleſcentiam in Capreis egit inter Tiberiana ſcorta; Cajo per aurigandi, Claudio per aleæ ſtudium familiaris; Neroni per omnia hæc acceptior. Perditiſſimorum ex Principum conſuetudine quidni perditos traxerit mores? Quidni inter Aulæ delicias in pudendum ſuccreverit Corporis tumorem? Facies ex vinolentia rubet. Tiberim rubore infectam credas, cùm ſpurciſſimum cadaver cogeretur recipere.

XXIV.

VITELLIUS.

Nullos minus metuendos eſſe, quàm obeſos, & qui de ſolo victu cogitant, & Iulius Cæſar dictitabat, & Sergius Galba; Uterque effato non rejiciendo, niſi Vitellium dediſſet ſive Natura ſive Fortuna.

Obſcænum hoc Ventris Mancipium, de cujus Voracitate modo vidimus, cùm Patrimonium dilapidaſſet, & contra opinionem in Inferiorem Germaniam mitteretur, ſubitam Imperii ſpem dignâ moribus ſuis fovit humanitate: Totâ viâ Caligatorum quosque militum obvios exoſculatus

eſt, perque ſtabula ac diverſoria mulionibus ac viatoribus, præter modum fuit comis, ut manè ſingulos, jamne jentaſſent? ſciſcitaretur, ſeque feciſſe ructu quoque oſtenderet. Caſtra ingreſſus nihil cuiquam poſcenti negavit, atque etiam ultrò ignominioſis notas, reis ſordes, damnatis ſupplicia demſit. Quid his artibus? Imperium venabatur. Imperium, quod denſiſſimis & curarum & laborum vepribus obſepſit Natura.

Aut non nôrat tanti faſtigii tempeſtates **Vitellius**; Aut ſi norat, extra ſuam capacitatem poſitas contemſit. Viam ſi ſuperaſſet, in vertice ſibi omnia tuta promiſit; Sed monſtra invenit. Qui Privatum in Imperiale Solium evexerant, iidem Imperatorem infeſto mucrone detraxerunt. Quid Lauream jactas **Vitelli**! Haud diuturnus eſt indignæ felicitatis ſplendor! Tui Similes

Tolluntur in altum
Ut Lapſu graviore ruant.

XXV.

TITUS.

TUtiſſima Imperialis faſtigii baſis eſt Obedientia Subditorum. Ut hanc Gentilium Principes vel conciliarent, vel extorquerent, diverſas plerumque ingreſſi ſunt vias; Pars Clementiæ ſtuduerunt, Pars Severitati. Utri rectius? vix dixeris. Clementia abſque ſeveritate lenitas eſt, Subditisque luxuriandi & vires dat & otium; Severitas abſque clementia eſt tyrannis, quæ miſerrimæ plebi, ſi non juſtas, neceſſarias tamen ſeditionum cauſas propinat. Utrinque quod quæritur, amittitur. Rari ſunt, qui alterutro felicitatem publicam vel ſtabiliverint, vel conſervârint. Nec amor absque authoritate paratur, nec metus absque clementia. Contemptus eſt, quod ex lenitate oritur, quod ex nimia ſeveritate, odium. Si veram plebis conciliandæ rationem deſideres, in Titi effigie habebis paratiſſimam: Forma vel SUETONIO teſte, eſt egregia, continetque non minus authoritatis quàm Gratiæ!

En

En Divinum diverſiſſimarum Virtutum temperamentum! En rationem, quâ Principes quascunque malevolorum turbas exſuperant! Severitas manſuetudine lenitur; Manſuetudo ſeveritate acuitur. Qui alterutrâ caret, Inimicis aut odium debet aut ludibrium. Qui utramque poſſidet, Is demum Principali dignus eſt Solio. Is, quod de Tito fertur, & honore fruitur absque invidia, & popularis eſt absque contemptu, mereturque vocari humani generis & Amor & Deliciæ!

XXVI.

IUDÆA CAPTA.

QUanta DEI erga gratos Benignitas, tanta eſt in ingratos indignationis ardor; Quantò tardior vindicta, tantò & gravior, & in animis Poſterorum durabilior memoria. Gentem Judæorum haud aliter ac Filium dilexerat; At eandem poſtquam Beneficiorum immemor deſciſceret, haud aliter ac hoſtem perſecutus eſt, tandemque in extremas conjecit miſeria.

Lachrymoſum Hieroſolymarum excidium quis non audiit? Quis non Nobiliſſimum Titi Triumphum? Si Josephus taceret, Lapides loquerentur. Utriuſque Simulacra non in Numiſmatibus tantùm, ſed in Gemmis etiam inveneris. Propoſita antiquiſſimæ notæ, artificii non ſpernendi, Palmam exhibet Regionis Judaicæ prolem. Palmæ adjacent varia Judaicorum armorum genera. Armis hinc inſidet Fœmina ſpecie lugentis, illinc adſtat Vir Paludamento regio indutus. De fœmina conſtat Judæam denotari; Virum A. Rubenius Captivum facit, ſed Oiſelius, quod Paludamento indutus ſit, ipſum Imperatorem arbitratur. Noſtra Gemma Rubenio ſubſcribit. Virum hunc barbatum facit, qualis nec Titus nec Veſpaſianus. Manus poſt tergum revinctæ captivum innuunt; Paludamentum non de plebe hominem, ſed Principem. Princeps Judæorum in Triumpho Veſpaſiani occiſus, Simon memoratur Joſepho, Gioræ filius. Hunc quidni in Gemma & Numiſmatibus expreſſum dicamus? Eodem Paludamento inſignis viſitur, & captivus quidam Parthorum Rex in ædibus Cæſiis. Indignam Principali faſtigio ſortem! In-

dignam DEI Populo! At non indignam, ſi peccata reſpicias pertinaciſſimè cumulata. Immenſa eſt DEI Benignitas, ſed in Gratos; In ingratos immenſus eſt Juſtitiæ rigor.

XXVII.

M. AURELIUS & FAUSTINA.

PLeraque Humanæ vitæ tempora, vel Pace tranſiguntur vel Bello. Pax felicitatis fons eſt; Bellum fons miſeriæ. Si Pax cum DEO ſtetiſſet, nihil eſſet, de quo quereretur humanum genus. Ex quo bellum exortum eſt,

Macies & nova febrium
Terris incubuit cohors.

Dolenda hæc, toleranda tamen. Dolenda, quoties amiſſæ felicitatis memoria ſubit; Toleranda, quoties noſtræ culpæ, quoties Divinæ non Juſtitiæ tantùm, ſed & Miſericordiæ. At ipſos homines furialibus odiis in ſua ſævire viſcera, quis æquis oculis aſpiciat? Non Reges tantùm diſſident, non Respublicæ, non Urbes; ſed Familiæ etiam.

Non Hoſpes ab Hoſpite tutus,
Non Socer à Genero, Fratrum quoq; gratia rara eſt.
Imminet exitio Vir Conjugis, Illa Mariti.

Tantis calamitatibus unde remedium? Proculdubio ex fonte. Hoc obturato, quidni ceſſet & malorum torrens? Fontes erant Bellum Hominum cum DEO, & Bellum, quod ex eo natum eſt, Hominum cum Hominibus. Utrique Divina Bonitas oppoſuit Pacem. Illi reductâ cum Pœnitentibus Concordiâ; Huic conceſſâ poſt lapſum Rationis umbrâ. Hâc ducti etiam Gentiles varia excogitârunt media, quibus ſi non ad cœleſtis, tamen ad terrenæ reſurgerent felicitatis arcem. Non minima ſunt Conventiones & Pacta, quæ, ut furialem ardentium armorum cohiberent licentiam, non minus ac Fideles cenſuerunt interponenda. Ex Pactionibus Concordia

cordia; Ex Concordia Pax, non inter Reges tantùm & ſupremas Poteſtates, ſed inter privatos etiam, imò in ipſo regimine domeſtico.

Rem contemplare in propoſita Gemma, Concordiam indicant dextræ junctæ; Enaſcentem ex Concordia Pacem Caduceus; Ex Pace Felicitatem Cornucopiæ. Cornucopiæ appoſitè Fœminæ datur, Viro Caduceus; Illi, quòd ejus ſit fœtibus augere domum, Huic, quòd familiæ Pacem dare. Vel ex differentia ſexuum agnoſcis de Concordia Maritali hîc agi, quæ Regiminis Oeconomici eſt; Sed Politicum non excluditur. Imperatorem impoſitum globo gubernaculum evincit, Orbis eo indigitatur Imperium. Marco Aurelio ut adſcriberemus non tam facierum Similitudo fecit, quàm ducta ex nummis conjectura. Illæ minores ſunt, quàm ut agnoſci poſſint, in his Concordia Marci & Fauſtinæ effingitur, ſi non iisdem ſignis, quibus in hac Gemma, iisdem tamen figuris.

Dum de Pace externa & interna nobis ſermo; Utra præſtantior ſit, haud forſitan abs re videbitur quærendum. Reſpondet vel Cœlator. Imperatorem effinxit cum Pacis Inſigni. Imperatoris utrumque eſt, & Uxor & Orbis; Et tamen Hic Pacis inſigne non Orbi obtendit, ſed Uxori. An ut Pacem Orbi neget? Non dixerim; Potiùs ut Pacem domeſticam Paci externæ præferat.

Felices, quibus occluſis foribus omnis excluditur hoſtis!

XXVIII.

COMMODUS.

in Cameo

EXternæ faciei qualitates, internarum animi vulgò creduntur Indices. In tantum invaluit hæc opinio, ut quidam dignam putaverint, in quam

quam, tanquam in rem certam, plerarumque meditationum ſuarum & impenderent ocium, & intenderent aciem; At vanam interdum, et niſi res reſpondeat, incertis ſubnixam rationibus, non uno patuit exemplo. Fuerunt, qui ſub facie detorta pretioſiſſimas politioris ingenii dotes ſervarent; Fuerunt, qui ſub vultu ſereno immanes vitiorum occultarent hydras. Illius fidem vel in uno Socrate inveneris, hujus vel in uno Commodo. Noli Socratis deſpicere vel Calvitiem, vel Simitatem! Metus eſt, ne & Tibi Menippus aliquis reſpondeat, quod apud Lucianum Æaco inferorum judici: *Omnes ſimi ſumus, omnes calvi.*

Corpore ſimitatem, corpore calvitiem circumtulit Socrates, non animo. Secus, quem in Gemma contemplamur, Commodus. Hic faciem gerit, qualem Herodianus deſcribit, *pulchram & Virilem, Oculos habet tranquillâ face micantes, criſpam Cæſariem, decentem ubiq; formæ dignitatem.* Si ex his cum vulgo Judicium ponas, Divinitatis argumenta putabis; Si ex Geſtis, Deorum Commodum, hominumque pronunciabis hoſtem. A prima ſtatim Pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinoſu[illegible] Ore [illegible]oque pollutus & conſtupratus; Ut calices fingeret, ſaltaret, [illegible]et, ſibilaret, ſcurram denique & gladiatorem ſe perfectum oſtenderet, Artifex. Quos Cædes, etiam nobiliſſimorum, peregit? Quot ſtupra, non in meretrices tantùm, ſed in Matronas etiam patravit? Pudet meminiſſe. Plena ſunt Hiſtoricorum commentaria.

Quid Naturam accuſas? Externa Commodi ex Antonino effinxit. Quod interna non reſponderint, vel Matris putatur vitium, vel juvenilis, quam Adulatores perverterunt, ſummo in faſtigio licentiæ. Ubique robuſta vitiorum radix. Ex adulterio natum haud forſan abs ratione aliqui putarunt; Niſi forſan fabulæ credatur, quâ Fauſtina gladiatoris ſanguine lota & illiciti amoris æſtum moderaſſe, & ex Marco concepiſſe Commodum, gladiatorisque ita genium infanti inſcripſiſſe perhibetur. Quicquid ſit, Aſſentatoribus genii malignitatem juvantibus, ſerpentinâ rabie ſomnium Matris non tantùm implevit, ſed & ſupergreſſus eſt.

COMMO-

XXIX.

COMMODUS

sub habitu Herculis.

Duplici Principes fulgent Imagine. Non Homines tantùm, ſed & Dii ſunt; Homines naturâ, Dii officio. Natura humanis eos ſubjecit calamitatibus, Officium ſuper homines cæteros extulit, proximoq; Diis cœleſtibus poſuit in culmine.

Hæc cùm ita ſint, quis miretur, Gentiles terrarum Dominos humanâ ſui Effigie contentos non fuiſſe? Quis miretur, divinam inſuper mutuatos? Exempla paſſim in Hiſtoriis occurrunt; Non equidem culpanda, ſi, quam aſſumſere figuram, ejus etiam laudes exprimere ſategerint.

At quis eodem ſub habitu ferat indigna Principali faſtigio Monſtra? Quis **Commodum**, cujus in præſenti Gemma dementiam agnoſcimus? Leonina ſpolia Herculem produnt. Herculis Lineamenta Lineamentis **Commodi** miſcuit Artifex. Talis non in nummis tantùm occurrit, ſed in ſtatuis etiam. Statuas in Herculis habitu Eum recepiſſe, HERODIANUS teſtatur, teſtatur LAMPRIDIUS. Nec ſtatuas tantum, imò & cultum. Immolatum Ei eſt ut DEO. Reſpondit & Nomen. **Hercules** dicebatur non Tyrius, non Ægyptius, non Græcus; ſed **Romanus**.

Quid Hercule dignum peregit? An triplices Cerberi alicujus fauces conſtrinxit? An ſeptem capitum domuit hydram? Nihil minus. Cauſa fertur, quòd feras in Amphitheatro occiderit. Itáne Hercules? Neutiquam. Hic cum Leone, ne clavâ quidem domito, cominùs congreſſus eſt, manibusque nudis apprehenſum ſuffocavit. Hic non in Captivitate, quæ ferociſſimorum etiam animantium robur frangit, ſed in apertis montium luſtris feras devicit.

Quid Commodus? Ex loco tuto in concluſas tela conjecit;

Sic jaculandi potius ſcientiam oſtendit,
quàm
fortitudinem.

XXX.

M. AUREL. ANTONINUS
SEVERI FILIUS.

FRatrum Contentiones & iras acerbiſſimas eſſe, Paradoxum quidem videtur, fulcitur tamen & ratione & experientiâ. Si primordia mundi ſcruteris, Cain occurrit, cujus ira non niſi per Abelis mortem deferbuit. Si primordia Romæ luſtres, Romulus eſt qui Remi interitum Solii ſui baſin poſuit.

Fraterno Primi maduerunt ſanguine Muri,
Nec pretium tanti Tellus Pontusve furoris
Tunc erat, exiguum Dominos commiſit Aſylum.

Eadem Veſania & Antoninum invaſit Severi Filium, cujus effigiem in propoſita Gemma agnoſcimus, ad fidem Numiſmatum eorum, quæ primâ lanugine exhibent conſpicuam. Nondum defecit in ea blandior ætas; Ingenioſam diceres, radiare jucunditatem, niſi orituræ quid miſceretur & crudelitatis & ſuperbiæ. Hæc duo in perpetuis cum Geta diſcordiis ex tenera quaſi radice eò legitur produxiſſe, ut non tantùm fratrem interficeret; ſed & Orbem terrarum cædibus repleret. Crevit cum ſævitia faciei terror. Cecidit vultus, non minus ac Caini, poſt patratum facinus;

facinus; Sed non cecidit crudelitas. Qui ſuis non pepercit, quo modo parcat alienis? Ubi ſemel animum occuparunt Furiæ,

Tetrica Continuum ſpargunt per membra venenum.

Non ſanguinis, non dignitatis habetur ratio. Imò ſi in cognata ferantur viſcera, tùm demum vehementiſſimè exſurgunt; A quibus beneficium exſpectatur, ab iis non ſolùm beneficio privari, ſed inſuper lædi intolerabile eſt: Quò magis conatibus aliquid reſiſtit, eò majore cum impetu & fervore id oppugnatur; Ab Impiis Pietas, ab Ambitioſis Juſtitia.

XXXI.

PUPIENUS BALBINUS & GORDIANUS.

Sard. inc.

NUllum mare, nullum fretum, utut profundum & procelloſum, tantos ciet fluctus, quantos Multitudo, ſi exutâ Principum veneratione feratur; Nulla Tigris, nulla Leæna tantis furit auſibus, quantis ſervus cæcâ dominandi percitus libidine; Nullus hoſtis nocentior eo, qui ſub amicitiæ velo inſidiarum laqueos occultat. Si ſemel inſederit vel Amicum perfidia, vel Servum dominandi libido, vel Multitudinem ſeditionis pruritus, nec dignitati parcitur, nec ætati. Sint, deſint Cauſæ; Omnia furori ſuccumbant neceſſe eſt.

Aſpice Propoſita in Gemma Principum venerandam Trigam! Imperatores contemplare, Pupienum & Balbinum! Contemplare Gordianum Cæſarem! Illos Corporis & animi viribus præſtantes, Hunc Juvenili venuſtate amabilem. Illi multitudinis experti ſunt rabiem; Hic perfidam ſervi ambitionem. Cyclopicam Maximini feritatem exoſi & Senatus & Populus Gordianos in Africa imperiale in faſtigium evectos, ſumma cum lætitia acceperant. Gordianos cùm ſuſtuliſſet Capeliani fortuna, Senatus ut præſenti rerum neceſſitati conſuleret, Imperatores creavit, quos modo diximus, Pupienum re militari Clariſſimum & Balbinum ſanctitate verendum. Illum Prudentiâ, hunc Eruditione meliorem; Illum virtutum Conſtantiâ, Hunc generis Nobilitate. Quid Populus?

Diffluxerat ejus erga Principes veneratio. Priorum eam laxaverat ſive ſocordia ſive ſævitia, & licet ſanctior quorundam interceſſerit moderatio, recens tamen Maximini crudelitas quidvis ſuadebat metuendum. Severior Pupieni Genius diſplicuit; Huic ut obicem opponeret, Gordianum Gordiani ſenioris, ut quidam volunt, Nepotem Cæſarem petiit, nec ante permiſit in Capitolium abire ſacrificaturos, quàm voti ſui ſe videret compotem. Peractis ſacris Pupienus cum Exercitu profectus eſt. Balbinus Romæ permanſit. Manſit & ſeditio ex Populi Prætorianorumque diſcordiâ, quæ nec ipſa ſedari potuit, niſi producto rurſus Gordiano Cæſare. Nondum ſteterunt furiæ. Novæ diſſenſiones exortæ. Milites in Caſtris à Populo obſeſſi. Balbini authoritas exſibilata; Donec vincenti Populo Prætoriani palmas traderent. Interim Pupienus, occiſo Maximino, cum exercitu Romam reverſus, gaudium quidem Senatûs Populique; Militum autem & ipſe ſenſit invidiam. Pœnitebat Imperatorem perdidiſſe, quem elegerant ipſi; recepiſſe quos elegerat Senatus. Pœnitentia in vindictam erupit. Qui Maximini, illi & in Pupieni & Balbini cervicibus nefarium mucronem condiderunt. Tantus eſt iratæ Multitudinis ardor! tanta licentia!

Gordianus ſupererat; Hunc communi conſenſu creârunt Imperatorem; Hunc omni curâ putârunt fovendum. Sed quem militaris ferocia non oppreſſit, Eum ambitio ſervi, Eum Amici perfidia. Philippum, quem Prætorio præfecerat, quem in locum Parentis aſciverat, Eum acerrimum expertus eſt hoſtem. Hujus dolo militibus inviſus, ne vitam quidem obtinuit, tantùm abeſt, ut Imperium. *Eòne Cupido Imperii provehat Virum infimæ ſtirpis & Arabem?*

XXXII.

CONSTANS.

MUtationes eſſe periculoſas, & diviſiones ducere ad interitum, ſcholaſtica quidem effata ſunt, ſed quorum veritas maximorum ſæpè cum

Impe-

Imperiorum ruinâ convaluit. Si Conſtantinus Regiam ſedem non tranſtuliſſet in Orientem, nunquam Barbari ad occupandum Occidentem ſuſtuliſſent animos. Si inter Filios non diviſiſſet Orbem, nunquam diffluxiſſet Imperii vigor.

Fatalis hujus diviſionis in præſenti Gemma mentio eſt, illuſtriſſima ſanè. Æthiops Conſtantis Capiti oppoſitus, non aliam ob cauſam videtur, quàm quòd Africa, cujus Æthiopes populi ſunt, in diviſione ei ceſſerit. Audi Pomponium Lætum (*r*). *CONSTANTINO,* inquit ille, *obvenere Galliæ, Hiſpaniæ & Alpes Cottiæ, Brittanniæ, Orcades, Hiberniæ Thule: CONSTANTI Italia & AFRICA cum Inſulis, Illyricum, Macedonia, Achaja, Peloponneſus, Græcia; CONSTANTIO Oriens & Thracia, cujus Caput eſt Conſtantinopolis.* Hac ex diviſione Diſcordiarum ſemina, & inter Conſtantinum & Conſtantem bellum; Ex bello Illius interitus, Huic autem extendendi imperii juſtior occaſio. Dignum Imperio diceres fuiſſe, niſi poſt laudandam in regimine Induſtriam in luxum procidiſſet & ſocordiam. Exitiali hoc Principibus veneno cùm abriperetur, Magnentio, quem ipſe olim ſervaverat, & opes ſtabiliendi & inſidias parandi, & viam patefecit, & dedit otium. Gemma ejusdem eſt quâ hic delineata magnitudinis, artificii pro temporum ratione ſummi, in quo & colorum venæ rei expreſſæ famulantur.

XXXIII.

LUCTATORES.

Sard. unus.

INgentem tam Græcorum quàm Romanorum, quam olim exercebant potentiam ſtupeſcit Orbis; Tantâ celeritate ſurrexit, tantâ mobilitate duravit. Nihil tamen eſt, quod invideas. Suâ id conſecuti ſunt induſtriâ. Cùm omnem hominum vim in Animo & Corpore ſitam intelligerent, neutrum putârunt negligendum. Utrumque exercuere; ſed diverſis in Artium & Scientiarum generibus, & ita, ut ingenii Imperio ma-

(*r*) In Comp. Hiſtor.

gis uterentur, corporis ſervitio. Hinc & Virtute bellicâ inclaruerunt & artibus Pacis, pariſque & Fortitudine, & Prudentiâ, & hoſtes devicere, & devictos rexerunt. Ingenium probant tot eruditiſſima, quæ ſuperſunt, Poëtarum & Hiſtoricorum ſcripta; ut reliquos taceam, qui non minoribus fulgent remotioris Doctrinæ ſpeciminibus. Si Corporeas Vires requiras, nihil eſt, quod Exempla laudes. Gemmam noſtram inſpice! Vel Infantes Luctam exercent; Non puerili ineptiâ, ſed ſub peritiſſimo experti, qui intentus adſtat, Gymnaſtæ præſidio. His ſi cum annis creverit & corporis robur, & roboris dexteritas, quod honeſtis ejusmodi exercitiis fieri ſolet, an Generoſos Spiritus defuiſſe credas? Minimè vero! Neque enim vel Servorum hæc credideris, vel aliorum, qui in Amphitheatris infelicem profuſuri erant ſanguinem. Audi Comicum:

> *Fac periculum*, inquit apud TERENTIUM (*s*) Parmeno, *in literis, Fac in PALÆSTRA, in Muſicis, quæ Liberum Scire æquum eſt Adoleſcentem.*

Liberum, inquit, æquum eſt præter Literas Muſicam etiam & Palæſtram noſſe! Scil. ne mollitudine Literarum & Muſices corporis vigor diffluat, nen ferociâ corporis, Literarum, quæ politioris vitæ baſis ſunt, aboleantur deliciæ.

En felix conjugium! En firmiſſima æternaturæ reipublicæ fulcra.

XXXIV.

EQUUS TRIUMPHALIS
BIGÆ & QUADRIGÆ.



Sard. incis. Onych. incis.

ALia ſubeunt Priſcæ Nobilitatis certamina. Bigas cernis & quadrigas, quibus Græcos uſos & Romanos in vulgus patet. Romani in ludis Cir-

(*s*) In Eunucho Act. 3. Scen. 2.

Circenſibus potiſſimùm, Græci in Olympicis & Pythiis. Ratio Curſûs & Victoriæ alia non erat, quam *meta fervidis evitata rotis*; *Fervidis* inquam, ne ſcil. à poſteriore vinceretur auriga anterior; *Evitata*, ne dum metæ impingit, vitæ ſuſtineret periculum. Septies in Circo & apud Græcos duodecies confectô curriculô obtinebatur Victoria, & victoriæ præmium, in Circenſibus Palma, quam proinde *nobilem* vocat Lyricus, in Pythiis Laurea, in Olympicis Corona Oleagina.

Palmam non Victores tantùm præferebant, ſed iisdem & Equi interdum ornabantur, ut plurimùm tamen in triumpho. Morem plura demonſtrant Numiſmata apud Onuphrium Panvinium, qui totam Circenſium rationem plenius executus eſt. Numiſmatibus ſe teſtes adjungunt & noſtræ Gemmæ, in quarum prima *Equus Triumphalis*, in ſecunda *Bigæ aurigante Figurâ nudâ*, in tertia *quadrigæ, auriga palmam præferente*, in quarta *quadrigæ cum Laurea, & à Tergo aurigæ Litera P*, quàm, ſi Romanam credas, quin Pythia ut interpretemur, non video quid obſtare poſſit.

XXXV.

PASTOR & CAPER.

NOn nobiliora tantùm in Rebuspublicis vigeant ſtudia, ſed & ruris Cultura & Cura pecoris. Hæc uti prima eſt, & antiquiſſima omnium, ita & omnium maximè neceſſaria functio. Si Poëtis credas, & amœniſſimam dixeris.

Beatus ille qui procul negotiis,
Ut priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore;
Nec excitatur claſsico miles truci,
Nec horret iratum mare:
Forumq; vitat, & ſuperba Civium
Potentiorum Limina.

Ergo

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges.

In proposita Gemma non errantes greges Pastor, sed Caprum prospectat; non voluptatis gratiâ, sed necessitatis, ut arbori infestum dignâ afficiat pœnâ. Pastorem ex pelle agnoscimus, consueto Pastoribus vestitu. Augustinus Senensis caprum exhibet palmæ, Ovidius viti, inhiantem; Non viti tantùm & palmæ, sed promiscuè arboribus animal hoc noxium Plinius dixit. Quicquid sit, Officium hîc Pastorum adumbratum contemplare. Non sufficit, ut greges pascantur; Videndum etiam, ne quid damni dent. De Vite in Gemma nulla mentio; forsan tamen non adeò absurdè huc transtuleris versus Ovidii, in eum conscriptos, qui vitem corrupit, Bacchoque ea propter meruit sacrificari:

Palmite debueras abstinuisse caper!
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacitô verba dolore dedit:
Rode, caper, vitem, tamen hinc cùm stabis ad aram
In tua, quod spargi cornua possit, erit.

HActenus Effigies quasdam & Actiones profanas; Ascendimus ad ea, quæ sacra spectare videntur. Fundamentum Sacrorum est

XXXVI.

PIETAS.

Pietatis Effigiem hac in Gemma cernimus eodem planè habitu insignem, quo ex Drusi Numismate æreo jamdudum innotuit. Caput

est

eſt muliebre, Comis procinctum & dependente obtectum Velo. Muliebre eſt, ut intelligas non indomitam virilis animi duritiem, ſed muliebrem cordis contritionem ad ſacra adferendam; Comas procinxit, ut vanas humanæ ſuperbiæ criſtas coram DEO ſignificet coercendas; Velo tegitur, ne profanis turbetur aſpectibus. Anima hominis Dei Sponſa eſt; Si ſincero Sponſum ſuum amore complectatur, ejus voluntati omnes ſuas ſubmittit & vires & facultates. Non terrena reſpicit, ſed Creatorem ſuum unicam vitæ Cynoſuram veneratur; Non indignam ſuperbiæ fomitem jactat, ſed in innocentia reponit omnem elegantioris formæ ſplendorem.

Hæc ne Chriſtianis quidem aſpernanda, cùm in Imagine Pietatis incluſerint Gentiles, meritò quærendum cenſeas, an verâ Illi Pietate fulſerint? Negat D. Augustinus, Cicero affirmat, ſuæ uterque cauſæ ſerviens. Ille Pietatem veracem Veri DEI cultum definit; Hic Juſtitiam appellat adverſus Deos, & Cultum erga Majores aut ſanguine junctos. Lectoris de his arbitrium eſto! Nos duplex Pietatis objectum ex Cicerone notamus, quorum poſterius colendæ Pietati dediſſe fertur & locum & occaſionem. Sacellum ejus à M. Attilio *Glabrione* dicatum accepimus, eo in loco, quo Mulier habitaverat, quæ cultu, non in Deos, ſed in Patrem; Vel ut alii, quæ in Matrem, ubera Captivæ ſubminiſtrando, fuit inſignis. Hanc Pietatem in Numiſmatibus absque velo videmus effictam. Facie cæterùm eleganti, Capite Comato, inauribus, & monili circa collum, imò & cùm Ciconia, quæ, quòd Parentes in ſenectute alat, Pietati-Cultrix Petronio appellatur.

Hæc Pietas eſt erga Homines; Quam ſupra dedimus, erat erga Deos; Utramque, non minus ac alias virtutes, Illuſtres inter Romanos Fœminæ, ſi non coluerunt, at coluiſſe voluêre videri. Inde eſt, quòd ſuas imagines earum habitu exornatas Poſteritati ſacrârunt, cujus rei & Numiſmata teſtimonium ſuppeditant & præſens Gemma, quæ cum Numiſmate Druſi collata, quin Antoniam exhibeat, ex Doctorum ſententia nulli dubitamus.

XXXVII.

MÆNAS.

PErverſâ circa Deorum Naturam Gentiles vertigine correptos ea ſæpè confinxiſſe, quæ omnem Divinitatem evertunt, ſuperiore capite latius demonſtravi. Perverſam de Diis Opinionem quid potuit ſequi, niſi perverſus Cultus? Pudenda ſunt, quæ paſſim occurrunt, pertinaciſſimè tamen obſervata; Bacchum cogita, & furentia Bacchantum agmina,

Quacunq; ingrederis, clamor juvenilis, & unâ
Fœmineæ voces.

Fœminam in propoſita Gemma intuére! Bacchi Cultricem innexi capillis Corymbi evincunt. Prurientem Ebriæ Libidinem nuditas Papillæ indicat. Fuerunt qui Olympiam Alexandri Matrem ſub hac Effigie agnoſcerent. Horum opinio authoritate PLUTARCHI ſtabiliri poſſet, qui fœminas Macedonum & nominatim Olympiada Bacchum, ad inſtituta ORPHEI, Author eſt & coluiſſe, & Coronas geſtaſſe & ſerpentes. De ſerpentibus in noſtra Gemma nihil, Corona procul dubio ea eſt, quæ Baccho ſacra. De facie dubitaverim; Si conjecturæ in re obſcura locus, potius Cleopatræ tribuerem Alexandri Theopatoris uxori, cujus Effigies in Nummis iisdem fere Lineamentis conſpicua cernitur; Sed nec hæc ex amuſſi reſpondent.

XXXVIII.

BACCHI CERERISQUE MINISTRA.

ALiud Coronæ genus in præſenti vides. Ex Racémis plexum eſt & Spicis. Racemos Bacchi, Spicas Cereris geſtamina eſſe, in vulgus

patet. In plerisque Antiquitatis monumentis Bacchi & Cereris ſacra ſeparata occurrunt; Dantur tamen etiam, in quibus conjuncta. Exemplum nuper ex pretioſiſſimo Onyche protulit Cl. Eggelingius; Ei ſuffragatur hæc noſtra Gemma. Miniſtram exhibet non alterius tantùm, ſed utriusque. Non hîc impuriſſimos ritus referam, quibus peragebantur Orgia. Vel nuditas Papillæ, quam etiam in præcedenti vidimus, infandæ Libidinis argumentum præbet. Mirum ſi Cereris Miniſtram eâ conſpurcatam credas, cùm ad Eleuſinia nulli, qui alicujus ſceleris aut noxæ ſibi conſcii eſſent, tradantur admiſſi.

Sed nec Ratio, nec Hiſtoriæ fides turpitudinem amovent. Pleriſque Eleuſiniorum ritus in adumbrandis parùm caſtis Cereris erroribus volvebantur; Et id, quod religioſiſſimô ſilentiô tegebant, ſi Tertuliano credas, Membrum Virile erat, ſi Theodoreto, Muliebre: Pudenda ſatiandæ libidinis Inſtrumenta. Libido exſurgit ex nimio Vini frumentiſque uſu. Alterius dator Bacchus credebatur, alterius Ceres, quæ Numina non ſemel apud Poëtas conjungi novimus. Hæc illa ſunt, quæ plurimas Gentilibus & extorſerunt religiones, & ſuppeditarunt artes. Horum vel inopiâ adducti, vel copiâ delibuti varia vitæ neceſſaria invenerunt, Templa & Aras ſtruxerunt, ut Diis tantorum bonorum Datoribus, vel ſupplicarent, vel dignas pro datis rependerent gratias:

Laudatiſſimo conatu; Sed progreſſu in tantum non honeſto, ut etiam Ratio vel contemplando erubeſcat.

XXXIX.

POCULA.

Amethiſt. Incis.

BAcchi Miniſtros vidimus; Videamus & Arma! Arma Bacchi Pocula ſunt. His non Thracum in morem pugnat, ſed in Uſum lætitiæ utitur. In Gemmis noſtris, quæ exhibentur, ſi Bacchi non ſunt, erunt tamen egregii cujusdam bibulæ curioſitatis æmuli. Tantâ artis præſtantiâ ea dignatus eſt, ut vel inde, quid Genii poſſederit, agnoſcas. Sed com-

munis ea fuit, uti hodierni ſæculi, ita & Antiquorum labes. Variis ornamentis Veteres Pocula exornaſſe, vel ex uno VIRGILIO conſtat:

pocula, inquit Menalcas, *ponam*
Fagina, cœlatum Divini opus Alcimidontis,
Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis,
Diffuſos ederâ veſtit pallente Corymbos;
In medio duo ſigna.

Cui Damœtas

Et nobis, reſpondet, *idem Alcimedon duo Pocula fecit,*
Et molli circum eſt anſas complexus acantho,
Orpheaq́ in medio poſuit, ſylvasq́ ſequentes.

Nos ſimilia exhibemus pocula, ſed diverſis ornata figuris, primo quidem *Lenta*, ut Poëta loquitur, *ſuperaddita vitis*; ſed in Medio duo Sphinges viſuntur, In ſecundo bigæ victoriales. Bigæ victoriarum Olympicarum memoriam renovant; Sphinges & Thebanorum Fortunam & Bacchi Patriam indicant; De Bigis jam ſupra dictum eſt; De Sphingibus dicetur ad Numiſmata Chiorum.

XL.

LARVA ORGICA.

ORgiorum turpitudinem deteſtati ſumus. In propoſita Gemma uberior indignationis materies. Caput eſt Racemis & Uvis coronatum, Barbâ largiore hirſutum, Fronte caperatâ, Naſo in rugas contracto, Oris rictu ad deformitatem aperto. Perſonam ex ore agnoſcis; Vix enim eſt, ut caput alicujus vel Hominis arbitreris, vel DEI; In tantam deformitatem torquetur. Bacchi Conſortio addicit Corona. An ad Bacchum, quem ſupra Barbatum dedimus, referre liceat? vide! Sileno abjudicat capillatus vertex. Sileni plerunque occurrunt calvi. Si conjecturæ locus, Satyri alicujus credideris, quos & ipſos Bacchi comites fuiſſe conſtat:

Ecce Mimallonides ſparſis in terga capillis!
Ecce leves SATYRI, Prævia Turba DEI.

Quic-

Quicquid ſit,

Perſonæ pallentis hiatum,
In gremio matris formidat ruſticus infans.

Nec eſt, quòd vel Satyros, vel alios ejusdem farinæ turpiſſimis ſimulacris effictos, vel Perſonas eorum Baccho ſacratos mireris; Utriusque rei ratio in detortis Ebriorum geſticulationibus conſiſtit, unde & Theatrales ludos Baccho ſacratos, & ſtatuæ ejus perſonas ſcenicas appenſas, ex Veteribus conſtat.

XLI.

BACCHI SACRIFICIUM.

BAccho Vini primitias oblatas ex Apulejo obſervat Augustinus Senensis, ad Gemmam, in quâ Columna cum Icunculâ & Vite cernitur, adſtante Bacchi Cado, in eumque Vinitore ſacratum effundente liquorem. In noſtrâ ſimilis eſt Columna; Arbor non vitis eſt, ſed alia quædam, incognita tamen, an Myrtus? vide! Aſſidet juvenis pedibus decuſſatim compoſitis, ſiniſtra haſtile tenens, an Pedum, an Thyrſum? Dextrâ Vinum non Carcheſio infundit, ſed Phialâ hauſtum ori admovet bibiturus. Egregium ſanè Bacchici Satellitis Sacrificium! Quod Ille devotâ mente obtulerat, Hic avidâ voragine deglutit. Quis melior? Si Gemmæ credas, Poſterior erit. Cultum omnibus numeris abſolvit. Bibit, ut incaleſcat; Incaleſcit, ut Libidinem exerceat; Libidinem, cujus Sacra & Statua ſupra Columnam Ithyphallica, & laſciva requirit Veneris Arbor.

XLII.

SACRIFICIUM PRIAPI.

BAccho ſacrificantes ad Libidinem devenerunt. Libidinis πρόμαχος Priapus erat. Et huic ſua ſacra dedêre Gentiles; Sacra ſanè Priapo digna! Ea in propoſita contemplare Gemma. Ipſe porrecto ſatis viriliter inguine Columnæ inſiſtit, à tergo Tibicen, à facie Figura nuda, Aſinum auribus apprehenſum mactatura, cernitur. Quid Aſinus ad Priapum? Inguen aſpice; Cauſa patebit. Uterque magnitudine pollet. Rem ne fabula quidem reticet. Priapus à Bacchi ex India reducis Aſino hac in parte victus Victorem legitur occidiſſe, indeque conſuetudo manſiſſe, ut Aſinus ei immolaretur. Recedant, qui clamore proditum ajunt, cùm Veſtæ inſidiaretur! Ratio ſacrificii ſatis eſt manifeſta, mirum quòd devotos ejusmodi Deorum Cultores non & ipſos aſininâ figurâ effinxerint Antiqui!

XLIII.

SACRIFICIUM FAUNI.

MOnſtrum ingenii humani Priapus fuit. Monſtra fuerunt & Fauni; Sua tamen etiam His apud Gentiles viguere ſacra. Si homines deſint, Satyri juſta peragunt; Elegantiſſimum propoſita Gemma creditæ veritatis hujus exhibet monumentum; Satyrus & hircinis pedibus & fœdo inguine

guine abominandus hœdum geſtat; Hoedum geſtans Aræ appropinquat. Aræ non Faunus tantùm aſſidet, ſed Fauna etiam; Uterque ſub arbore. Ab arbore dependet

Fiſtula diſparibus ſeptem compacta Cicutis.

Fiſtulæ inventor Pan dicitur. Pana cum Fauno eundem, vel ex hoc Ovidii colligas:

Faunus in Arcadia Templa Lycæus habet.

Fauno ſub arbore hœdum immolatum Horatius canit:

Nunc - in umbroſis Fauno decet immolare lucis,
Seu poſcat agnam ſive malit hœdum.

Idem ad ipſum Faunum:

Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec deſunt Veneris ſodali
Vina crateræ vetus Ara multo
Fumat odore
Cùm Tibi Nonæ redeunt Decembres.

Ex his & locus & tempus ſacrificii patet; Patet & ratio adſtantis vaſis. Ubique arctiſſimum videas & Ebrietatis & Libidinis Conjugium!

XLIV.

TOGATUS SACRIFICANS.

MAjoris, quàm ſuperiora, puritatis Præſens eſt. Quocunque reſpice; Nihil invenies Numine indignum. Habitum contemplare & externam ſpeciem, imô & inſtrumenta; Omnia caſta ſunt, omnia exornata, omnia in ſinceræ pietatis compoſita genium. Figura viſitur Togata; Toga caput obvolvit; Caput faciem oſtendit modeſtâ humilitate depreſſam; Facies Dextram verſus inclinat. Dextra nuda eſt, & Phialam prætendit;

Phiala

Phiala effuſo jam in ignem thure converſa cernitur; Ignis Aræ ſuperimpoſitus ardet; Ara & frondium & fructuum ornamentis coronata eſt; Retrò aram arbor enaſcitur. Arbor, quæcunque illa ſit, vel Lucos oſtendit propè templa Deorum conſecrari ſolitos, vel campeſtrem ſacrificii locum, vel denique ritum eorum, qui non in Templis ſacrificabant, ſed in montium jugis. Ornamenta ſi diſcerni poſſent, fortè & Deum proderent; Suâ enim cujusque fronde vinciri aras conſuetum fuiſſe, ex idoneis Authoribus conſtat: Jovis Eſculo & Quercu, Apollinis Lauro, Minervæ Oleâ, Veneris Myrto, Herculis Populô, Bacchi Ederâ, Panis Pinu, Ditis Cupreſſo.

Ignis tædâ accendebatur, ne vel hîc profani quid miſceretur. Tædam infra ad ſacrificium Salutis videbimus. Ex paterâ thura igni infuſa, innumera Antiquorum Numiſmatum Monumenta teſtantur. De more Caput velandi ſupra diximus. Velum in Togatis creditur ipſa Toga; Id vel ex præſenti Gemma planum fit. Pedes nudi ſunt, hoc in ſacrificantibus inter alia requiſitum ALEXANDER ab ALEXANDRO notat: *Triumphales,* inquit, *Viri, & qui amplos honores geſſerant, in Triumphi ornatu, aut in prætextâ, lotis manibus, & fronte coronati, ſacri & venerabiles, NUDIS PEDIBUS, & tonſâ comâ ad rem Divinam accedebant. Idq; à Pythagora traditum Lacedæmonii obſervarunt, qui NUDIS PEDIBUS adorandum ſacrificandumq; cenſuerunt.*

XLV.

MULIER SACRIFICANS.

VIrum ſacrificantem vidimus; In præſenti Mulier viſitur, inſidens Rupi, ſepoſitis Haſtilibus & Clypeo. Si Pallam excipias, nuda eſt, & Capite

pite aperto, non Paterâ thura fundit, ſed Manu. Ardet Ara. Ara coronata eſt, & Arbori appoſita. De Ara & Arbore jam dictum. Apertum pectus procul dubio ſinceritatis eſt effectus; Ejus ſcilicet, quæ vel intima cordis coràm Diis explicare ſolet. Sepoſita Haſtilia animum à terrenis indicant vacuum. Manus abſque Patera Sacri teſtis eſt abſque ſolennitate peracti. Eodem tendit & apertum Caput; Neque enim diſcrimen hîc inter Deos agnoſcimus & Homines, cùm nec homines ſemper velato capite ſacris operatos eſſe, pluribus Numiſmatibus poſſit demonſtrari.

XLVI.

MILES SACRIFICANS.

SImpliciore in re Divina genio utitur etiam Hic, quicunque eſt, Militari habitu indutus. Caput galeatum eſt, Ara nullâ fronde redimita, nullo igne calefacta; An Cœlatoris Incuriâ? Pronus ſum ut credam. Figura cæterùm ſatis eſt concinna. Dextra Pateram præfert, Siniſtra Clypeum gerit. Clypeum gerit & Sagâ indutus eſt, ut Militare ſacrificium agnoſcas, imò Militis in procinctu ſtantis; Cum alioquin, ut dictum, Togati Deos accedere conſueverint. Sic, ut in Civilibus, ita etiam in Divinis accuratiore Ceremoniarum obſervatione Milites ſolutos, haud forſan abſurdè credideris.

XLVII.

SACRIFICIUM SALUTIS.

EO ſive Metus Deorum, ſive Amor vitæ miſeros Mortales adduxit, ut nec ſuæ quidem abſtinuerint contrariantibus Naturæ. Fœminam a-

ſpice & conſidera ſerpentem! Hic horridi quid ſonat, Illa quid timidi. Talia ſunt, quæ & ipſe Creator mutuâ damnavit inimicitiâ; Attamen Fœmina, timore excuſſo, nudâ manu Serpentem apprehendit; Nec apprehendit tantùm, imò & Salutis ſuæ fomitem in ejus quærit vel cultu, vel benevolentiâ. Serpentem ſingulis annis abjecto renovari ſenio, in vulgus patet; Inde Salutis Genium putavit perverſa Gentilitas, inde Æſculapio ſacravit Medicorum DEO, & ex Fabula de reſtituto Glauco, & Æſculapio Romam advecto, divinis eum honoribus affecit. In propoſita Gemma Flammis Aræ injectis obvertitur non cremandus, ſed ut fumum hauriat, & vel ad reſtituendam vel prolongandam ſanitatem dulcedine odoris commoveatur, id quod & in Diis cœleſtibus ridet Lucianus. Fax appoſita ea eſt, quâ ignis ſacrificii ſolebat accendi. De Ara reliquisque in ſuperioribus dictum.

XLVIII.

SACRIFICIUM CUPIDINIS.

FOemina Arietem ſuper Aram accenſam immolatura prætendit; Facem à latere jactat Cupido. Cupido facem jactat, non ut ardentes ſuper Aram Flammas excitet, Sed ut internas Cordis. Credebatur amorem immittere, devotis ſui cultoribus honeſtum, contemptoribus turpem. Fœmina propoſitæ Gemmæ Cupidinem veneratur; Præmium igitur Pietatis ſuæ expectat amorem, ſed amorem honeſtum. Conſidera Naturam animalis, conſtabit ſacrificii ratio; Animal Libidinoſum eſt, ob Libidinem & Laidis tumulo legimus impoſitum, & Veneris apud Eleos ſtatuæ ſubſtratum. Libidinem ſi in te dominari patiaris, Perniciem fovebis tui & Corporis & Animi; Si ad ignem Pietatis exigas, erit grata Deo victima.

SACRI-

XLIX.
SACRIFICIUM
SOLENNE.

PAuca in hactenùs dictis de sacrificantium ritu. Plura ut addamus, proposita Gemma monet. Solebat Sacerdos sacris operaturus Venere abstinere, Corpus abluere, Albâ veste ornari, Caput vel laneâ Infulâ, vel fronde coronari, Victimam ante Aram statuere, Precationem peragere, Fruges in caput Victimæ, aut molam ex farre molito & sale inspergere, Vinum inter Cornua fundere, obliquum cultrum à fronte ad caudam ducere, Se ad Orientem vertere; His peractis ignem jubere accendi, Setas inter Cornua prima Libamina injicere, Victimam Victimariis immolandam tradere, Adesse Tibicen, Victima major auratis Cornibus accedere Aram; Si sponte, tunc fausta putari; Invita tamquam infausta removeri. Hæc & alia ad sacrificia Gentilium spectantia plenius executus est ALEXANDER ab ALEXANDRO; Pleraque & in nostra Gemma occurrunt: Sacerdotis Puritas ex nuditate elucescit; Pateram, quâ vinum inter Cornua fudit, sinistrâ tenet; Cultrum, quem à fronte ad Caudam duxit, Caudæ adhuc admovet; Victima in pede aræ impositio mitis apparet; Tibicen ex Tibia agnoscitur. Si Sacra Veteris Testamenti conferas, apertum erit, pleraque ex vero cultu vel desumta esse vel depravata.

ANACEPHALÆOSIS.

NOn abs ratione dixit, qui turpia etiam in terris ad illustrandam, dixit, terrarum facere pulchritudinem. Non suspiceres splendorem Solis, nisi & Noctis nosceres nigredinem. Non Veris juventutem laudares, nisi & Hyemis sentires senium. Quis Corporis vigorem in pretio habet, nisi qui adversam valetudinem est expertus? Quis Divitiarum jubar, nisi qui Paupertatis incommoda tulit?

Varias hactenus contemplati ſumus Illuſtrium & Effigies & Actiones: Actiones non honeſtas tantùm, ſed & turpes: Effigies non placidas tantùm, ſed etiam tetricas: Illuſtrium non Virtutibus tantùm, ſed & Vitiis; Omnes tamen quin ad perficiendam Humani Generis Nobilitatem faciant, nulli dubitamus. Quis Conſtantiæ Comoda extollat, niſi & incommoda noverit Inconſtantiæ, cujus in Conſtante Exemplum proſtat. Quis infucatam Amicitiam? Quis Servi, quis Subditorum Fidem dignè æſtimaverit, niſi qui & Perfidiam, quæ Pupienum, Balbinum & Gordianum ſuſtulit? Furiarum in Antonino Terror Fraternæ Concordiæ jubar extollit; Commodi Veſania Prudentiam acuit, duplicemque oſtendit Principum Naturam. Vitellii Voracitas Temperantiæ tædium eſt; Crudelitas Neronis Clementiæ horror; Simulatus Tiberii ſermo Sinceritatis Odium. In Livia fallacem Formam puritas mentis detegit; In Iulia Naturæ Malitiam Educationis Probitas deplorat; Nefandam Libidinem in Druſilla execratur Caſtitas, in Iole Fortitudo; In Cæſare & Cleopatrâ Ambitionis fructum agnoſcit Humilitas. Linguæ damna in Cicerone miratur Eloquentia; In Philemone Philoſophorum fucos Simplicitas. In Bellerophonte punitur Superbia; In Hannibale Socordia; Et Atalantam ſi intuearis, Auri cavebis illecebras.

En mella ex venenatis etiam decerpta floribus!

Quantò dulciora ex Nectareis fluent? Paſtorem & Caprum intuere! Vitæ ruſticæ laudes habebis. Luctatores & Bigæ & Quadrigæ honeſtiſſima adumbrant Nobilitatis Studia. Equus Triumphalis Virtutis pollicetur Præmia. Titus tutiſſimam Principalis faſtigii baſin in temperato ponit Clementiæ & Severitatis nexu. Auguſtus Regiam Majeſtatem in terris, Majeſtatis Divinæ Imaginem probat. In Mutio Militaris Civium Conſtantia radiat; In Theſeo ingenuæ Juventutis ardor. Non Philoſophis, non Poëtis ſua deeſt Gloria. His in Alcæo aſſeritur dignitas, Illis in Solone. In Lyſimacho Virtutis inſignia fulgent. In Alexandro Principum Libertas. Uterque non Pacis tantùm, ſed & Belli præſtitit artibus, uterque inter prælia Sapientiam coluit; Non humanam tantum, ſed & Divinam. Minervæ Alexander templa poſuit: Minervam Lyſimachus ſuis impreſſit Numiſmatibus. Accedite Vos, qui Divinitatem verbis, qui Divinitatem factis negatis! Deos colendos diſcite ab Ethnicis! Non iis qui impuritate ſuâ Religionem contaminarunt, ſed qui caſtis uſi ſunt Sacrorum Ritibus.

SECTIO SECUNDA
CONTINENS
NUMISMATA
CIMELIARCHII ELECTORALIS PALATINI
SELECTIORA

Caput I.
DE
REGIBUS QUIBUSDAM MACEDONIÆ, ASIÆ, SYRIÆ, ÆGYPTI, CARIÆ, BITHYNIÆ, PONTI, VIRIS ALIQUOT ILLUSTRIBUS GRÆCIÆ, TYRANNISQUE SICILIÆ.

Omnium rerum, ita Regnorum præcipuè & Monarchiarum ſunt periodi: Oriuntur & occidunt. Oriuntur à minimis, & cùm ad maximum Potentiæ ſuæ excreverint culmen, rurſus labaſcunt, & ſenſim in antiquas, ex quibus enata, redeunt favillas. Ubi vetuſta Inachidarum in Peloponneſo Regna; Ubi Aſſyriorum, aliorumque per Orbem Populorum Majeſtas?

Pleraque parca dies ſpatioſo abſorbuit æſtu.

Rem ſi Fabulis involutam contemplari lubet, aſpice Saturnum. Is cùm ex Rhea

ex Rhea filios procreaſſet, eosdem dicitur avido devorâſſe hiatu. Sub Saturno Tempus intelligi, dubium non eſt. Tempus, ſi Poëtis fides, viventibus vitam & impertit & adimit. Quod naſcitur, in tempore naſcitur; Quod creſcit, cum tempore creſcit; Quod interit, interit cum tempore.

Hæc utcunque ſe habeant, aliæ tamen & ortûs & interitûs notari ſolent cauſæ. In origine Regnorum, & Monarchiarum incremento Heroici occurrunt Regum & Imperatorum Spiritus; In decremento & occaſu Ignavia & Potentiorum Diſcordia. Illi hoſtilem ferociam concutiunt, ſuos tutantur; Hi hoſtilis ferociæ fomes ſunt, ſuos in perniciem præcipitant. Nulla Virtus Principe dignior Fortitudine, nulla indignior Ignaviâ. Hæc occulta lues eſt, quæ Solium vel Herculeis ſuffultum columnis ſubruit; Illa cementum, quod vel arenas in æternaturam ædificat compagem: Illa temporis Vires in Regnorum conſervatione juvat & augmento; Hæc in diſſolutione & interitu: Hæc Coronis ſpoliatur, & illa donatur. Exempla ſi deſideres, Hiſtoricorum Oceanum ingredere. Non deerit firmandæ veritati materies. Vel unica Græcorum Monarchia ſatisfecerit. Ea cùm Regum ſuorum virtute paulatim creviſſet, poſteaque ſub Alexandro ad extremos ferè Orientis ſe extendiſſet terminos, ſubitò per Diſcordiam diviſa, ſe ipſam confecit, tandemque virtuti Romanorum impar in Victorum arbitrium conceſſit. Reges quosdam, quorum vel Virtute, vel Vitio tantùm fortunæ & ſurrexit & concidit, præſenti Capite intuebimur. Intuebimur & alios quosdam, ſi non Regali poſitos in Solio, attamen eandem ſortitos cum Regibus celebritatis famam. Primas tenent

REGES MACEDONIÆ
& inter hos
ARCHELAUS I.



ARchelai & Effigiem cernis & merita. In Effigie Diadema occurrit, non obſtante Justino, qui Alexandrum, ſubjectâ Perſarum Potentiâ, Diadema tradit aſſumſiſſe, *inſolitum ante Regibus Macedonicis.* Si verum

verum dixerit, Perſicum intelligat neceſſe eſt, cujus ab ordinario differentiam ſuperiore capite vidimus.

Merita Archelai ſub Equo latent ; Neque enim ad animalis hujus in Macedoniâ abundantiam reſpiciendum putamus, neque ad fortitudinem Gentis,cùm utraque ſub hoc demum Rege ſumſerit initium. Injuſta quidem, quibus Regnum occupavit, media reliquum Imperii tempus ſuſpectum reddere poſſent : Ex Concubina natus, quod jure non poterat, ſcelere vindicandum exiſtimavit ; Patruum Alcetam cum Filio Alexandro ſplendidiſſimo exceptos Convivio interfecit, Fratrem, in quem à communi Patre tutelam nactus erat, in puteum præcipitavit. Regiâ authoritate, licet nomen deerat, ſubnixo quid arduum videretur ? Sed alia extant ejus præclara. Non prælia laudo cum Syrrhâ & Arrhibæo geſta, non ſubjugatos Pydnæos ; Unicum Thucydidis teſtimonium & aſſerti noſtri fulcrum erit, & Numiſmatis interpretatio : *Regno*, inquit ille, interprete Vallâ , *Regno potitus Archelaus amplas vias munivit, ac cætera ex uſu belli EQUIS, Armis, alioque apparatu meliùs, quàm ſuperiores Octo Reges, adornavit.*

En factum verè Regium ! Cùm variis hoſtium incurſionibus expoſitam cerneret Macedoniam, nihil antiquius putavit, quàm ſeque ſuosque vel contra inſultus munire , vel ad ulciſcendas armare injurias , non viris tantùm & armis, ſed Equis etiam.

Bello armantur Equi, Bellum hæc armenta minantur;
Sed tamen iidem etiam curru ſuccedere ſueti
Quadrupedes & frena jugo concordia ferre,
Spes eſt Pacis, ait

apud Virgilium Anchiſes ;

Equus ergò & Pacis & Belli ſymbolum habetur. Indeque credibile eſt, Archelaum , cùm omnia jam ad uſum belli inſtruxiſſet, Equum hunc eum in finem absque Ephippio, nullo ſeſſore gravatum, nullo jugo, nullo curru impeditum ſignâſſe, ut ſe utrique & Paci & Bello jam paratum ſignificaret. Certè non Belli tantùm artibus præſtitit, ſed & artibus Pacis. Non Milites tantùm fovit, ſed & Eruditos , Herodotum , Hellanicum, Euripidem. Imò & Ipſe ingenium ſuum elegantiſſimis interdum, ſi Plutarchum audias, probavit ſententiis. Sit Socrates Oraculi judicio ſapientiſſimus, judicio tamen non ſatis firmo Regimen Archelai ex regiminis initio æſtimavit. Ignorabat Hunc everſum fanaticum Politico-

Politicorum dogma, quo iisdem mediis, quibus acquiritur, & retineri jubetur potentia. Ignorabat ſuperaturum Anteceſſores ſuos prudentiâ, ſuperaturum fortitudine!

II.

AMYNTAS.

CAput hoc Leoninis ornatum ſpoliis Herculi addicit Nonnius. Equum vel ad Macedonum virtutem referunt, vel ad Equorum in Macedonia Abundantiam. Si me audias, neutrum rectè. Facies ab Herculis facie diverſiſſima, ipſius quin Amyntæ ſit, ſuffragante Ursino, nullus dubito. Barba profectam ætatem indicat, cujus apud Justinum mentio. Barbas alere Macedonibus moris fuiſſe, vel inde colligas, quòd Alexander M. ut raderentur, Edicto præcipere neceſſe habuit. Leonis Exuviæ ad Herculem reſpiciunt. Herculem interfecti Leonis Nemæi pellem geſtâſſe tritum eſt. Id imitatos, qui vel genus ab Eo trahebant, vel Heroem æmulabantur, Numiſmata docent. Utrumque in propoſito deprehendimus.

Originem Reges Macedoniæ ab Hercule deduxiſſe, nemini dubium eſſe debet. Stemma ex Idoneis Authoribus conficitur tale: Hercules-Hyllus-Cleodeus-Ariſtomachus-Temenus-Ciſus-Medon-Theſtius-Acous-Ariſtomidas-Caranus. Caranum ſecutus eſt Cœnus, Cœnum Tyrimas. Justinus his omiſſis Carano Perdiccam ſubjicit, Perdiccam excepit Argæus, Argæum Philippus, & Hunc Æropus, Æropum Alcetas, Alcetam Amyntas, & Hunc Alexander. Alexandri tres Filios numeramus: Perdiccam Secundum, qui in Regno ſucceſſit, Alcetam quem cum Filio Alexandro ab Archelao ſublatum diximus, & Philippum θαρράλεον, cujus filius Amyntas fuit, de quo hîc agimus. Ad Perdiccam Secundum usque naturalis deſcenſus à Patre in Filium fuit; In ſequentibus ſeries aliquantulum interrumpitur. Perdiccas duos filios habuit, Archelaum ex Simiche

ſerva

ſerva & alium ex Cleopatra Uxore, quem ab Archelao in puteum præcipitatum meminimus. Archelaus ſucceſſorem habuit Archelaum II. & Hic Oreſten. Oreſtes ab Æropo Tutore ſublatus éſt. Æropum excepit Pauſanias. Pauſaniâ ſublato Amyntas noſter Imperium in filios protulit. Hæc ratio Generis, quod Amyntas procul dubio in Pelle hâc Leoninâ jactandum cenſuit, ut jure videretur avitum repetere ſolium; Virtus Heroica ex ſequentibus patebit.

Equum ut vel ad Macedonum Virtutem referam, vel ad Equorum in Macedonia Abundantiam, Hiſtoriæ ſeries impedit. Cùm Philippus Amyntæ Pater à Fratre Perdicca auxiliis Derdæ & Athenienſium ſuccincto oppugnaretur, re minùs proſperè geſtâ, Uterque & Philippus Pater & Amyntas Filius ad Sitalcem Odryſiarum Regem confugere neceſſe habuerunt. Cum Amyntas Paternum regnum repeteret, non tantùm id facili negotio recepit, ſed & facili negotio rurſus ejectus eſt. Ubi tum Macedonum virtus? Exigua fuit, ſi nec Hoſtem amovere, nec Regem tueri potuerint. Militare robur, quod invexerat Archelaus, ſequentium Regum ſocordiâ crediderim emarcuiſſe. Archelaus filius venationibus ſtuduit; Æropus Menſulis & Lucernis fabricandis otium trivit. Quis credat Militarem ſub his viguiſſe Virtutem? Quis Equorum ad Militaria Curam? Et ſi viguere, quis credat Regem ea æternitati ſacrare voluiſſe, cùm ſuis ſemper obfuerint fortunis? Aliud ego ſub Equo Amyntæ latere auguror, Regiâ ſublimitate digniſſimum: Gratitudinem ſcilicet in Theſſalos, quorum auxilio, cùm regno ejectus eſſet, reſtitutum leginus. Theſſalos Equitatu valuiſſe, nemo neſcit; Eorum vim, ſi turmatim & juſtâ acie pugnent, non poſſe ſuſtineri, Polybius Author éſt; Inde Lucanus:

Theſſalicus Sonipes bellis furialibus Omen.

III.
EIUSDEM
AMYNTÆ.

ALiud Amyntæ Numiſma damus, mole quidem exiguum, at Raritate & Elegantiâ fulgentiſſimum. Caput in adverſa imberbe exhibet &

Leoninis ornatum faucibus; In averſa Aquila eſt retroſpiciens, Roſtro hiante, Unguibus vacuis quidem, ſed ad raptum apertis. Imberbe hoc & Leonis exuviis ornatum Caput, quod in Numiſmatibus occurrit, Alexandri vultus credebatur; Sed Herculi vindicavit Vir omnis Antiquitatis ſcientiſſimus CAROLUS PATINUS. Ejus Aſſertum hoc noſtro juvatur. Caput Alexandri non poteſt eſſe, quod ante Alexandrum fuit. Non Alexander tantùm id ſignavit, ſed & Philippus, ut in ſequentibus videbimus, & Amyntas, ut in propoſito; Omnes non aliam ob cauſam, quàm ut Generis Regii ab Hercule oſtenderent Originem, cujus ſeriem modo dedimus. Noverant efficaciſſima ad conciliandos plebis animos eſſe Nativitatis jura & merita Majorum. Noverant Juſtitiam ſacro quodam circumſederi horrore, adeò ut eam oppugnaturi, Deos ſibi oppugnaturi videantur. Noverant Merita Majorum ſpem facere, eosdem fore & Nepotes. Ubi Spes & Metus Subditorum animos & ad amorem trahunt, & ab odio arcent, quis neget tutam fore Majeſtatem? Utrunque Macedonum Reges expreſſo Herculis capite intenderunt. Cùm vulgus Progenitorem Regum ſuorum cerneret, quid dubitaret de juſta ſucceſſione? Cùm in progenitore fortitudinis præmia videret, quidni & talia Regem ſuum crederet affectaturum? Ut Hercules Nemeum Leonem ſuſtulit, detractamque pellem ſui in tutelam convertit; Ita quicunque Herculem expreſſerunt, Hoſtibus ſuis & vires & facultates ſe detracturos, ſuique converſuros in ſecuritatem, eo ipſo videntur polliciti. Rationem cur imberbis potiſſimum Leonis exuvias jactet Hercules, in ætate habebis paratiſſimam; Juvenis erat cùm Nemeum aggrederetur. Vide omnino quæ infra ad Nummos Heracleæ dabuntur. Averſam hîc evolvere placet.

Aquilam Regiæ dignitatis Symbolum eſſe, nemini dubium eſt. Sub fulmine Regium robur intelligitur; Aquila igitur Fulmine armata Regem viribus ſuis adhuc ſuccinctum ſignificat, Et in contrario ſenſu, Fulmine carens Regem viribus ſuis & Imperio ſpoliatum; Si reſpiciat, qualis in noſtro Numiſmate, Regem denotabit ad regnum reſpicientem; Si ungues ad raptum aperiat, Regem ad rapienda Imperii viſcera paratum. In propoſito Numiſmate ipſum Amyntam denotari vel Nomen evincit. Suffragatur & Hiſtoria. Amyntas non tantùm cum Patre Philippo à Patruo Perdicca pulſus regno caruit, ſed &, cùm jam ſublatis Perdiccæ filiis id recuperaſſet, bis eo dejectus, bis reſtitutus eſt. Primò Theſſalorum auxilio, quibus præcedenti Nummo gratitudinem ſuam teſtatus eſt. Secundò, cùm ingentem rurſus ab Illyriis paſſus cladem fermè deſperaret, jamque conceſſâ Olynthiis finitimâ eis agri ſui parte in Exilium abiturus eſſet.

eſſet. Tunc enim à quodam è familiaribus ſuis, qui dictum HELLOPIDÆ ad DYONISIUM, *Honeſtiſſimam Sepulturam Imperium eſſe*, laudaverat, revocatus ad Regnum denuò reſpexit. Nec reſpexit tantùm, imò & Macedoniam breviſſimo tempore recepit univerſam; Herculeo ſanè robore, quod & in Poſteris vigebat; Herculeo Genio, qui etiam in rebus maximè adverſis ſpem fovit, diſcuſſisque contrariæ fortunæ tempeſtatibus ad priſtinam reſurrexit & dignitatem & Potentiam.

IV.

PHILIPPUS.

PHilippus Alexandri M. Anteceſſor, &, niſi Juppiter Ammon litem moveat, Pater, variis calamitatibus diſtractum Macedoniæ Regnum eò potentiæ provexit, ut ab omnibus metueretur, quod antea metuerat omnes. Occubuerant Fratres Alexander & Perdiccas, an fraude Matris an in Prælio? nunc non attinet dicere. Illyrii inſultabant. Inſultabant Pæones & Thraces; Imo & Athenienſes hoſtium cumulo accedebant: Pars injurias ulturi, Pars Regiam reducturi Sobolem; Macedonibus pares, ſi junctis viribus eos oppugnaſſent; Dum ſuæ quilibet utilitati ſtudent, impares. Animadvertit Philippus morbum, radiantemque ex eo concepit ſpem, poſſe, ſi non vi, tamen donis & pollicitationibus amoveri hoſtiles exercitus. Spei reſpondit eventus. Thracum Rex Muneribus ceſſit; Ceſſerunt & Pæones. Athenienſes per inſidias devicti; Illyrii aperto Prælio. Sic ſecuritas Macedonibus parta, ſic firmatum in vertice Philippi Regium, quod cernimus, Diadema.

Quæ de Diademate dici poſſunt, jam ſupra ad Numiſma Archelai attigimus. Effigies, cùm plures Philippi fuerint, vel Macedoniæ, vel Syriæ Reges, nec Inſcriptio differentiam arguat, incertum videri poſſet, cui ſit tribuenda, niſi & Golzii authoritas & Numiſmatis averſa Amyntæ filio addicendum clamarent. Fuit Filius Argæi Hoc noſtro vetuſtior. Fuit Alexandri M. Frater. Fuit Caſſandri Filius. Fuit Filius Demetrii tertii, Perſei

ſei ultimi Macedonum Regis Pater. Et ſi in Syriam tranſeas, invenies Filium Antiochi Grypi odem nomine inſignem. Sed omnium vel Effigies vel geſta abhorrent à Præſenti. Argæi Filium vetuſtas removet, Philippum Syriæ & Demetrii diverſitas facierum. Alexandri M. fratrem inertia ſuſpectum facit, Filium Caſſandri brevitas Imperii. Sic ulli Horum tribuendam hanc faciem cùm nulla ratio ſuadeat ; Amyntæ autem Filio & res in Numiſmate contentæ addicant, & Eruditorum Judicia, meritò & nobis acquieſcendum.

Res in averſa contentas Amyntæ Filio quadrare, non ex propoſito tantùm elucet Numiſmate, ſed etiam ex ſequente. Propoſitum Equitem exhibet decurrentem, qualiter in Olympicis ludis fieri ſolebat. In ludis Olympicis Philippum & Equos habuiſſe, & Victorias retuliſſe idoneo Authorum teſtimonio conſtat. Egregia fuit & Numiſmati noſtro ex amuſſi reſpondet, ideoque in doctis eadem judicata eſt, quam captâ modò Potidæâ accepit ſimul cum nato Alexandro & fuſis à Parmenione Illyriis. Verba PLUTARCHI hanc in rem talia ſunt : Φιλίππῳ δὲ ἄρτι ποτίδαιαν ᾑρηκότι τρεῖς ἧκον ἀγγελίαι κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, Ἡ μὲν, Ἰλλυριοὺς ἡττᾶσθαι μάχῃ μεγάλῃ διὰ παρμενίωνος. Ἡ δὲ, Ὀλυμπιάσιν ἵππῳ κέλητι νενικηκέναι. Τρίτη δέ περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου γενέσεως. *Philippus captâ modò Potidæâ eodem die tres nuncios accepit : Fuſos à Parmenione ingenti pugnâ Illyrios, ALTERUM OLYMPIIS SE EQUI PERNICITATE VICISSE, tertium natum Alexandrum.* Hæc Numiſma ſatis explicant. Appoſita Bipennis procul dubio locum ſignaturæ indicat, an Tenedum, quæ Numiſmatibus ſuis Bipennem impreſſit? Pronus ſum ut credam.

V.
EIUSDEM
PHILIPPI.

EFfigiem Philippi diadematam dedimus; Hîc eadem eſt, ſed Laureata. Laurea memoriam ſervat Victoriæ de Phocenſibus, quam Philippus

lippus obtinuit *milite*, non tam armato, quàm *laureato*. Rem accipe ex JUSTINO: *Phocenſes*, inquit ille, *Philomelo quodam duce, velut Deo iraſcentes, templum ipſum Apollinis Delphis occupavere; Inde auro & pecuniâ divites conducto mercenario milite bellum Thebanis intulerunt. Primâ congreßione Philomelus Thebanos caſtris exuit. Sequente prælio primus inter confertißimos cecidit & Sacrilegii pœnas impio ſanguine luit. In Hujus locum Dux Onomarchus creatur. Adverſus quem Thebani Theſſaliq̃ non ex Civibus ſuis, ne victores potentiam ferre non poſſent; Sed Philippum Macedoniæ Regem Ducem eligunt, & externæ Dominationi, quam in ſuis timuerant, ſponte ſuccedunt. Igitur Philippus, quaſi ſacrilegii, non Thebanorum ultor eſſet, omnes milites CORONAS LAUREAS ſumere jubet, atq̃ ita veluti Deo Duce in prælium pergit. Phocenſes inſignibus Dei conſpectis conſcientiâ delictorum territi, abjectis armis fugam capeſſunt, pœnasq̃ violatæ religionis ſanguine & cædibus ſuis pendunt. Incredibile quantum ea res apud omnes Nationes Philippo Gloriæ dedit. Illum vindicem ſacrilegii, Illum ultorem religionum, quod orbis viribus expiari debuit, ſolum qui piacula exigeret, exſtitiſſe dignum; Itaq̃ Diis proximus habetur, per quem Deorum Majeſtas vindicata ſit.*

Adhuc durat glorioſa celebritas, durat Nationum erga Philippum Gratitudo. Non in adverſa tantùm hujus Numiſmatis, ſed etiam in averſa: Bigæ ſunt, indicantque victorias Curules, quas Philippus non tantùm obtinuit, ſed &, adſtipulante PLUTARCHO, Nummis impreſſit: Τὰς ἐν Ὀλυμπίᾳ Νίκας τῶν ἁρμάτων ἐγχαράττων τοῖς Νομίσμασιν; Quanquam propoſitum non Ipſe ſignaverit, ſed Nationes Græciæ, ad quas Phocenſis Victoriæ Gloria penetraverat. Plura ex auro viſuntur ejusdem magnitudinis, ejuſdemque ſignaturæ, niſi quòd minutis vel Urbium, vel Populorum ſignis diſtinguantur; Unde palàm eſt, communi quodam Græciæ Concilio formam Nummi hujus, ut & aliorum, præſcriptam fuiſſe, præter quam nihil adjicere licuerit, niſi minuta illa ſigna, quibus loca diſtinguerentur. In Cimeliarchio Electorali quædam cum Lyra Theſpienſium cernimus, Alia cum Cratere Thebanorum; Pars Fulmen proferunt Epirotarum Symbolum, Pars Bipennem, qualem in præcedente de Tenedo interpretati ſumus. In propoſito Tridens eſt, quem de Teno aliave Neptuno ſacratâ vel urbe acceperis vel Inſulâ.

VI.
TERTIUM
PHILIPPI.

PHilippi Effigiem vidimus. Præſens Numiſma Faciem Jovis exhibet, & Equitem, cum Palma & Lauri ramo, adjectâ Litera Γ. Caput Jovis Aliquis de ſubmotis Hoſtibus, Victis debellatisque Tyrannis nuper explicandum putavit; Quòd ſcilicet, prout Juppiter Gigantes profanis Cœlum manibus invadentes ſtravit, ita Philippus noſter Pauſaniam, Pardalim, Lycophronem, Tiſiphonem, Onomarchum, Phayllum, Pytholaum, vel Macedonicæ potentiæ, vel aliorum Libertati graves disjecerit, fuderit, fugaverit, & firmiſſimo regnum ſuum robore adverſus quamcunq; ingruentem tempeſtatem firmaverit. At verius dixeris Philippum, dum Jovis vultum Numiſmatibus ſuis impreſſit, etiam in hoc Oraculi mandato paruiſſe, quo monitum legimus, ut hunc Deum præcipuè coleret : *φιλίππῳ πέμψαντι Χαίρωνα τὸν Μεγαλοπολίτην εἰς δελφοὺς, χρησμὸν κομισθῆναι λέγουσιν παρὰ τοῦ θεοῦ, κελεύοντα Ἄμμωνι θύειν καὶ σέβεσθαι μάλιστα τοῦτον τὸν θεὸν,* Inquit PLUTARCHUS in Alexandro.

Equitem ad ludos Pythios referimus, quos ut Philippus cum Bœotiis ederet, in Amphictyonum ſenatu decretum legimus apud DIODORUM. Id indicare videtur & Ramus Lauri, & ſubſcripta litera Γ. Palma, quæ manibus præfertur, victoriam indicat in Pythiis obtentam; Quòd ſcilicet Theſeus ex Creta redux, cùm Deli Apollini Ludos faceret, Victores Palmis coronaverit, qui mos, etſi poſtea mutatus fuit, manſit tamen, ut victores ubicunque locorum palmam præferrent, PAUSANIA docente in Arcadicis.

QUAR-

VII.
QUARTUM
PHILIPPI.

IMberbe hoc & Leoninis ſpoliis ornatum Caput, ut ſupra diximus, Herculis eſt, pertinetque ad Regum Macedonicorum Originem, de qua ad Amyntæ Nummum. Figura averſæ ſedens Juppiter eſt, quem ut Philippus præcipuè coleret, ab Oraculo juſſum modò ex PLUTARCHO notavimus. Subſcriptam Literam A. libenter de Ammone explicarem, ſed obſtant Numiſmata Alexandri, in quibus loco Literæ A. Litera B. habetur ; Si numeralem putes, annum Regni primum ſignificabit ; Si autem cum Lyra conjungas, de loco ſignati Numiſmatis haud forſitan abſurdè interpretaberis.

VIII.
QUINTUM
PHILIPPI.

ADverſa Palladis caput, averſa Victoriam exhibet. Palladem ad Cultum Alcidæ in Macedonia celebratiſſimæ pertinere, Nonnii ſententia eſt. Verba LIVII in hanc rem talia ſunt : *Ipſe* (Perſeus) *centum hoſtiis ſacrificio regaliter Minervæ, quam Alcidam vocant, confecto, cum purpuratorum & ſatellitum manu profectus Citium eſt.* Alciden vocarunt ab Ἀλκὴ robore ut &

ut & Herculem, nisi vel Hunc ab Alcæo Avo Alcidem appellatum, vel Illam ob fidelem, quam Herculi navasse perhibetur, operam idem cognominis meruisse contendas. Serpens in Galea visitur; Serpentem Minervæ sacram fuisse, vel DEMOSTHENIS Exclamatio ostendit: *O Pallas Urbium Præses, cur tribus infestissimis bestiis delectaris, NOCTUA, SERPENTE, ET POPULO*; Adde VIRGILIUM:

GEMINI lapsu delubra ad summa DRACONES
Effugiunt, sævæq; petunt TRITONIDIS arces,
Sub pedibusq; latent, Clypeiq; sub orbe teguntur.

Victoria Aversæ Navalis ex Tridente agnoscitur; Fortè ad Pyraticam referendam censeas, quâ, dum in obsidione Byzantii hæreret, septuaginta naves cepisse, distractisq; mercibus anhelantem inopiam memoratur recreasse. Adjectum Pentagonon & Monogrammon, an conjunctim de loco signati Numismatis, an divisim de loco & voto salutis intelligere velis, liberum esto. Pentagonon Salutis Symbolum esse, in libello pro lapsu inter salutandum LUCIANUS probat. Sequitur.

IX.

ALEXANDER M.

ALexander M. firmatâ Græciæ tranquillitate Macedonum robur ad evertendam Persarum potentiam in Asiam traduxit, devictoq; Dario & subacto Oriente, Babylonem regressus fatalem scyathum hausit. Numisma duo templa exhibet. Sed Alexandri ævo procusum non est, Litera C. pro Σ. quæ in Inscriptione occurrit raram ante Domitianum, sequentium autem ætatum propriam, & peculiarem fuisse, Illustris SPANHEMIUS observat. HERODIANUS *Caracallam*, ait, *postquam milites apud Istrum ordinasset, & in Thraciam Macedonibus conterminam discessisset continuò Alexandrum fuisse, memoriam ejus omnibus modis renovasse, Statuis, Imaginibus nullâ non in Urbe poni jussis, Romamq; ipsam Capitoliumq; & Templa refersisse Alexandri Simulacris.*

Hæc

Hæc ſi accuratiùs conſidero, vix mihi poſſum temperare, quin ſub Caracalla hoc Numiſma percuſſum, Templaque in Alexandri Memoriam & Imperatoris hujus honorem communi Macedonum & conſilio & ſumptu exſtructa exiſtimem ; Quanquam alii Jovi ea & Minervæ vindicare videantur. Forſan & Alexandri Severi temporibus addicas, quòd & hunc Principem Magni Æmulum prodiderint Hiſtoriæ. Literæ ſubjectæ KHC an numerales ſint, an vero locum ſignaturæ indicent, aliis dijudicandum relinquo. De Effigie & Diademate Alexandri ſupra ad Gemmam ejus dictum. Cornua Diademati affixa Jovem Ammonem arguunt Alexandri Patrem ; Ejus enim filium ſe palàm faſſum, Hiſtoriæ teſtantur, vel quòd Mater, vel quòd ipſe Deus id Genus edidiſſet.

X.

EIUSDEM

ALEXANDRI M.

CAput adverſæ Herculis ad Originem Regiæ ſtirpis pertinere, non ſemel diximus : Averſa Jovem exhibet Ἀεροφόρον & ſedentem. Plures in Electorali Cimeliarchio Alexandri Nummos cernimus, ejusdem typi, niſi minutæ, quæ adjiciuntur, notæ diverſitatem inducerent : Eſt Lyra Theſpienſium, Leo Phocenſium, Pegaſus & Monogramma Amphilochiorum, Caſſis Macedonum, Ancile Bœotorum, aliaque.

Jovem in his non tam ad Genus referimus, quàm ad miſſum divinitùs Victoriæ Auſpicium. Plutarchus Author eſt, *Ariſtandrum Vatem ad Gaſimelam, ante pugnam totius Aſiæ Imperium daturam, ſupra Regis verticem AQUILAM oſtendiſſe in ſublimi volantem, curſumq; rectà in hoſtes dirigentem.* Non defuit Eventus. Inſecuta eſt Victoria. Alexander totius Aſiæ Rex fuit proclamatus. Hæc cùm ita ſint, quis non credat Aquilam hanc *divinitùs* ſibi à Iove miſſam, Alexandrum exiſtimaſſe, indeque Numiſmatibus ejus utrumque celebratum?

XI.

ALIUD
ALEXANDRI M.

TErtium ſuccedit Alexandri Numiſma, quod, etſi rarum non ſit, elegantiâ tamen & diverſitate ſignorum monetalium [complura enim in Electorali Cimeliarchio iis cernuntur diſtincta,] videtur æſtimandum. Minervam præfert, cujus Alexandrum ſingularem cultorem fuiſſe, Hiſtoriæ docent. Neque enim ad generalem hîc Alcides in Macedonia cultum reſpiciendum putamus, cùm Commentariis Alexandri poſt mortem repertis, Diodoro obſervante, mandatum fuerit, ut Minervæ Templum in Cyrno ſive Corſica exſtrueretur, aliudque, quod nulli magnificentiâ cederet, in Ilio, ubi & ante huic Deæ ſacrificaverat, atteſtante Plutarcho. Averſam ad victoriam quandam navalem referunt ob tridentem, quem in læva Victoriæ cernimus. Ego devicto Oriente cùm Oceanum intraret ab Urbibus & Populis, ad quos fama rei pervenerat, hæc Numiſmata cuſa crediderim. Quâ ratione autem evenerit, ut idem omnium typus minutis tantùm, quæ adjecta ſunt, Civitatum ſignis diſtingueretur, ſupra diximus. Sic ΑΥ Lydos, Monogrammata laurea & in Smyrnæos populum ex Attica Achæorum regione oriundos novimus; Apis Epheſios, Tridens Tenum vel Byzantios, fulmen Epirotas deſignare poteſt.

POſt Alexandri exceſſum diviſis inter ejus Duces Regionibus Aridæo Regni umbra ceſſit, penes Antipatrum Macedonici poteſtas manſit. Poſt eum Caſſander evoluto Polyperchonte rerum ſummam obtinuit interfectiſque omnibus, qui hactenus ex Alexandri Progenie ſupererant, ad Exemplum Antigoni & Demetrii Regium nomen aſſumſit. Caſſandro Tres Filii fuerunt: Philippus, Antipater & Alexander

XII.

XII.

ALEXANDER CASSANDRI.

HUnc Nummum, cùm Fulvius Urſinus Alexandro Moloſſo tribueret, Nonnius hâc de cauſâ Caſſandri Filio adjudicandum cenſuit, quòd Moloſſi tempore nulli dum in Europa Elephanti viſi fuerint; Hos enim Ejus ex ſorore nepos Alexander M. devicto Poro primus Europæorum Regum in poteſtate habuiſſe memoratur. Sed neſcio, an ob hanc cauſam huic ſtatim tribuendus videri debeat? Hæc enim ratio tantùm evincit, eum Moloſſo abjudicandum, non etiam Caſſandri Filio dandum. Niſi Alexandro M. tribuas, de Pyrrhi Filio poteris dubitare, qui Patris mortem ulturus, Macedoniam Antigono ademit, mox à Demetrio pulſus Epirum quoque amiſit, brevi tamen reſtitutus memoratur. Elephantos Huic fuiſſe, nemo in dubium vocabit, qui à Patre Pyrrho eas belluas jam in Italiam meminit translatas. Aquila κεραυνοφόρῳ huic addicendum clamat, nec Pallas refragatur, nec, quòd Heracleæ ſignatus, ex adjectis ſignis & literis colligi poteſt; Jam enim diximus, eum Macedoniam tenuiſſe. Quidquid ſit, haud abſurdè tamen de Caſſandri etiam Filio interpretaberis.

Antiquiſſimis temporibus Viros fortitudine præſtantes ex belluis, à moribus ſuis haud abludentibus, armaturas ſumſiſſe, Diodorus probat exemplo Anubidis & Macedonis, quorum Ille Caninâ ex pelle, Hic ex corio Lupi tegumen habuiſſe memoratur. In Elephantis igitur Naturâ cauſa erit quærenda, cur Alexander Proboſcidem Elephanti ſibi elegerit. Video quidem & Cleopatræ Phyſconis Caput eodem geſtamine inſigne à Cl. Seguino ad Africam referri, cùm autem noſter non Africæ Elephantorum Genetrici, ſed Macedoniæ præfuerit, ea ratio huc detorqueri neſcit. Ex Plinio diſcimus, Elephantis cum Draconibus perpetua eſſe diſſidia & bella, quos etiam vel interitu ſuo ulciſcantur. Fortè huc reſpexerit Alexander. Aſſiduum ei cum Fratre bellum erat. Fratrem Antipatrum

tipatrum ut Draconi compares, viperea rabies, quâ matrem interfecit, ſuadere poteſt. Hanc Impietatem ulturus Alexander, Pyrrhum & Demetrium inſidiantes Macedonum Imperio Reges evocaſſe, Pyrrho Nymphæam regionem, atque ex Provinciis adjectis Ambraciam, Acarnaniam & Amphilochiam auxilii mercedem conceſſiſſe legitur. Imprudens factum! Pietatis tamen, cujus & Elephas Symbolum eſt, ſed intempeſtivæ indicium! Ardor puniendi facinoris fraterni eò Juvenem adegit, ut vel ſuo damno, imò periculo & ruinâ hoſtem ſternendum putaret. Tali odio & Theſſali olim Bœotiq; laborâſſe memorantur. Debebat meminiſſe Philippi, qui à duobus fratribus Judex controverſiæ electus inſtructo exercitu advenit, & utrumque Regno ſpoliavit. Num Pyrrhus & Demetrius Philippo meliores, quos Regna promiſcuè rapere conſtabat?

Sed ſerò nimis Alexander ipſe Imprudentiam ſuam animadvertit, nec prius, quàm exacto fratre Demetrium adventantem audiret. Tunc periculoſum ſentiens, Virum authoritate & famâ potentem in Regnum ſuſcepiſſe, reductâ cum Fratre Concordiâ circa Regni fines occurrit; Sed dum inſidias ſtruit, ipſe circumventus confoditur, regnoque ſimul cum vitâ amiſſo ſolitas imprudentiæ pœnas perſolvit. Huic interpretationi nihil obſtat Aquila κεραυνοφόρος Epirotarum inſigne, eôdem enim & Macedones uſos eorum Numiſmata teſtantur; Accedit, quod eò tempore ſignata putetur, quo Pyrrhi viribus ſubnixus Alexander fratrem perſequebatur.

ALexandro occiſo Demetrius Imperium ſuscepit, ſed brevi à ſuis deſertus id Pyrrho ceſſit. Pyrrhus Lyſimachum in ſocietatem admiſit; Sed ortis, ex diviſione, ut ſolet diſſidiis ad Ædeſſam ſuperatur. Sic in Epirum rediit, Imperiumque Victor ſuſcepit

XIII.

LYSIMACHUS.

LYſimachus fortiſſimus Alexandri M. Commilito, & poſt Ejus obitum Populorum circa Pontum ferociſſimorum, imò & Macedoniæ, ſed

ſed per breve tempus, Rex fuit. Projectam cervicem & Cornua ideò Succeſſoribus Alexandri uſurpata, Illuſtriſſimus Spanhemius docet, ut ſe & oris & habitûs ſimilitudine Ejus quaſi Neceſſarios & legitimos Hæredes probarent. Præter hanc rationem ſatis ſanè convenientem, cùm & Alios iisdem Cornibus uſos videamus, fortè tamen & illa de Lyſimacho dari poſſet ſpecialior, quòd ſicut Diadema Alexandri, Ammonis, ut credi volebat, Filii, fronti ſuæ impoſitum primarium Regni auſpicium habuit, ita facti ejus memoriam Cornuto hoc Diademate ſervare voluerit. De his jam ſupra inter Gemmas.

Minervam Macedonibus cultam ad Numiſma Philippi diximus, & cum inter præcipuas Lyſimachi laudes cenſeantur juncta cum gloria Militari Philoſophiæ ſtudia, non incongruè ſuas victorias Deæ Sapientiæ rerumque Bellicarum Præſidi Eum accepta tuliſſe, hic Nummus teſtabitur; Quid enim aliud Minerva victoriolam porrigens? Tridens rem ad Victoriam quandam navalem reducit. Niſi Inſulæ ſignum eſſe contendas, referasque ad Parum Inſulam ſignati Numiſmatis locum, cujus Monogrammon appoſitum cernimus.

LYſimachum Seleucus devicit, Seleucum Ptolomeus Ceraunus abſtulit. Hoc à Gallis cæſo deſperatas Macedonum res paululum ſuſtinuit Softhenes. Sed iterum congredi auſus ſuccubuit, eaſque in anguſtias Macedones deduxit, ut concluſi intra muros victori Brenno agros impunè cederent diripiendos. Gallis Delphos profectis Regnum occupavit Antigonus Demetrii Poliorcetæ Filius. Hunc Pyrrhus, qui interea per Italiam & Siciliam arma contra Romanos & Carthaginenſes circumtulerat, quòd ei ſupplementum militum negaſſet, reverſus ſimul cum auxiliario Gallorum exercitu devicit, Macedoniamque denuò occupavit.

XIV.

PYRRHUS.

Dianæ vultus & Pharetrâ, & Face conſpicuus eſt. Pharetra Venatricem, Fax Luciferam ſignificat. Hæc duo præcipua Dianæ munia fuere, quorum unum in Terra, alterum in Cœlo eam obire, Poëtæ finxerunt. Cauſam cur Dianæ vultus in Pyrrhi nummis ſignatus ſit, Nonnius à peculiari ejus apud Epirotas cultu accerſit, de quo Justinus teſtatur, qui Deidamiam ad hujus Deæ aram confugiſſe, Populíque concurſu interfectam narrat. Fulmen averſæ nummum in Epiro ſignatum arguit. Victoria gradiens dextrâ Lauream ſiniſtrâ Tropæum geſtans, pulcherrimus typus videtur geſtorum Pyrrhi. Neq; enim ſubſiſtebat Victor, ſed ad nova ſemper tranſiens, Macedoniam pervagatus eſt, & Græciam. Magnam Italiæ partem ipſamque occupavit Siciliam. Romanos terruit. Pœnos cecîdit; Victoriâ jam non gradiente, ſed currente, ut novos de hoſtibus triumphos pararet. Magnificæ ſunt inſcriptiones in Templis Jovis & Palladis Itoniæ, affixis Gallorum & Macedonum ſcutis appoſitæ. Ita habent:

Τὰς θυρεὰς ὁ Μολοσσὸς Ἰτωνίδι δῶρον Ἀθάνᾳ
Πύρρος ἀπὸ θρασέων ἐκρέμασε Γαλατᾶν,
Πάντα τὸν Ἀντιγόνᾳ καθελὼν στρατὸν. Οὐ μέγα θαῦμα.
Ἀιχμηταὶ κῆ νῦν, κῆ πάρος Ἀιακίδαι.

Hos tibi Gallorum Clypeos Rex donat, Ithoni,
Pyrrhus ob audaci rapta Tropæa acie.
Viribus Antigoni fractis. Jam maxima in armis
Quæ fuit, Æacidum gloria ſemper erit.

Ἄιδε ποτ' Ἀσίδα γαῖαν ἐπώρθησαν πολύχρυσον,
Ἄιδε κῆ Ἑλλάδι τὰν δουλοσύναν ἔπορον.
Νῦν δὲ Διὸς ναῷ ποτὶ κίονας ἀρφανὰ κεῖται
Τὰς μεγαλαυχήτου σκῦλα Μακεδονίας.

Ditibus

Ditibus hæc Asiæ terris opibusq; potita,
Jam premere audebant Hellada Servitio:
Sacra Jovis templo pendent quæ affixa columnis,
Erepta Emathiis scuta cruenta Viris.

PYrrhus acquirendis Regnis, quàm conservandis melior dum in Peloponnesum, Cleonymo contra Spartanos auxiliaturus, proficiscitur, Antigonus Macedoniam recepit. Antigonus ab Alexandro Pyrrhi Filio, cujus supra mentionem fecimus ejectus est. Alexandrum Demetrius Antigoni Filius regno spoliavit. Demetrio successit

XV.

ANTIGONUS TUTOR.

ILLustris Spanhemius Antigono Tutori vendicat hunc nummum. Cornua ad Regum antiquorum, variorum animalium cornua Galeis affixa gestare solitorum, morem; Palladem vero ad celebratissimam Antigoni famam & virtutem refert. Alii Antigono, primo post Alexandrum M. Asiæ Regi, eam tribuentes clavam Originis, Medusæ Caput Prudentiæ indicandæ causâ signatum ajunt; Sed Spanhemii sententiam sublevat & Clypeus Macedonicus, & facies imberbis, virili adhuc flore conspicua, cùm Antigonum Asiæ Regem & Barbatum Numismata evincant, & LXXX. ætatis anno occisum legamus, postquam paucis annis Regium nomen usurpasset. Accedit Monogramma signati Numismatis & Cassis, quæ Heracleam Macedoniæ indicant; ut de Bellona taceamus, quæ & ipsa Macedonico Antigono magis, quàm Asiatico quadrare videtur; Hic enim sæpiùs adversam in præliis fortunam expertus est, Ille prosperâ semper usus Dardanos & Thessalos compescuit, Seditiosos constantiâ suâ repressit, Acro-Corinthum ab Arato pactus, Achæisque in auxilium profectus Argos occupavit, devicto Cleomene Spartanos liberavit, inde reversus Barbaros Macedoniam vastantes coercuit, omniaque quæ suscepit, non aliter, ac si Bellona Hostes Medusæo capite perterrefactos sterneret, fortunatissimè peregit..

Anti-

ANtigono mortuo Philippus ſucceſſit. Philippum excepit Rex Macedonum ultimus

XVI.

PERSEUS.



FAciem videtis animi vitia exprimentem, crudelem, avarum, dementem, ignavum. Perſei eſt ultimi Macedonum regis. Crudelis Perſeus Fratris Demetrii necem procuravit, ab uxoris cæde, quam propriâ manu peregit, regnum inchoavit, Eumenem Regem obtruncari juſſit; Avarus oblato Illyriorum & Gallorum auxilio, auri cumulum, hoſtibus mox in prædam ceſſurum, prætulit; Demens pecuniam, quæ Pellæ ſervabatur, in mare mergi juſſit, ne periret, Claſſem, quæ Theſſalonicæ erat, cremari, ne incenderetur; Ignavus ad nuncium adventûs hoſtilis trepidavit, mox ex fuga retractus, turpi ſervitute ignominioſam redemit vitam.

Averſa exhibet Aquilam in Corona quercea κεραυνοφόρον. Aquilam ſummi Imperii, adeoque Regum Symbolum eſſe vulgatum eſt. Fulmen ex diſperſo per refrigeratum ventis aëra, contrariæque naturæ viribus in globum coarctato, & contra algorem validiſſimè reluctante calore exſurgit, quoque magis ingruentibus ventis adſtringitur, arctiuſque premitur, cò validius evadit, & ſimul ac extremam ſibi vim intentari videt, totis erumpit viribus, & craſſiore aëre qui circumfuſus eſt diſrupto, viam ſibi cum ſtrepitu & incendio patefacit, ut Pierius Valerianus loquitur. Hæc cum ita ſint, quid prohibet, quo minus ſub Aquila ipſum Perſeum, ſub fulmine Macedonum vires & potentiam inteligamus? Eas ſub Philippo tam anguſtis Romani terminis incluſerant, ut & Ille damni impatiens bellum meditaretur, & Hic licet ignaviſſimus omnium Romanis inferret. Secundis tamen aliquot præliis fœdas hoſtibus Pacis conditiones obtulit; Sed Hi accepturos ſe, niſi in priores Leges, negabant. Quid Perſeus rebus ita conſtitutis? Victor erat, & leges ſibi nimium duras imponi videbat, quæ etiam ante Pacem rupiſſent. Credibile eſt, Eum hôc nummô oſtendere voluiſſe, vires ſibi adhuc integras, ſe robur Imperii adhuc tenere,

quòd

quòd ſi nimis urgeretur, erupturum, & fulminis inſtar adverſa quæque ſtraturum, ſibique querceam Coronam, ſervatis civibus ſuis, impoſiturum. Sed hæc, utut magnificè fortè in ſecundis rebus cogitata fuerint, exitus tamen deſtituit. Perſeus ab Æmilio Paulo captus, Romamque abductus, & ita Macedonico Imperio finis impoſitus eſt.

REGES ASIÆ.

Duo tantùm poſt Magnum Alexandrum numerantur Aſiæ Reges, Antigonus & Demetrius; Sed eorum Dominatio brevi in Seleuci Syrorumque poteſtatem conceſſit. Numiſma Antigoni apud Ill. Spanhemium exſtat,

XVII.

DEMETRII.

AB una parte Victoriam navalem exhibet, ab altera Neptunum tridente infeſtum. Idem videas apud Golzium ſub Filio Gonatæ; Hâc tamen cum differentia, quòd ibi flos cernatur, qui in noſtro abeſt; Bipennis in noſtro ſit, quæ apud Golzium non apparet. Diverſitas diverſis Numiſmata hæc in locis, illud Rhodi, hoc Tenedi, ſignata indicat, non autem ad alium Regem traducit. Rectiùs Golzii interpres Nonnius Polyorcetæ tribuendum ideò ſuſpicatur, quòd nullam Ille Victoriam navalem, Hic multas obtinuerit; Et quidem quum ea, quam contra Ptolemæum propè Cyprum reportavit, longè maxima fuerit, & his præcipuè de cauſis celebrata, quòd Titulum Regis, qui & in Numiſmate habetur, Alexandri Succeſſoribus dederit, nihil obſtare video, cur hîc non credatur expreſſa.

Ptolemæus tunc ingentes habebat pedeſtres navalesque copias. Ipſe centum & quinquaginta navibus hoſtem petebat, juſſeratque Menelao,

ut ſexaginta in ipſo pugnæ ardore inveheretur. Menelao Demetrius naves decem oppoſuit, centum & octoginta in aciem eduxit, pedeſtres copias per prominentia in Pelagus promontoria circumfudit. Commiſſo prælio Ptolemæus cum ſolis octo navibus profugit, cæteræ pars in prælio depreſſæ, ſeptuaginta cum ſociis navalibus & propugnatoribus captæ; Ex turba, quæ in navibus onerariis propè littus ſtationem habebat, Servitiorum, Amicorum Ptolemæi, Fœminarum, Armorum, Stipendii, Machinarum, nihil elapſum eſt. Poſt prælium navale etiam Menelaus manus dedit, Salaminaque & naves & pedeſtres copias tradidit, Equites mille ducentos, gravis armaturæ Militum duodecim millia. Nunciatâ in Aſiam Victoriâ vulgus & Antigonum & Demetrium Reges ſalutavit. Antigonum confeſtim Diademate Amici revinxére. Demetrio Pater id miſit, ſcriptâque Epiſtolâ Eum Regem appellavit. Ægyptii re compertâ, ne ob cladem animos viderentur abjeciſſe, etiam Ptolemæum Regem dixêre, omnesque ea res Alexandri Succeſſores pervaſit. En facti memoriam, qualiter ferè PLUTARCHO memoratur! En laxata ſuperbiæ repagula!

Non tam ſuperſtes Alexandri Soboles, quàm mutua æmulatio prohibuit, ut Regium uſurparetur nomen. Dum vires nondum robuſtæ ſatis erant, ambitionis impetum ſuſpendit metus, ne qui Titulum Regis ſibi vindicaſſet, & reliquis videretur imperare velle, & ita nomen dignitatis, ceu belli tuba, undique hoſtes evocaret; At proſtratis Ptolemæi viribus metus Antigoni & Demetrii in contemptum abiit, contemptus in ſuperbiam excrevit, reliquorum animos invidia inflavit, ubique adſpirante Populorum adulatione, Ptolemæo Ægyptiorum, Demetrio Græcorum. Non ſatis erat Demetrium Regem nuncupaſſe, non victoriam navalem celebraſſe, ut Deum venerati ſunt Maris potentem: Neptunum effinxerunt, quòd Hoſtiles disjeciſſet Exercitus,

Haud aliter quàm quo rapidum torquente Tridentem
Fruſtrà tentatis expellitur Æolus undis.

Hæc ego credere mavelim, quàm datas Neptuno ob Victoriam grates.

REGES

REGES SYRIÆ.

Deſtructâ Antigoni & Demetrii Potentiâ, Seleucus omnem ferè Orientem ſibi ſuisque vindicavit Poſteris. Hiſtoriam horum ex Nummis egregiè nuper adſtruxit Cl. VAILLANT BELLOVACENSIS Doctor Medicus & Antiquarius Regis Gallorum. Nos ea tantùm adducemus, quæ aliquam lucem adferre poterunt Noſtris.

SELEUCUS.



PArs antica Palladis Effigiem exhibet Galeatam; Averſa Victoriam Anchoræ lauream imponentem. Palladem omnes ferè ex Macedonia Oriundi Reges coluére, eòque non minùs, quàm aliis ſignis Originem ſuam æternitati ſacrârunt.

De Anchora variæ Hiſtoricorum circumferuntur ſententiæ. Omnes futuræ Potentiæ præſagium fuiſſe, notamque genitalem in Poſteris manſiſſe conſentiunt. Audiamus JUSTINUM: *Mater Seleuci Laodice cùm nupta eſſet Antiocho claro inter Philippi Duces Viro, viſa eſt ſibi per quietem ex concubitu APOLLINIS concepiſſe, gravidamq; factam munus concubitûs annulum à Deo accepiſſe, in cujus Gemma ANCHORA ſculpta eſſet, juſſaq; donum filio, quem peperiſſet, dare. Admirabilem fecit hunc viſum & annulus, qui poſtera die ejusdem ſculpturæ in Lecto inventus eſt, & figura ANCHORÆ, quæ in femore Seleuci nata cum ipſo parvulo fuit. Quam ob rem Laodice annulum Seleuco, eunti cum Alexandro ad Perſicam militiam, edoctoq; de Origine ſua, dedit. Originis ejus argumentum etiam in Poſteros manſit, ſiquidem Filii Nepotesq; ejus ANCHORAM IN FEMORE velut notam Generis naturalem habuére.* Hæc JUSTINUS. APPIANUS de Concubitu tacet, Annulum ferreum facit, additque: Ibi regnaturum, ubi fortè fortuna exciderit; Excidiſſe autem circa Euphratem. Quin & illud fertur, quum Babyloniam obiret, Eum offen-

diſſe ad Lapidem, eoque effodi juſſo aperuiſſe Anchoram, quod cùm Vates terreret, quaſi remoram portenderet, Ptolemæum Lagi, qui Eum comitabatur, dixiſſe : Securitatis id, non remorationis ſignum eſſe. Suas ob cauſas Seleucus etiam Regnum adeptus Anchorâ utebatur in annulo ſignatorio.

De Victoriis Seleuci luculenta nobis teſtimonia ſuppeditant Antiqui. Unus ſit inſtar omnium, qui rem breviter deſcribit, & quem ſupra allegavimus, JUSTINUS. Ejus hæc ſunt: *Seleucus in Oriente, poſt Diviſionem inter Socios Regni Macedonici, bella geſſit. Principio Babyloniam cepit, inde auctis ex Victoria Viribus Bactrianos expugnavit. Tranſitum deinde in Indiam fecit.* Sed nulla clarior fuit, quàm contra Lyſimachum obtenta, de quâ idem Author: *Lætus tantâ victoriâ Seleucus, & quod majus victoriâ putabat, ſolum ſe de cohorte Alexandri remanſiſſe, victoremq; victorum exſtitiſſe, non humanum eſſe opus, ſed Divinum gloriatur.* Ex his facilè perſpici poteſt, pulcherrimè Seleucum hoc Numiſmate tam Originem & Fatum ſuum, quàm Fortitudinem & Fortunam expreſſiſſe. Originem & Fortitudinem in Pallade ; Fatum in Anchora, Fortunam in Victoria, quæ Fatum coronat.

SEleucum ſecutus eſt Antiochus Soter, cui vivus & Regnum Pater, & Uxorem Stratonicen ceſſit. Soterem Theos excepit, Theon

XIX.

SELEUCUS CERAUNUS.

SEleuci cujusdam hunc nummum eſſe, inſcriptio docet; ſed cujus? Hactenus dubium eſt. Neque Cl. VAILLANT ullam affundit lucem, neque capitum tegumenta ſunt, qualia in aliis Syrorum nummis occurrunt. Caſtorem & Pollucem diceres, niſi vel ſertis redimita eſſent, vel ſtellis

care-

carerent, uſitatis Dioſcurorum inſignibus. Cerauno adjudicavi non tam certâ ductus ratione, quàm conjecturâ forſan fragili ; Eam tamen exponere operæ pretium erit.

Victoria Tropæum coronat. Victoriam hanc adjectum Tropæo caput, niſi fallit acies, Tauri ad Taurum reſtringit montem Armeniæ, quæ & Monogrammate indigitatur, niſi Harmam locum ſignati Numiſmatis intelligere mavelis. Taurum montem cum exercitu transgredi fœdere inter Romanos & Antiochum M. Reges Syriæ prohibitos legimus. Id obſervavit **Seleucus** Antiochi M. Filius, cùm collecto exercitu Pharnaci contra Eumenem auxiliaturus, vel ob ſolam hanc rationem bello abſtineret. Hæc cùm ita ſint, nec huic videtur tribuendum hoc Numiſma, nec aliis, qui poſt Antiochum M. Syriæ præfuerunt. Ante Antiochum M. tres occurrunt hujus nominis, quorum ſi geſta conſideres, vix erit, cui tribuas aptiùs hunc nummum, quàm Cerauno ; Hic enim ut Regiones cis Taurum in Aſia recuperaret, Taurum tranſgreſſus legitur, & licet brevi poſt Apaturii & Nicanoris dolo occubuerit, tamen Achæi & Virtus & Fides ab initio tantæ fuére, ut non tantùm cogitata perficeret, ſed &, cùm Diadema offerretur, Antiocho Seleuci Fratri id ſervandum putârit. Quis dubitet Hunc, quoad ſibi temperavit, geſta ſua Seleuco, cujus auſpiciis bellum aggreſſus erat, accepta voluiſſe ferre ? Quis dubitet, Numiſmate ejus memoriam voluiſſe æternitati ſacrare ? Non refragantur adverſæ capita ; Alterum Seleuci eſt, alterum an muliebre ſit. An virile non ſatis diſcerno ; Si muliebre, forſitan Laodices erit uxoris Seleuci, Achæi Sororis. Si virile, Antiochi credideris, Seleuci & fratris & Succeſſoris.

XX.

ANTIOCHUS M.

UT Antiocho M. hunc nummum tribuam, faciei lineamenta ſuadent. Averſa Apollinem exhibet & Anchoram. Utriuſq; lumen ex al-

latis modo Justini verbis exſurgit. Apollo Originis Seleucidarum credebatur Author. Anchora opinionis arrha fuit. Hæc certa generis nota,

per omnem
Nam Sobolis ſeriem Nativa cucurrit Imago.

Illum non Poſteri tantùm Seleuci agnoverunt, ſed & Seleucus ipſe; Occupato enim Orientis Regno Urbem condidit, ibique geminæ conſecravit Originis memoriam : Urbem ex Antiochi Patris nomine Antiochiam appellans; Campos autem Urbi Vicinos Apollini conſecrans.

Quid rei ſit, cui Apollo inſidet, dubitari video; Cl. Vaillant machinam opinatur Illam, quæ terræ hiatui impoſita ſacerdotis ſedile fuit, cùm Oracula petebantur; At Diodorus machinam illam tres baſes habuiſſe, indeque tripodem appellatam ſcribit; Sed nihil obſtat, cùm tripodem hunc Corio ſerpentis ab Apolline obductam, indeque Cortinam appellatam conſtet, quam hîc expreſſam auguramur. Monogramma Apamiæ nummum ſignatum oſtendit, cujus nominis cùm plures Seleucus Nicanor condiderit, de quâ intelligendum, non facilè eſt diſcernere.

ANtiochum M. excepit Seleucus Philopator, hunc Antiochus Eupator, Eupatorem

XXI.

DEMETRIUS SOTER.

ALtera facies juvenilior eſt, altera virilem ætatem præfert, quod illud Numiſma Imperii initio, hoc circa ejusdem finem percuſſum arguit; De poſteriore etiam adjectæ teſtantur literæ numerales, quibus annus Seleucidarum 162. deſignatur, quo Demetrius, poſtquam duodecim annos præfuiſſet incompletos, vitam ſimul cum Regno amiſit; Adde & Soteris cognomen, quod in primo abeſt, procul dubio, quòd eô nondum honoratus fuerit, cùm Numiſma percuteretur; A Babyloniis enim, ſi Appiano credas, id accepit, poſtquam Româ profugus Lyſiam & Antiochum

chum interfeciſſet, Heraclidam ejeciſſet, Timarchum ut Rebellem occidiſſet. Figuram adverſæ ſedentem Apollinem interpretatur Cl. VAILLANT muliebri veſtitum habitu. De eo jam dictum. Cornucopiæ quod tenet & Sagitta, DEI, an Regis? virtutem, indeque orituram Regni felicitatem deſignant. Lauream Apollini ſacratam nemo neſcit.

XXII.

EIUSDEM
DEMETRII.

IN Demetrii Honorem ab Antiochenſibus hoc Numiſma percuſſum, inſcriptio docet. Pars antica Caput Apollinis Laureatum exhibet, Averſa Pegaſum pleno curſu ſalientem. Apollini campos circa Antiochiam à Conditore Seleuco ſacratos modo diximus. In memoriam revocetur Daphne delicioſum Antiochiæ ſuburbium, quod ex variis Authoribus deſcripſit & delineavit ORTELIUS. Pegaſum an ad Apollinem, an ad Famam Demetrii, & Gloriam referre libeat, liberum eſto. Fortè & ad Perſeum reſpicere placet, qui Pegaſo originem dediſſe, & Syros deviciſſe CEDRENO memoratur.

DEmetrio occiſo Regnum occupavit

XXIII.

ALEXANDER THEOPATOR

DE Theopatoris Origine variæ ſunt Authorum ſententiæ: Quidam Antiochi Epiphanis Filium ferunt, quidam incertæ ſtirpis, ideoque Theopatora dictum, quaſi DEUM Patrem haberet, cùm vulgò à Matris nomine Balas nominaretur. Quicquid ſit, & in Regnum Syriæ contra Demetrium admiſſum, & Ptolemæo, ductâ in matrimonium Filiâ ejus, affinitate junctum, vel ex Sacris Paginis conſtat. In Numiſmate utriusque Effigiem & Alexandri & Cleopatræ cernimus. Hæc quidem honoratior

& loco

& loco & ornatu, non Diademate tantùm, ſed Velo etiam Divinitatis & Calatho inſignis eſt, cùm Ille ſolo Diademate fulgeat. Quantò majores Regibus Dii ſunt, tantò majore Cleopatra afficitur honore, quàm ipſe Alexander; Et ne cauſa deſit, Cornucopiæ affictum eſt, tanquam Ejus beneficio omnis Alexandro rerum abundantia obveniſſet. Litera A. Alexandriæ nummum percuſſum oſtendit. Idem & artificii à Syriaco diverſitas arguere videtur. Non crediderim Alexandrum tantô in Ptolemæum gratitudinis ſenſu ductum, ut ſuam fortunam infra uxoris ſortem deprimeret; Potius Ægyptios & ſui Regis Filiam honoraſſe judicaverim, & ſimul Alexandro de felici Conjugio gratulatos, quòd Deæ jungeretur, quæ omni rerum abundantiâ Regnum ejus eſſet beatura.

Averſæ Juppiter Victoriolam præferens, ad Victoriam refertur contra Demetrium obtentam. Potius & hunc voti tantùm indicium credideris, quaſi Juppiter hoc cum Matrimonio etiam Victorias Alexandro eſſet largiturus. Et quid ſi ſub hoc Jove Ptolomæum intelligas?

Occiſo Alexandro ſolium recuperavit Demetrius Soteris Filius. Hoc fugato Antiochus Alexandri Filius in regnum receptus eſt, tutorque ei datus Diodotus, qui poſt Pupilli mortem Rex à militibus conſtitutus ſe Tryphonem vocavit; Sed Eum, capto à Parthis Demetrio Fratre, & Regno & vita ſpoliavit

XXIV.

ANTIOCHUS EVERGETES.

Antiochus Evergetes, aliter & Soter, & Pius, & Sidetes vocatur, quod poſterius cùm venatorem ſonet, Cl. Vaillant nomen ludibrii arbitratur. Evergetem nominatum idem ex Porphyrio, & conſentientibus nummis aſſerit, arbitraturque, Palladem genus à Macedonibus oſtendere, invocatamque ab Antiocho & in vexillis erectam, & in nummis percuſſam, tanquàm Servatricem exercitus contra Phraatem ducendi, quaſi ipſius ope victoriam relaturo. Suſpicionem firmat adjectis literis numeralibus, quæ cùm in noſtro abſint, fortè etiam ad bella contra Tryphonem & Judæos feliciter confecta Pallas hæc victoriolam porrigens referri poterit. Adjecta litera A. & Laurea Antiochiæ nummum ſignatum arguunt.

Poſt

POst Antiochum Syriæ Regnum recepit

XXV.

DEMETRIUS

ex Parthis redux.

BArbatus creditur vel ob morem Parthorum, vel in memoriam captivitatis, vel propter luctum demortui Fratris. Iuppiter ſedens cum victoriolâ ſuperbiæ index eſt, quâ adverſam etiam Syrorum fortunam rebus ſuis proſperam interpretabatur ; Antiocho enim Fratre in Parthis cum exercitu deleto, obſidione Parthorum liberatus ac reſtitutus in Regnum, cùm omnis Syria in luctu propter amiſſum exercitum eſſet, quaſi Parthica ipſius & Fratris bella, quibus alter captus, alter occiſus erat, proſperè geſſiſſet, ita Ægypto bellum inferre ſtatuit. Sed dum aliena affectat, propria per defectionem Syriæ amiſit, ſubſtituto in ejus locum Alexandro Protarchi negotiatoris cujusdam Filio, qui ſe Antiochi adoptivum dicebat.

XXVI.

ANTIOCHUS EPIPHANES.

vulgò Grypus.

POst Demetrii Nicanoris necem Alter Filiorum ejus Seleucus Regnum ſibi vindicans à Matre ſagittâ percuſſus occubuit, Alter Antiochus Athenis, quo ſtudiorum cauſâ morabatur, accerſitus ab eâdem contra Alexandrum Rex conſtitutus eſt hactenus, ut Nomen Regis penes Filium, jus autem omne Imperii penes Matrem eſſet. Id egregiè firmat propoſitum ejus Numiſma. In eo Mater non tantùm honoratiorem nummi locum occupat, & velo Divinitatis ſymbolo inſignita cernitur, ſed etiam in inſcriptione Filio præpoſita, Dea vocatur, cùm interim Filius ſolo Regis Titulo veniat; Inde palàm eſt, Eam iisdem Superbiæ Furiis

agitatam fuiſſe, quibus & Alexandri Theopatoris Uxor, tantòque Filio ſuo ſe ſuperiorem putaſſe, quantò Regibus Dii ſuperiores ſunt.

Juppiter victoriolam præferens, procul dubio ad interitum Alexandri pertinet, de quo idem JUSTINUS. *Fit,* inquit, *inter Reges prælium, quo victus Alexander Antiochiam profugit: Ibi inops pecuniæ, cùm ſtipendia militibus deeſſent, Templo Jovis ſolidum ex auro Victoriæ ſignum tolli jubet, facetis, jocis Sacrilegium circumſcribens: Nam Victoriam commodatam ſibi à Jove eſſe dicebat. Interjectis deinde diebus, cùm ipſius Jovis aureum Simulacrum infiniti ponderis tacitè evelli juſſiſſet, deprehenſusq; in Sacrilegio concurſu multitudinis eſſet in fugam verſus, magnâ vi tempeſtatis oppreſſus ac deſertus à ſuis, à latronibus capitur, perductusq; ad Grypum interficitur.* Sic vindictâ Jovis rerum ſumma Alexandro demta & cóllata eſt Antiocho, qui propterea haud immeritò, quam ſuis viribus non obtinuit, Victoriam à DEO ſibi datam hoc in Numiſmate fatetur. Tam proſpero ſucceſſu cùm Antiochi authoritas creſceret, Matris autem minueretur, indignata imperioſa Mulier venenum Filio propinare conſtituit; Sed Ille rei gnarus, quaſi cum matre pietate certaret, in inſidiantem inſidias retorſit.

XXVII.

EIUSDEM ANTIOCHI.

SImilia videas apud Cl. VAILLANT, qui contra Scaligerum figuram aversæ rectiſſimè Jovem interpretatur Haſtâ Divinitatis armatum. Is in altero nudus eſt, in altero Pallio tectus apparet. Per Solem & Lunam annum intelligit iden Author, ex veterum opinione duplicem; Alterum Naturalem ſeu Aſtronomicum aut circulari motu Solis terminatum, quem deſignet Sol in manu Jovis, in cujus nutu ſunt & Dies & Anni; Alterum Lunarem ſeu Civilem, feſtis celebrandis, magiſtratibus ineundis, & aliis id genus rebus accommodatum, cujus Symbolum exhibeat Luna creſcens ſupra Jovis Caput. Laurea ad Apollinem ſpectat, de quo ſuprà dictum. Literæ IE. A. Ἱερὰ Ἄσυλος Sacrum Aſylum de Arado littorali Phœniciæ Urbe

ex alio

ex alio nummo, in quo AP. expreſſum legitur, intelliguntur Cl. VAILLANT Litera M. annum Seleucidarum 200. indicat, quo cum Fratre Philopatore, quem vulgò Cyzicenum vocant, Epiphanes bellum gerebat.

XXVIII.

ANTIOCHUS PHILOPATOR.

AVerſæ Pallas dextrâ Victoriolam prætendit. Eâ Victoriam ſecundo prælio contra Fratrem obtentam deſignari crediderim; Nullam enim præter hanc tantoperè memorandam reportavit, ſed in luxum & ſocordiam prolapſus Fratri Epiphani ad ſua redeundi occaſionem dedit, tandemque ab ejus Filio Seleuco devictus Regnum Victori reliquit. Monogramma Antiochiæ nummum ſignatum oſtendit. Laurea ad Cultum Apollinis pertinet, cui, quod ſæpè dictum, utpote Regii generis Authori, Campi circa Antiochiam ſacrati erant.

SEleucum Antiochus Euſebes Patruelis totâ Syriâ expulit, pariq; fortitudine Antiochum Philadelphum devicit; Sed ipſe poſteà â Demetrio & Philippo Epiphanis Filiis victus ad Parthos fugere coactus eſt, ubi & Eum periiſſe, Regnumque penes Victores manſiſſe, JOSEPHUS ſcribit; Cui tamen alii contrariantur: Reverſum dictitantes, eamque Syriæ partem recuperaſſe, quam Philippus occupaverat. Demetrius in Parthia captivus obiit. Ejus morte auditâ, Damaſci rerum potitus Diadema aſſumſit Antiochus Dionyſus Quintus Epiphanis Filius.

XXIX.

ANTIOCHUS EPIPHANES.

DIONYSUS.

HUnc nummum in politiſſimo Vaillantii Tractatu non invenimus; Quanquam typus inter Syriæ Reges communior ſit. Antiochum Dionyſum inſcriptio fatetur. Hederacea Corona cognomenti teſtis eſt. Ea quòd dolorem ebrietatis leniat, Libero Patri ſacra putatur. Epiphanis cognomen Damaſcenorum ei contulit benevolentia, quæ tanta fuit, inquit præd. Author, ut qui Liberum Patrem venerabantur, Eum viſibilem Bacchum nominaverint; quaſi Dionyſus illis in præſenti rerum ſuarum æſtu Deus apparuiſſet. Apollo ſedens Originèm Seleucidarum repetit; Niſi rurſus ad Dionyſi appellationem reſpicias, Bacchum enim cum Sole eundem fuiſſe conſtat. Cui rei in Seleucidarum nummis inſideat Apollo, jam ſupra dictum. Literas OP. ΣΤΑ Ὄργια Σταφυλίτα interpretamur. Σταφυλίτης Bacchus apud Ælianum dicitur. Orgia liberi Patris ſacra nemo neſcit.

XXX.

EIUSDEM

ANTIOCHI.

ALiud damus Antiochi hujus Numiſma, quanquam id ex El. Gaza jam protulerit Illuſtris Spanhemius. Caput Antiochi exhibet, ut & ſuperior, radiis inter Hederam emicantibus conſpicuum. Averſa Elephantum continet ex eorum numero, quos Græci à ferendis lampadibus Λυχνοφόρας appellant. Eò excrevit Regiæ Magnificentiæ faſtus, ut immani-

manibus Belluis ſervorum loco uterentur, non ad Bellum tantùm, ſed ad delicias etiam & inter feſtivitates & pocula. Id imitatus & Cæſar, ad Lumina quadraginta Elephantis dextrâ & ſiniſtrâ geſtantibus Capitolium legitur aſcendiſſe; Attamen in Antiocho, cur iis delectaretur, major ratio. Baccho ſacrum hoc animal credebatur, quòd ex India, ubi celebris Bacchi cultus, ad Græcos pervenerit. Bacchus deliciarum Deus erat. Bacchum æmulabatur & in propoſito etiam Numiſmate refert Antiochus; Quidni ergo & animalis Baccho ſacrati ſibi vindicaret uſum, non tam Bellicum quàm convivalem?

POſt Dionyſum belligerantibus inter ſe Philippo & Antiocho Pio rerum ſumma in Tigranem devoluta eſt, & ab eo in Romanorum Poteſtatem conceſſit, poſtquam 250. ferè annos ab Alexandro Magno in Seleucidarum familia ſtetiſſet.

REgibus Syriæ commodè ſubjicitur Syrorum Vicinus

XXXI.

HERODES CHALCIDENSIS.

NUmiſma hoc ex Gaza Palatina laudat & Illuſtris Spanhemius. Idem & apud Seguinum occurrit, niſi quod ejus æreum ſit & numerus variet. Quintus habetur, cum in noſtro Tertius legatur. Quanquam tertium & ipſe Seguinus in Commentario agnoſcat, ut ita dubium ſit, annon ex ſculptoris vitio hæc differentia deſcendat. Alia eſt in inſcriptione Anticæ: BAΣIΛEYS in Seguiniano plenâ literarum ſerie exſtat; HPOΔ autem truncatâ. In noſtro contrà.

Herodes hic Filius Ariſtobuli, Herodis Agrippæ, quem Magnum vocant, & Cæſareæ ab Angelo percuſſum D. Lucas memorat, Frater Regnum Chalcidis ad Libanum accepit à Claudio Imperatore. Ab Eodem jus in Templum ſacroſque Theſauros, & Poteſtatem conferendi Pontificatum, aliaque. Pro tantis beneficiis ut animi gratitudinem oſtenderet, non nummum tantùm Eum ſignaſſe ſeque Philo Claudium appellaſſe,

ſed & Coronâ Imperatorem donaſſe, ex inſcriptione intelligimus & expreſſâ laureâ. Annus adjectus procul dubio Imperii Claudiani eſt, cujus Octavo mortuus legitur. Vide omnino Josephum, & inter recentiores prælaudatum Seguinum.

REGES ÆGYPTI.

Etiam Ægypti Regnum poſt Alexandri M. obitum, donec in Romanorum Dominatum concederet, Macedones tenuerunt. Primus ex iis fuit

XXXII.

PTOLEMÆUS

Lagi Filius.

PTolemæus Lagi Filius Gregarius ab initio Miles, inter Cuſtodes poſteà Corporis ab Alexandro cooptatus, in amorem ſui & Regem rapuit & Populum. Tanta erat in Belli & in Pacis artibus Ejus peritia, tanta Fortitudo, tanta Moderatio. In prælio ad Issòn præerat agmini. In Bactrianis milites adduxit mercede militaturos. In India levi præfectus Equitatui Porum laceſſit, & cùm Alexander maximas cepiſſet Urbes, huic plurimas occupaſſe gloriæ datur. Traditam ſibi poſt mortem Regis Ægyptum contra Perdiccam, Antigonum & Demetrium eâ felicitate defendit, ut, quod nulli ex Alexandri Succeſſoribus contigit, ſolus continuam poſſeſſionem ad Poſteros transmiſerit. Demetrium ad Gazam devicit, captosque Ejus & Amicos & Suppellectilem, additis etiam muneribus & honore verborum, reddidit. Victus Cyprum Exemplô Antigoni, Regis cognomen aſſumſit. Et ne quâ parte laus ejus mutila eſſet, Philadelpho Filio vivus adhuc Regnum dedit, eique privatus inter Satellites officium fecit: Patrem Regis pulchrius exiſtimans omni Regno.

Facies in antica Numiſmatum exhibetur Diademate ornata. Averſa Aquilam Κεραυνοφόρον exhibet cum inſcriptione Πτολεμάιος Σωτηρος vel Πτολεμάιος Βασιλέως. In alio Gazæ Palatinæ nummo adjicitur Lit. P. quæ 6to

denota-

denotare poteſt cuſum Numiſma Imperii anno; In alio ΣΙΚΟ. $\frac{M}{T}$; In alio X; Quod ab Achæis ſignatum indicat. Soteris cognomen Ptolemæum à Rhodiis accepiſſe Pausanias teſtatur. Cùm enim Rhodii à Demetrio premerentur, præter Caſſandrum & Lyſimachum, Ptolemæus etiam auxilio eos levavit, plurimas naves ſubmiſit commeatum vehentes. Erant in iis trecenta Artabarum frumenti millia cum leguminibus. Unde Rhodiis in tantum crevére animi, ut Demetrianos ultrò laceſſerent, felici plerumque eventu, donec adnitente eodem Ptolemæo Pax compoſita eſt. Sic non abs ratione cognomen Soteris Rhodii Ptolemæo tribuerunt; Verè enim ſervat, qui diſcuſſis Belli diſcriminibus Pacem reſtituit.

Aquilam perpetuum Regum Ægyptiorum Symbolum, quod non minus ac Ptolemæorum nomen ab hoc ad Poſteros manſiſſe, ex nummis palàm fit, cur expreſſerit Soter, varias poſſemus adducere rationes, ab Hiſtorica fide parùm abludentes. Fortè ob Jovis cultum, quem in Ægypto præcipuum fuiſſe vel ſolum Ammonis Oraculum teſtatur, ad quod non in Africa tantùm, ſed & ex Europa & Aſia confluxerunt miſeri mortales; Fortè ob Regiam Majeſtatem, quam & apud Romanos aliosque per Aquilam deſignari videmus; Fortè ob Nilum, qui ab Eruptione Aquila dicebatur, unde & Fabulam ortam quidam putârunt de Aquila Prometheï jecur depaſcente, quam Hercules confixerit: Scilicet quòd ea parte, quâ Prometheus præerat, erumpentis Nili voragines Hercules clauſit, fluviumque coercuit, Diodoro narrante. Hæc ratio nemini abſurda videbitur, ſi meminerit, maximam Ægypto utilitatem è Nilo proveniſſe, ideoque hunc Fluvium Divinis honoribus fuiſſe cultum, imò Jovem Ægyptium vocatum eſſe. Sed aliud Ptolemæum ad Aquilam nummis ſuis imprimendam permoviſſe credimus. Seleucus Anchoram auſpicium Regiæ Majeſtatis ſignavit, ut ſupra dixìmus. Quidni eâdem de cauſâ Ptolemæus Aquilam? Infans adhuc cùm à Matre in Æneo Clypeo expoſitus eſſet, Aquila dicitur accedere ſolita, ardoremque Solis ab Infante prohibere & gregales volucres abigere, & Coturnicibus laceratis ſanguinem illi pro lacte inſtillare. Hoc ſi verum, jam patet, cur Aquila in Nummis Regum Ægyptiorum occurrat.

PTOLE-

XXXIII.

PTOLOMÆI PHILADELPHI.

QUatuor Capita exhibet hic Nummus, Ptolemæi Filii & Arſinoës Uxoris & Sororis, Ptolemæi Patris & Berenices; Illos cum Elogio Ἀδελφῶν, Hos cum Θεῶν. De Patre in præcedentibus dictum. Berenice Antipatri ex Fratre Caſſandro Proneptis, Filia Antigones primò Macedonis cujusdam, poſteà Ptolemæi Lagi Filii Uxor, ex priore matrimonio Magam Cyrenæorum Regem, ex poſteriore Philadelphum, Arſinoen, Argæum & Philoteran genuit.

Philadelphus quòd Sororem Arſinoën in matrimonium recepiſſet, id cognomen adeptus eſt. Perſas hàc in re imitatum SEGUINUS putat; Sed Ægyptiâ Lege id Eum feciſſe, PAUSANIUS Author eſt. Germanas ducere Lege apud Ægyptios conſtitutum fuiſſe, ex DIODORO diſcimus, ſimul cum cauſa, quòd Iſidi, quæ Germano Oſiridi nupſerat, ea res benè ceſſiſſet. Arſinoë Lyſimacho primùm Thraciæ Regi nupta, Privigno Agathocli, cujus amore flagrabat, quòd is amori non reſponderet, necem conciliavit. Mortuo Lyſimacho à Fratre Cerauno infido matrimonii vinculo decepta, amiſſis & Filiis & Urbe Caſſandreâ, in exilium abiit. Inde in Ægyptum reverſa ſincerum Philadelphi amorem experta eſt. Is tantus fuit, ut Arſinoitin Regionem ab ea denominaverit Maritus; ut in Arſinoe Urbe Obeliſcum octoginta cubitorum amoris munus poſuerit: Ut Templum de Magnete concamerandum Phirocrati mandaverit, in quo Simulacrum Arſinoes ex ferro pendere in Aëre videretur. Hæc cùm ita ſint, non mirum eſt, quòd & in Numiſmatibus ſuis faciem ejus ſuæ faciei junxerit Philadelphus; Fraternam ſanè amicitiam ipſo etiam vocabulo Ἀδελφῶν teſtatus eſt.

Sed nec minoris in Parentes pietatis Eum fuiſſe, averſæ oſtendit inſcriptio quâ Eos Deorum nomine honorat. Pietate hâc & fidem & benevolentiam ſubditorum toto Regni tempore firmam ſibi conſervâſſe legitur,

gitur, ut ita non abs ratione Παν' Ἄριστον Βασιλέα Regem undiquaque optimum appellet Athenæus. Licet enim Fratres interfecerit, id tamen Juſtitiæ magis, quàm crudelitatis facinus fuiſſe, tam inſidiæ, quàm concitata Cypriorum ſeditio declarant. Ita & Gallos mercenarios ſuos, quòd periculoſa agitarent Conſilia, in Inſulam quandam deportatos fame confecit. Antiochi Terras excurſionibus ac populationibus, prædonum more, infeſtos reddidit, ſed provocatus. Hoc vitio utrique datur, & Patri & Filio, quòd ad Venerem fuerint propenſiores; Sed maculam hanc facilè deleverit Clementia, quâ 120000. Judæos libertati reſtituit. Ita ſi fortè & miranda, quæ Athenæo prolixè memoratur, pompa luxui propior videatur, ei, factos in Bibliothecam plus quàm Regios ſumtus, reponimus: Sacra enim Biblia in Græcum ſermonem, variasque Doctrinas in Latinum transferri juſſit. Tacemus ſplendida, quæ Hieroſolymam miſit, munera, cæteraque omittimus, quibus æternam ſibi apud Poſteros & Virtutis & Magnificentiæ ſtabilivit Gloriam.

XXXIV.
EIUSDEM
PTOLEMÆI.

Effigies hujus Numiſmatis in libro, qui *le Promtuaire des Madailles de plus Illuſtres Perſonnes* inſcribitur, eidem Philadelpho aſſignata eſt; Sed cùm ſuſpectam libri illius fidem in plurimis deprehenderimus, nec aliunde lux certior affulgeat, Lectoris judicio ſtabimus. Faciei à ſuperiore diverſitas ætatis potiùs differentiam arguere videtur, quàm perſonæ. Cornucopiæ vel Nili fœcunditatem innuit, vel Regni felicitatem.

Ulteriora Africæ ſcrutantibus Regnum Cyrenæorum occurrit, cujus à Conditore Batto plerique Reges inſequentes idem nomen traxére, poſterique Battiades dicti ſunt.

XXXV.

BATTUS.

UT Batto cuidam Cyrenarum Regulo tribuamus pulcherrimum hunc Gazæ Palatinæ Nummum, facit Inſcriptio K. & BA. Quid enim per eam concinnius intelligas? An Cappadocum, vel Cypriorum, vel Cretenſium, vel deniqúe Comagenorum Regem? Id ſi verum, quid deſignabit BA. an Βασιλέα? Atqui revinctum Diademate Caput Regem ſatis oſtendit, nec tàm neceſſarium erat, nomen Dignitatis exprimi, quàm Perſonæ.

Caput turritum Cyrenes Nymphæ arbitramur, à quâ Urbi Nomen. Sub Eo proximiorem Cyrenarum originem intelligimus, quas Battus condidiſſe fertur, & à Cyrene Nympha denominaſſe. Rem accipe ex Justino: *Cyrene condita fuit ab Ariſtæo, cui Nomen Battos propter obligationem linguæ fuit. Hujus Pater Cirnus Rex Theramenis Inſulæ, cùm ad Oraculum Delphos, propter dedecus Adoleſcentis Filii nondum loquentis, Deum deprecaturus veniſſet, reſponſum accepit, quo jubebatur Filius ejus Battus Africam petere & Urbem Cyrenem condere, uſum linguæ ibi acceпturus. Cum reſponſum Ludibrio ſimile videretur propter Solitudinem Theramenis Inſulæ, ex qua Coloni ad Urbem condendam in Africam tam vaſtæ Regionis proficiſci jubebantur, res omiſſa eſt. Interjecto deinde tempore, velut contumaces, peſtilentiâ Deo parere compelluntur: quorum tàm inſignis paucitas fuit, ut vix unam navim complerent. Cùm veniſſent in Africam, pulſis accolis, montem Cyran & propter amœnitatem loci, & propter fontis ubertatem occupavere. Ibi Battus Dux eorum, linguæ nodis ſolutis, loqui primùm cœpit: Quæ res animos eorum, promiſſis DEI jam ex parte perceptis, in reliquam ſpem condendæ Urbis accendit. Poſitis igitur caſtris, opinionem veteris fabulæ accipiunt, Cyrenem, eximiæ pulchritudinis Virginem, à Theſſaliæ monte Pelio ab Apolline raptam, perlatamq; in ejusdem montis juga, cujus collem occupaverant, à Deo repletam quatuor pueros peperiſſe, Nomium, Ariſtæum, Authocum, Argæum; Miſſos à*

Patre

Patre Speo Rege Theſſaliæ, qui perquirerent Virginem, loci amœnitate captos in iisdem terris cum virgine reſediſſe. Ex his Pueris tres adultos in Theſſaliam reverſos, Ariſtæum in Arcadia latè regnaſſe, eumq; primum & Apium, & Mellis uſum, & Lactis ad coagula hominibus tradidiſſe, Solſtitialesq; ortus ſideris primum inveniſſe. Quibus auditis Battus, virginis nomine ex reſponſis agnito, Urbem Cyrenen condidit. Ab hoc Batto cùm pleriſque Poſterorum nomen manſerit, difficile eſt certo cuidam hunc Nummum addicere.

EX Ægypto in Aſiam regreſſi Ciliciæ apellimus littora. Solis occurrit

XXXVI.

ARATUS POETA.

MOle quidem exiguum eſt hoc Numiſma, elegantiſſimum tamen & inſcriptione illuſtre, licet Effigies deſit. Poëtam arguit & Muſa & Cithara, Aratum inſcriptio. Arati Effigiem dedit URSINUS. Muſa, quam Thaliam ex adjecta Litera ⊖ interpretamur, Poëtica Dea eſt, Cythara Poëticum Inſtrumentum, Poëſis autem cœleſtis Harmoniæ Simulacrum; De cœleſtium Corporum qualitatibus, de ſitu & motu Siderum Aratus tantâ cum Venuſtate ſcripſit, ut Plures ejus Carmina, quæ Latio donarent, judicaverint digniſſima. Id fecit Cicero, fecit & Claudius & Germanicus, non de plebe homines, ſed Imperatoriæ Stirpis. Et ne, quod fieri ſolet, poſt funera demum ſurrexiſſe credatur, etiam vivus cum Rege Antigono Demetrii Poliorcetis Filio verſatus eſt, & mortuum vel miraculô Dii celebrârunt: Jacta ad Sepulchrum ejus, quod juxta Solos erat, ſaxa diſſiluiſſe POMPONIUS MELA obſervat:

Tantane dulciſono vis eſt poſt funera Vati?

PAmphiliâ & Lyciâ ſuperatis in Cariam devenimus, ubi ex Mauſoli Familia inter cæteros celebratur Hecatomnus.

XXXVII.

HECATOMNUS.



HEcatomnus ab Artaxerxe Memnone Bellum Evagoræ Cypri Regi facesſere juſſus, clàm pecunias ad peregrini militis ſtipendia Hoſti ſubminiſtraſſe legitur apud Diodorum. Quidni credamus rationem ſignati Leonis hîc latere? Leo robuſto pectore & jubis veſtitus, contractâ in rugas fronte, pedes terræ infigit, & caudâ ſe ipſum flagellat. Hunc habitum excandeſcentiæ & pugnaturi Leonis ſignum eſſe, nemo neſcit. Inde credibile eſt, Hecatomnum hoc Nummo ad Bellum contra Evagoram ſuſcipiendum ſuis ſe odiis excitari, & Leonino ad id Robore profecturum, Artaxerxi perſuadere voluiſſe, non alium in finem, quàm ut ſecurum de ſe Regem eò cautius falleret, cùm Evagoræ potius, ut in progreſſu palàm fuit, ſuis Viribus conſultum vellet. Ut autem Leonis potiſſimùm hic uteretur ſymbolo, niſi ad Regiæ dignitatis faſtigium reſpicias, fortaſſe decantatus Sardianorum Leo in cauſa fuit, quem Meles, primus Sardium Rex ex pellice ſua natum per muros circumtuliſſe fertur, promittente Oraculo, inexpugnabiles fore, ſi id feciſſet. Lydi certè Carum Germani fuerunt, eodemque uſi fano memorantur.

Figuram, quæ in altera Nummi parte Bipenni, & Haſtâ inſignis cernitur, etiam Seguinus, ſub Idriæo Hecatomni Filio, exhibet, parùm tamen ſibi liquere ait, an Deus ſit, an Idriæus ipſe? Sed Iovem Carium, cujus celebre apud Mylaſſas delubrum fuit, hâc Figurâ adumbrari, ex Plutarcho diſcimus. Verba hæc ſunt in Quæſtionibus Græcis: *Cur Jovis Labradenſis in Caria Simulacrum non Sceptrum aut fulmen, ſed SECURIM ELATAM TENET? Hercules Hyppolytam cùm necaſſet, inter alia arma ſecurim quoq; ejus captam Omphalæ dono dedit. Lydorum poſt Omphalem Reges eam geſtaverunt, ut unam de aliis rebus ſacris, ſucceſſoriq; itidem tradita fuit. Donec Candaules dedignatus cuidam ſociorum ferendam dedit. Poſtquam verò Gyges defectione initâ Candaulæ bellum intulit, venit à Mylaſſenſibus Arſelis, auxiliares Gygi copias adducens, interfecitq; & Candaulen & Socium, Bipennemq; in Cariam inter*

alia

alia ſpolia pertulit, JOVISQUE ADORNATO SIMULACRO EAM IN MANUM APTAVIT, LABRADEUMQUE NOMINAVIT JOVEM, Labram enim Lydi vocant, quòd Latini Securim. Quam expoſitionem clariorem deſideres ? Hinc confici tur, falſa eſſe Etymologiarum commenta, quæ apud LACTANTIUM & ÆLIANUM leguntur, quorum alter nomen hoc ideò Jovi datum arbitratur, quòd Labradeus ejus Hoſpes fuerit, & in bello adjutor ; Alter, quòd multum pluiſſet. PLUTARCHI Sententia indubitatô vetuſtatis teſtimoniô nititur.

PErgami occurrit Pergameni Regni Conditor

XXXVIII.

PHILETÆRUS.

PHiletærus Theſaurorum Lyſimachi Præfectus fuit, ab eoque ad Seleucum defecit, & Seleuci præſidio Regias firmavit opes, Nomine tamen abſtinuit. Numiſma exhibet & Cl. PATINUS in Theſauro, hâc tamen cum differentiâ, quòd Gladius & Laurea in averſa deſit & loco A ⋚ K, A ⋚ Y legatur. Titulo Regis Eum ideò abſtinuiſſe idem Cl. PATINUS conjicit, quòd Eunuchus & Servili conditioni proximus Coronam frondeam ſibi ſufficere putaverit. Sed quid vocabulum A ⋚ K ? Quid Pallas ? Virtutumne Dea Lauream imponat ei, qui proditione Domini Theſauros ſuffuratus eſt ? En conſuetam hominum verſutiam ! Quæcunque ſua facta Deorum auxilio ſibi ex ſententia ceſſiſſe fingunt. Attamen Philetæri defectio forſitan non omninò damnanda videbitur. Ab Arſinoë falſis criminatibus apud Dominum delatus, quid niſi ſuæ ſecuritati conſulere potuit ? Lyſimachum præ cæteris Minervam coluiſſe ſupra diximus. Inde crediderim Philetærum ab eâdem Deâ ideò ſe Gladium & Lauream, id eſt, Poteſtatem & Gloriam accepiſſe, hoc in nummo profiteri, quòd fugiturum Ea non detexerit aut ulta fuerit ; Non enim id tantùm Deorum beneficium eſt, quod ipſi nobis dant ; ſed & id, quod illis conniventibus nobis obvenit, Per Literas A ⋚ K. Aſclepia intelligimus, Agones Æſculapii Feſto Pergami celebrari ſolitos.

EX Pergamo in Bithyniam aſcendimus, ibi Pruſias occurrit, & Nicomedes Pruſiæ Filius.

XXXIX.

PRUSIAS.

FAciem Pruſiæ vides Bithyniæ Regis Ἀιχρὸν, ut ab Appiano vocatur, illiberalem & turpem. Hic Perſei Affinis, eô devictô Romam venit, Senatuique in tantùm adulatus eſt, ut ipſis Romanis ludibrio haberetur. Annibali fugitivo refugium dedit, mox depoſcente Flaminio prodidit. Dum Filio necem parat, à Filio interemptus occubuit. Numiſmatis averſa Herculem exhibet, non minus ac Nummi Pruſienſis apud Golzium, cujus interpres Nonnius cauſam vel à Cio accerſit Comite Herculis, qui cùm ex Colchis reverteretur, ad Cium fluvium, cui & nomen dedit, conſederit; Vel à raptu Hylæ, qui circa eundem Fluvium à Nymphis ablatus ſit. Utriusque opinionis fundamentum conjungit Strabo. Verba ejus interprete Xylandro hæc ſunt : *Supra Pruſiadem Mons eſt Arganthonius nomine. Ibi Fabulæ tradunt, Hylam Herculis Socium, qui Argo navi cum eo vectus fuit, dum aquatum exit, raptum fuiſſe à Nymphis. Cium verò ipſum quoq; de Sociis Herculis unum, revertentem à Colchis Urbem ſibi cognominem iſtic condidiſſe. Et nunc quoq; apud Pruſienſes feſtivitas quædam celebratur, & Montes cum Thiaſorum Choro conſcenduntur, Hylasq; vocatur, quaſi ſi ad Eum requirendum in Sylvas iviſſent.*

XL.

EIUSDEM PRUSIÆ.

EFfigies in ſuperiore Nummo iuvenilior fuit & imberbis ; In hoc provectioris ætatis cernitur & Barbata. Crevit cum Annis & Turpitudo, quæ

quæ, ut diximus, in Facie Prusiæ perstringitur. Aversa Numismatis Jovem exhibet sinistrâ Sceptro innixum, dextrâ Lauream protendentem. Jovis apud Bithynios Cultum vel suo interitu ipse Prusias adstruit. In ejus Templo à Filio interemptum ad Nummum sequentem dicetur. Laurea Victorum & Ornatus est & Præmium; Laurea igitur à Jove oblata concessum divinitus significabit victoriarum cursum. Res Prusiæ contra Attalum gestas fortassis intellexeris, de quibus Appianus: *Infensus Attalo Regi Pergamenæ Asiæ* (Prusias) *agros ejus vastavit. Quod postquàm Senatus Romanus didicit, denunciavit ei, ne Attalo Amico Socioq; P. R. bellum inferre pergeret. Quumq; ille parere gravaretur, legati rigidè mandarunt ei, aut pareret Senatui, aut ad disceptandum veniret cum mille equitibus ad confinia, ubi & Attalum expectare, ajebant, cum totidem aliis. Ille contemtâ paucitate, quæ erat circa Attalum, sperans, Eum posse à se opprimi, præmisit Legatos, quasi secuturus cum mille suis; Sed concitato exercitu venit, tanquam ad Prælium. Attalus & Legati præmoniti diffugerunt, quà quisq; poterant: Ille etiam jumenta Romanorum relicta comprehendit, & Castellum Nicephorium expugnatum diruit, Templa quoq; incendit in eo, Attalumq; intra Pergamum compulsum oppugnavit.*

XLI.

NICOMEDES

Effigiem exhibet ab illis, quas Golzius proponit, diversissimam; Et nisi nostrum Numisma indubitatæ fidei & alii, penes quos hoc in genere Dictatura est, agnoscerent, vix id contra Golzium exponere auderem; Neque vero alii, præter hunc, Epiphanis cognomen datum lego, neque vox hæc generalis aliis applicari posse videtur. Forsitan sculptoris vitium putaveris, cùm omnes ferè apud Golzium Effigies eodem filo delineatæ sint. Res gestas Nicomedis Appianus Alexandrinus pluribus persecutus est. Cognomen inde ei impositum esse conjicere possumus, quòd subditis Prusiæ Patris sævitiâ, uti ferebant, oppressis Româ adveniens tanquam salutare Sidus apparuerit; Eosque contra Patrem, ausu licet impio, nefando exitu, sibi vindicaverit. Hoc genuina vocabuli significatio arguere videtur, & eâdem etiam Antiochum ratione Epiphanem

nem cognominatum idem Appianus teſtatur in Syriacis. Iuppiter Nonnio ideò expreſſus videtur, quòd ejus Nicomediæ præcipuus cultus fuerit. Id ex dicto Appiano colligit, qui Pruſiam in Jovis Phanum confugiſſe narrat, ut ſe adverſus Filium loci religione tueretur. Hæc ratio ad Pruſiæ nummum ſatis eſt appoſita; At in Hôc aliud adhuc latere putamus. Patrem, cum quo de Regno decertabat, Nicomedes in Jovis fano occîdit & ita victoriarum ſummam in uno Patris Capite obtinuit. Hinc fortaſſe haud futilis conjectura fiat, Nicomedem hoc Nummo, à Jove ſibi victoriam adverſus Patrem datam, perſuadere voluiſſe; Quid enim Juppiter Lauream Victoriæ Symbolum porrigens aliud deſignare poſſit? Quid Aquila fulmini inſiſtens habitu quieto, quàm bellum confectum, partas Imperii Vires, Pacem reſtitutam?

POſt Bithynos Pontum ingreſſos excipit

XLII.

MITHRIDATES.

Hic eſt famoſiſſimus ille Ponti Rex, cujus nomen geſta cum Romanis bella celeberrimum fecére. Decimus ſextus ſuæ Stirpis à Dario ultimo Perſarum Rege numeratur; Octavus autem ab Eô Mithradate, qui primus, deſertis Macedonibus, Ponti Regnum condidit. Corpore fuit vaſto & robuſto, equitationibus & jaculationibus exercitatiſſimus, Græcis literis imbutus, Religionis Græcorum haud ignarus, laborum patiens, circa muliebres voluptates intemperantior, & quod maximum eſt, Sororum, Uxorum & Filiorum interfector. Duplex habuit cognomen, Dionyſii & Eupatoris: Hoc claritatem generis deſignat, quod ab uno è ſeptem illis Perſis, qui Magos occiderunt, deducebat; Illud vel Fortunam vel bibacitatem cum Baccho eandem indicat. Refert Plutarchus, Eum Regum bibaciſſimum, indeque Dionyſii vel Bacchi cognomen reportaſſe, quibusdam perſuaſum fuiſſe. Contra Appianus, Eum plerumque ſobrium teſtatur, unde rectè Plutarchus priorem rationem explodit, aliamq; ipſe ſubjicit, quòd ſcil. uti Bacchus bis fulminis ignibus involutus, intactus tamen evaſerit. Quicquid ſit in Nummis Corona Hederacea cognominis hujus teſtimonium præbet. Ex Hedera & baccis Coronam hanc conſtare Seguinus ait. Ex floribus Eggelinus. Mihi videor & Nuces avellanas

nas obſervare, quibus Pontica Regio tantâ ubertate pollebat & Præſtantiâ, ut vulgò *Pontica* vocatæ fuerint. Id ex STATIO, DIOSCORIDE, GALENO pluribus demonſtrat eruditiſſimus BOCHARTUS.

Cur Cervum ſignaverit Mithradates, cauſam ex ÆLIANO accerſunt, ubi *Eum Corporis ſui cuſtodiam non tantùm Armis & Satellitibus, ſed & Tauro & Equo & CERVO, quos manſuefactos hac de cauſa alebat, committere ſolitum fuiſſe narratur.* Solis typus Etymologiam nominis concernit. Mithradatis nomen Perſicum eſt: Mithram Perſis Solem deſignare PLUTARCHUS ait. Soli Cervum, non minus ac Dianæ, ſacrum fuiſſe Ill. SPANHEMIUS obſervat. Unde & huc fortè reſpexerit Mithradates. Sed utraque conjectura ſuâ laborat infirmitate. Alia ſunt quæ Soli ſacra; Alia ſunt quibus Salutem ſuam credidit Mithradates: Cur ea non ſignavit, ſi Solem reſpexit, ſi reſpexit vitæ cuſtodes? Tutius ad Venationem cui impenſè deditus fuit Mithradates, hunc Cervum referas. Luna Dianam exprimit Venationis Deam: Sol ad nomen pertinet; Neque enim Cometam, qui Regni auſpicium dedit, ut arbitreris, adjecta Luna permittere videtur.

NAves ingredimur, Virorum, ſi quos Gaza Palatina nobis objiciat, Illuſtrium rimaturi facinora. Pontum navigantibus in memoriam veniunt Argonautæ, inter quos & Euphemus quidam Apollodoro aliisque memoratur Neptuni Filius, quem ſequenti Numiſmate celebrari inſcriptio docet.

XLIII.

EUPHEMUS.

FIguram cernis pubetenùs Hominem, reliqua Piſcem, qualiter Tritones pingi conſueverunt: Utramque manum elevat, dextrâ Tridentem torquet, piſcique infigit. Hæc omnia Neptuni Filio quadrare, quis dubitet? HYGINUS Tænarium & ex Europa Tityi Filia natum ait, quod idem

& Pindarus canit, locumq; in quo natus sit, designat Cephisi ripas. Hyginus sibi ipsi contrarius alio in loco ex Celæno Ergæi Filio natum dicit. Pausaniæ sufficit Paternum **Euphemi** genus secundum Poëtas indicâsse, interim tamen Victoriam ejus celebrat, quàm Bigis in Olympicis obtinuerit, & Statuam, quæ ipsi in Elide posita suo adhuc ævo exstiterit. Sicco pede super aquas Eum cucurrisse præter Hyginum, Tzetzes aliiq; affirmant, quod procul dubio ob peritiam Rei Nauticæ effictum est. Dracones, quos Aversa exhibet, ad Cadmæum & Colchicum referendos nihil dubito, quorum alterius à Cadmo interfecti dentes Jason Argonautarum Dux

Aratos sparsit in agros.

Unde *Seges Clypeata Virorum*, qualis & Cadmo enata est; Alterum pervigilem aurei velleris custodem *Lethæi gramine succi* sopivit. Colchicus Ovidio

- *Cristâ Linguisq; tribus præsignis & uncis.*

Dentibus horrendus fuisse dicitur; Quæ descriptio ad lubitum potius Poëtæ, quàm ad ipsam Draconis hujus Effigiem concepta videtur; neque enim tres linguæ hîc apparent, & dentes, licet acuti satis & horrendi, non tamenunci sunt. De Crista rem in medio relinquimus, aliquid enim Vetustate exesum in Nummismate adhuc cernitur, quod Cristæ vicem suppleresse possit. Cæterùm & bifida Cauda & uncum in tergo Cornu & prælongæ ad Tempora Aures facilè ea supplebunt, quæ ab Ovidio afficta sunt. Sua Poëtis, sua est & Cœlatoribus Libertas!

SUperato Hellesponto & Mari Ægeo Peloponnesum ingredimur. Argis memoria subit

XLIV.

PHIDONIS.



CLypeum & Vas Numismatis hujus eodem planè modo videas apud Golzium in Nummis Ismenes & Φασιῶν, de quibus Nominibus dubitat Nonnius. Clypeum in memoriam Herculis expressum arbitrantur, quòd is refixis, quæ in Templis inveniebantur, armis, Minyarum jugum excusserit, patriamque in libertatem asseruerit. Vas aversæ Bacchi Cantharum arbitratur Idem Author; Sed nostrum Numisma plus luminis affundit. Phidonem inscriptio prodit clarior, quàm ut quemquam dubitare

bitare ſinat. Is decimus ab Hercule, Argivus, & omnibus ſuæ tempeſtatis Principibus excellens, non Bello tantùm, inclaruit, ſed & Inventis ſuis; Præter alia facinora & eas adortus eſt Urbes, quas quondam Hercules ceperat, ſibiſque vendicavit, ut ea procuraret certamina, quæ ab Hercule fuerant inſtituta. Intelligis cur Clypeo Herculis oppoſitum ſit Phidonis nomen? Genus ab Hercule ducebat, Herculem æmulabatur. Vas inventum ejus eſt. *MENSURAS invenit*, inquit STRABO, *quæ PHIDONEÆ DICUNTUR, atq; pondera, & monetam cùm aliam, tùm ARGENTEAM procudit*; Argenteum eſt & noſtrum Numiſma, quidni ab eo procuſum credas? Uvâ vaſi ſuperpoſitâ non tam Vini abundantiam hoc loco, quàm Menſurarum uſum denotari putamus.

IN Elide Olympicorum celebritas Diverſos exhibet vario victoriarum Genere Nobiles: Horum unicum ex Gaza Palatina damus, non tam ſuâ, quàm Equæ ſuæ virtute memorandum. Duo ſunt Numiſmata

XLV.

LYDOLÆ.

PRimum etiam Ill. SPANHEMIUS exhibet. Caput Galeatum Marti tribuit: Dimidium Equum ad Carthaginenſes refert, ſimilemque à GOLZIO & PARUTA inter Dionyſii Siciliæ Tyranni nummos referri dicit. Secundum Plures Antiquitatis Scientiſſimi ſæpè tentârunt, an aſſecuti ſint, neſcio: Alii, Αυδώλενλος, Alii aliud quid in eo legendum exiſtimârunt. Primam ad veram Lectionem viam ſtravit Sereniſſimus CAROLUS LUDOVICUS Glorioſæ Memoriæ Elector Palatinus, Αυδώλε legendum decernens, quæ vox integerrima in nummo Palatino habetur; Quod finem attinet, alia adhuc literarum veſtigia apparent, quæ an Caſum forment, an aliud quid dicant, dubium eſt.

Nequicquam veram crepes Lectionem, niſi & ſcias, quis ille Lydola fuerit? Ego ne tædioſis tecum ambagibus agam, dicam quod rem eſſe exi-

ſtimo. Pausanias in Eliacis II. cujusdam Phidolæ Corinthii mentionem facit, cujus Equa, ab ipſis ſtatim carceribus Seſſore collapſo, & curſum priſtinum æquè, ac ſi rectorem haberet, retinuerit, & circa metam ſe converterit; Audito vero tubæ ſonitu ad curſum concitata ſit vehementius, cùmque ad Ludorum Præfectos antevertiſſet, jam Victoriæ ſe quaſi compotem intelligens conſtiterit; Quam ob cauſam Elei ipſo Phidola victore renunciato, Ei, ut Equæ Simulacrum dedicaret, conceſſerint. Hæc quàm concinnè rem explicent ipſe vides. Unicum dubium reſtat, quod in Pausania Φειδώλα, in nummo autem Λυδώλε apertè legatur; Sed quis neſcit plura in antiquis, præſertim Græcis Authoribus corrupta eſſe? quod ſi in uno, certè in hoc Lydolæ nomine quàm facillimè contingere potuit, tantum enim λυ & φει non diſtant, ut non facilè in MSC. aliud pro alio irrepere potuerit.

Ex iisdem Pausaniæ verbis conſtat, Equam hanc Auram dictam, à quâ voce nec in primo Numiſmate Equi collo inſcriptæ Literæ VPE procul abeunt, ſive A ab initio in Pausania adjectum, ſive in monili ſuppreſſum aut deletum credas. Certè his Numiſmatibus, quod Elei intenderunt, re ipſâ effectum eſt: Simulacrum in ſtadio conſecratum dudum vetuſtas abolevit, nummis impreſſum adhuc integerrimum non tantùm perſtat, ſed ad ſeram noſtrâ operâ transmittitur poſteritatem. Caput prioris Numiſmatis an Martis, an ipſius Lydolæ credere velis, nihil moramur; quanquam Marti adſcribendum Caput Palladis, quod in altero nummo habetur, ſuadeat. Appoſitè ſcil. bellicis Numinibus dedicaſſe Equam ſuam credi debet Lydola, quòd generoſa ejus virtus optimi Equitis Peritiam ſupplevit.

PAtras aſcendentibus in memoriam redit

XLVI.

PATRÆUS.

PAtræum inſcriptio hujus Numiſmatis prodit. Fuit is Preugenis Filius Agenoris Nepos, qui ab Ampyce, Pelia, Ægineta, Derito, Harpalo,

lo, Amycla, Lacedæmone, ordinem gentilitatis deducebat. Faciem in adverſa agnoſcimus, neque enim ut Apollini tribuatur, integerrima Equitis, quæ in adverſa eſt, patitur. Non obſtabit Laurea. Eâ redimita ſunt & Ageſilai & Polydori Capita in Lacedæmoniorum Nummis, qui eundem planè typum præferentes, & Cognationem evincunt, & idem ſignati Numiſmatis tempus. Eques hoſtem proſternens Herois noſtri meritum indicat : Ad ejectos Jones refertur, occupatamque Aroam, quàm poſteà auctam Patræus de ſuo nomine Patras dixit. Adi PAUSANIAM & fidem habebis.

ANtequam digrediamur, rariſſimum adhuc inſpiciendum Numiſma Taurionis.

XLVII.

TAURION.

SImillimum huic PARUTA exhibet ſub Hierone II, ſed absque inſcriptione; Alios itidem numero ſecundo, tertio & quarto in paucis differentes, cum inſcriptione IEPΩNΩΣ, quanquam facies, licet utrobique barbata, lineamentis tamen differat. Fateor, me nondum probè inſpecto nummo cum Hieronis eundem arbitratum fuiſſe ; Sed poſtquam penitiùs trutino, non Hieroni, ſed Taurioni Eum tribuendum inſcriptio adhuc integra mihi perſuadet. Is, ſi POLYBIUM audias, diſcedente Antigono, omnium rerum quæ ad Reges Macedoniæ ſpectabant, in Peloponneſo Procurator conſtitutus, bello Cleomenico à Timoxene Achæorum Prætore ad expugnandum Clarium comes aſſumtus eſt, cognitâque non multò poſt Ætolorum impreſſione Demetrium Pharium, quem ex Inſulis Cycladibus Cenchrias appuliſſe intellexerat, ad ferendum Achæis auxilium, Ætolosque invadendos incitavit, ſumptumque in Lembos per Iſthmum trajiciendos in ſe ſuscepit. Ex His Tridentem ideò ſignatum credibile eſt, ut vota Neptuno pro felici rerum, duce Demetrio contra Ætolos ſuſceptarum, ſucceſſu facta teſtatum eſſet.

IN Siciliam transmittimus. Ibi multa Regum dicam, an Tyrannorum Seges? Primus nobis occurrit Hiero.

XLVIII.

HIERO.

Hiero Syracusius Geloni Fratri succedens, undecim Annos & octo Menses Imperio præfuit. Numisma exhibet Caput Hieronis Diademate revinctum in aversa Statuam Equestrem, cum Hastâ & inscriptione ΙΕΡΩΝΟΣ. N. Idem habetur apud Golzium tab. 13. & Parut. num. 20. hâc sola cum differentia, quod loco N ibi Λ. expressum sit Pausanias hanc de eo in Olympia descriptionem exstare tradit:

Σόν ποτε νικήσας Ζεῦ Ὀλύμπιε, σεμνὸν ἀγῶνα
Τεθρίππῳ μὲν ἅπαξ, πουνοκέλητι δὲ δίς,
Δωρὶ Ἱέρων τάδε σοι ἐχαρίσσατο· παῖς δ' ἀνέθηκε
Δεινομένης πατρὸς μνῆμα Συρακοσίᾳ.

Juppiter, Eleo rediit qui pulvere Victor,
Quadrigâq; semel, INJUGE bis & EQUO.
Voverat hæc Hieron: Natus monumenta Parentis
Dinomenes posuit clara Syracosii.

Ex hâc Inscriptione Hieronem bis Celete in Olympicis victorem exstitisse discimus, qualis Victoria cum in nostro nummo expressa sit, figura hæc Equestris ipsius Hieronis decurrentis Statua, & in memoriam unius illarum Victoriarum signata, credi debet. Nec fides habenda doctissimo aliâs Antonio Pisoni, qui Tarantem Neptuni Filium hunc arbitratur;

AT quomodo conveniet eidem inscriptioni cum Aureo

EIUS-

XLIX.

EIUSDEM
HIERONIS.

PLurimiſque apud PARUTAM aliis, in quibus Bigæ cernuntur, cum Inſcriptio expreſſè Τεθρίππῳ Quadrigis eum viciſſe aſſerat ! Imò & Pindarus, qui & Hieronis Victorias non unâ celebravit cantilenâ, Quadrigas haud obſcurè innuat. Quid dicemus ? An Poëticâ Figurâ unum Currûs genus pro alio poſitum exiſtimabimus ? Atqui inſcriptio vix aliud dicet, quàm quod res ipſa tulit ? Et conſenſus Teſtimoniorum Quadrigas exprimit ; Pindari tamen Odæ non de Quadrigarum Victoria inſcribuntur, ſed Ἄρμαλος currûs, quod vocabulum & in nummo apparet. De his judicet peritior. De Capite ſpicis redimito in ſequenti dicetur.

DUcentis fermè poſt Hieronem Annis ſecutus eſt

L.

AGATHOCLES.



AGathocles Patre figulo natus, cùm ob victûs inopiam & ipſe figulinam exercuiſſet, per varios fortunæ gradus eò magnitudinis proceſſit, ut maximam Inſularum, Africæ, Italiæque non ſpernendas portiones ſibi ſubjectas viderit. Ejus vitam, res geſtas, mores, crudele in ſubditos Imperium præter cæteros DIODORUS pluribus perſequitur. Numiſma noſtrum ex Argento Præfert Caput fœmineum unâ ſpicâ redimitum, cum Inſcriptione KOPAΣ . Averſa oſtendit Victoriam pubetenùs nudam, ſiniſtram ſupra Tropæum attollentem, dextrâ malleum tenentem, ap-

appoſito Trinacriæ ſigno, & Inſcriptione ΑΓΑΘΟΚΛΕΙΟΣ. Idem ferè habetur apud Golzium; ex collatione tamen aliqua apparebit differentia, præſertim in ipſa capitis fœminei Effigie, & velatis Victoriæ cruribus. Accedit, quòd ſignum Trinacriæ apud Golzium vel abſit, vel aliter poſitum conſpiciatur.

Caput illud fœmineum Proſerpinæ eſſe, ex Corona ſpicea & appoſita Inſcriptione patet; Proſerpinæ in ſuis cum Plutone nuptiis Siciliæ Inſulam pro Anacalypteriis datam, nonnulli Poëtarum fabulati ſunt. Alii eâ cauſâ ei dicatam arbitrantur, quòd in ea omnium prima cum Matre ſeſe oſtenderit, primasque expoſuerit fruges, unde poſteà, cùm à Plutone rapta ad orcum deſcendiſſet, ſolenni quotannis panegyri à Syracuſanis celebrata ſit; His ita creditis non mirum eſt, in Agathocliis nummo eam eſſe expreſſam, cum procul dubio Siculi Victoriam, quæ in averſa ſignata eſt, Agathocli hujus Deæ ſuæ auxilio obtigiſſe, crediderint, gratesque ei hoc monumento referre voluerint. Pertinet autem hæc Victoria ad eum quam Agathocles in Africa paulò ante, quàm cum Ophella Cyrenarum Regulo Societatem iniret, adverſus Carthaginenſes obtinuit. Videmus enim Victoriam Tropæum figentem, quod Agathoclem Carthaginenſibus & Barbaris profligatis feciſſe, Diodorus Author eſt. Adjectum Trinacriæ ſignum in Sicilia, & fortè communi Siculorum Decreto, hunc nummum cuſum eſſe, oſtendit. Cæterum uti in pluribus Antiquorum Numiſmatibus, ita & hîc Tropæum videmus, non è Saxis, ſed è ligno erectum, quod Nicolaus quidam apud Syracuſanos de captivis Athenienſibus conſultantes, ideò factum arbitratur, ut ſi ad exiguum tempus durarent, brevi Inimicitiarum quoque monumenta exoleſcerent.

LI.

EIUSDEM.

AGATHOCLIS.

ADverſa Caput præfert Dianæ Pharetratæ cum Inſcriptione ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ ΒΑΣΙΛΕΟΣ Dianam una cum Proſerpina in Siciliam veniſſe,

veniſſe, eique Syracuſanam Inſulam attributam, & exinde tam Oraculis, quàm hominibus Ortygiam vocatam Diodorus prodit. Fulmen Providentiæ Symbolum eſt. Hoc igitur nummo Agathocles Syracuſanis perſuadere videtur, Dianam eos, ſe Providente ſive imperante, ſervaturam. Hâc enim de cauſa Dianam ΣΩΤΕΙΡΑΝ vocaſſe, ſuum autem nomen fulmini junxiſſe credi poteſt. Cæterùm notandum, quòd in hoc nummo Agathocles Rex appelletur, in priore non; Ideò ſcilicet hoc factum eſt, quòd cùm ſupradictam Victoriam obtineret, Regis titulum nondum uſurparet; Illâ enim potitus eſt, antequam Ophellam Cyrenarum Regulum fraudulentâ ſocietate decepiſſet; hunc autem poſt demum aſſumſit, cùm Antigonum, Demetrium & Ptolemæum Diadema ſibi impoſuiſſe audiſſet, uti Diodorus teſtatur.

LII.

TERTIUM AGATHOCLIS.

IDem hîc fulmen eſt, & in adverſa Caput Minervæ. Etiam Minervæ celebrem apud Syracuſios cultum fuiſſe, infra ex eorum Numiſmatibus patebit. Eadem hujus quæ & ſuperioris, eſt interpretatio. Sequitur

LIII.

HIERO II.

CAput fœmineum cernis Coronâ ſpiceâ cinctum. A tergo Malum Punicum eſt, cum Inſcriptione: ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ; In averſa Bos

cornupeta cum Inſcriptione IE & Lit. Φ. Typum exhibet & PARUTA, in paucis tamen diverſum.

Hieroni Patre Hierocle, qui genus ſuum à Gelone primo Syracuſarum Rege repetebat, & Matre Ancillâ prognato varia prodigia Regnum prædixére : Congeſtum ab apibus circa caput expoſiti Infantis Mel ; Lupus ludenti Tabellam eripiens ; Aquila in Clypeo, Noctua in Haſta conſidens. Nec eventus fefellit. Primò enim Prætor, mox Imperator, tandem communi ſuffragio Syracuſanorum Rex appellatus eſt. Inde Romanis ex hoſte amicus omni eos Officiorum genere ad mortem uſque, quam nonagenario major demum oppetiit, conſtantiſſimè demeruit. Caput fœmineum in nummo Proſerpinæ eſſe, appoſitum à tergo Malum Punicum evincit. Cùm Ceres Jovem rogaſſet, ut Filium ſibi reſtitueret, id ſe facturum Juppiter promiſit, ſi nihil eorum adhuc guſtaſſet, quæ forent apud Inferos ; Sed cùm Illa tria vel, ut alibi, ſeptem grana Mali Punici ediſſet, indice Aſcalapho, educi non potuit.

Taurus averſæ fertilitatis Symbolum vulgò creditur. Poterit etiam ad pecorum multitudinem referri, quâ de cauſa Pindarus Siciliam πολύμηλον divitem pecoris vocat ; Niſi, hoc præſertim in nummo, ex geſtu cornupetæ Hieronis fortitudinem intelligas, quâ Mamertinos contudit, & viam ad Regiam ſibi Dignitatem ſtravit. Ratio hieroglyphici vel ex ipſo vocabulo, quo hunc geſtum Græci expreſſerunt, conſtare poteſt. Κερατίζειν ipſis non tantùm eſt cornupetere, ſed & invadere, vaſtare, diſſipare, ſcilicet ut boves infeſtis cornibus ſolent. Hinc idem vocabulum apud HOMERUM & THEOCRITUM de Leone uſurpatur, & Achilles Trojanos ὄπιθεν κεράϊζει, ut ea, quæ in ſacris habentur, taceamus. Conjecturam juvat expreſſa ſupra bovem Clava, quæ procul dubio primam Syracuſanorum Originem indicat, quam ab Hercule deductam THUCYDIDES teſtatur. Hiero ſcilicet ſe inſtitutum Proſerpinæ cultum religioſè colere, & in debellandis hoſtibus antiquam ſtirpis ſuæ Virtutem obtinere, hoc fortaſſis nummô manifeſtare voluit.

HIERONY-

LIV.

HIERONYMUS.

Hieronymus Hieronis II. degener Nepos Syracuſarum Tyrannus, Anno ætatis 15. Regnum adeptus ſuperbè imperitavit, violatoque quod Hiero cum Romanis pepigerat fœdere, Carthaginenſium partes ſecutus eſt, ſed brevi conjuratorum factionibus oppreſſus Regnum ſimul cum vita amiſit. Numiſma Caput exhibet Diadematum. Ad eam rem appoſitè Livius pronunciat hæc Verba : *Hieronymus, velut vitiis ſuis deſiderabilem efficere vellet Avum, primo ſtatim conſpectu omnia quàm diſparia eſſent, oſtendit. Nam qui per tot annos Hieronem Filiumq; ejus Gelonem, nec veſtis habitu, nec ullo alio ſigno differentes à cæteris civibus vidiſſent, conſpexére Purpuram ac DIADEMA & Satellites armatos, quadrigasq; etiam alborum equorum ex Regia prodeuntium, more Dionyſii Tyranni.*

Fulmen in adverſa expreſſum Providentiæ & Imperii Symbolum eſſe Ill. Spanhemius inter cæteros & de Hieronymi nummo fatetur, quam ſententiam lubentes amplectimur ; Quamquam enim nec ſibi nec Reipublicæ benè proviserit Hieronymus, veriſimile tamen videtur, Eum id ſignare juſſiſſe, cui, ſi non erat, volebat par ad minimum videri. Livius ait, *Andronodorum, cùm Hieronymum Regni Potentem pronunciaſſet, deponendo tutelam, quæ ipſi cum pluribus communis erat, in ſe unum omnium vires convertiſſe,* quod procul dubio de gratia intelligendum, quam apud Tyrannum facto ſuo iniit Andronodorus ; Si gratiam iniit depoſitâ tutelâ, jam conſtat, voluiſſe Hieronymum & Imperio & Providentiæ parem videri, licet, ut idem Livius ait, *vix Libertatem, ne dum Dominationem modicè ferre poterat.*

ULtima Capitis hujus Fœmina ſit. Neque enim vel debilitas ſexûs, vel obſcuritas vitæ locum huic inter Illuſtres Regalesque Viros denegaverit, cùm Numiſmatis ſplendor ebuccinet in dignitate Pietatem, in Pietate Triumphos.

LV.

PHILISTIS.

PHiliſtidis nemo Antiquorum meminit. Unicus Suidas eam vel Siciliæ vel Magnæ Græciæ Reginam fuiſſe exiſtimat. Recentioribus Eam nominaſſe ſufficit. Nummum Siciliæ adſcribit PARUTA, quâ Authoritate, viderit ipſe. Reginam fuiſſe, & Victoriam quandam obtinuiſſe, indeque Regno ſuo felicitatem peperiſſe, Inſcriptio & Quadrigæ cum aurigante Victoria, & adjectum Cornucopiæ teſtantur, additur & Victoriæ cauſa, Velum ſive Pietatis ſive Divinitatis Symbolum. Pietate Divinitati appropinquamus. Pietate Deum flectimus; A Deo Victoria. Hæc utut à Gentili Regina ad poſteritatem transmiſſa, neceſſaria tamen Doctrina ſunt & iis interdum, qui ſaniore Religionis jubare ſe illuminatos hodiênum jactant. In Hiſtoricis, Lector gratum fecerit, ſi plura docebit.

ANACEPHALÆOSIS.

ILluſtres, quorum hoc Capite & Effigies inſpeximus, & Actiones quasdam, vario olim ſub orbis Climate proſevit Græcorum Natio, ſuſcepit For-

Fortuna vel Regia vel Regibus proxima. Hujus Exempla in Euphemo fulgent, Fulgent in Lydola & Patræo; Illius in reliquorum plerisque. Pars Macedoniæ Solium poſſederunt, Pars Aſiæ, Pars Syriæ, Pars Ægypti, Alii aliud: Potentiam omnes, at quàm brevi duraturam? Macedonia, Syria & Ægyptus, quæ diutiſſimè cum interitu ſibi luctatæ videntur, tandem tamen Victrici ſuccubuerunt Aquilæ. Aſiam Syrorum abſorbuit æſtus. Abſorbuit & revomuit. Inde Regnum Pergamenum, Bithynicum & Ponticum, quæ tamen nec ipſa fuerunt firmiora. Non Tyrannis ſua ſtetit Potentia: Non Regulis, quos Caria nutrivit, quos Cyrene, quos Peloponneſus. Omnia, quod ab initio diximus, *parca Dies abſtulit*, & ne memoria quidem ſupereſſet, niſi eam conſervaſſent vel Hiſtoria, vel præſidium Hiſtoriâ illuſtrius Numiſmata.

Hæc quo rariora, eò majore cum diligentia, tanquàm ex naufragio, colligenda, non ut inutile lignum; Sed ut eorum monitu contra eadem mortalitatis fata nos muniamus. Neque enim otioſa putaveris aut muta, cùm & Virtutum & Vitiorum in Regnis & Rebuspublicis oſtendant Efficaciam. Demetrius Polyorcetes ob Victoriam Navalem Divinos honores admiſit, ſed Diis vindicibus tandem privatus contabuit; Antiochus Dionyſus Superbiæ conjunxit Luxum, ſed ab Arabibus, luxurioſâ Gente, cæſus eſt. Alexandrum Caſſandri Filium imprudens ardor vindictæ ſuſtulit; Demetrium ex Parthis reducem demens jactantia debilitavit. Pyrrhus vanas eſſe victorias oſtendit, niſi parta cuſtodias; Perſeus debiles Exercitus, niſi Prudentiâ & Fortitudine Regis ſuſtineantur. Hieronymum inanis tumor perdidit, Pruſiam crudelis Inertia. Vanum in fœmina præſidium Theopatori fuit. Cleopatram muliebris arrogantia præcipitem egit.

Quot ſcopuli, tot decrementi in Imperiis & interitûs cauſæ! Quot ſcopuli, tot monita Principibus: Ne Superbiâ intumeſcant, ne luxu diffluant: Ne crudelitate ſanguinentur; Sed ut prudenter & ſobriè ſubditis imperent: Prudenter & fortiter inimicos perſequantur: Clementer proſtratos ſuſcipiant: Suæ magis Dexteritati, quàm muliebri fidant præſidio: Artes foveant, ut Antigonus Aratum: Archelaum reſpiciant, qui Regnum ſuum variis ornamentis evexit: Lyſimachum imitentur, imitentur Antigonum Tutorem, qui Fortitudine & Prudentiâ excelluére: Hieronem & Amyntam, qui paternis meritis merita ſua ſuperſtruxére: Ptolemæum Philadelphum, qui jura ſanguinis coluit: Ptolemæum Lagi, qui benignitate & moderatione magnitudinis omen implevit:

plevit : Philippum, qui Deum coluit, ſacrilegos ultus eſt : Philiſtidem, quæ ex Pietate Victoriæ Gloriam hauſit. Hos, ut curarum æſtus ſolentur, non dedecent Ludi, quales Philippus & Hiero Nummis impreſſére : Non Venationes, quibus Mithradates in futura bella corpus duravit. Horum ut Alexandri Magni Virtutem Deus juvat, Gloria per orbem Terrarum perennat.

SECTIONIS SECUNDÆ

Cap. II.

CONTINENS

NUMISMATA QUARUNDAM URBIUM

QUAS

PER ITALIAM, SICILIAM, RELIQUASQUE MARIS MEDITERRANEI INSULAS, PER GRÆCIAM, ASIAM ET AFRICAM, ANTIQUA COLUIT GRÆCORUM POTISSIMUM FREQUENTIA.

Erumpublicarum felicitas felicitatis humanæ culmen eſt. Inde dependet felicitas non Magiſtratuum tantùm, ſed & Subditorum. Eapropter ut culpandi qui privatæ utilitatis deſiderio publicam peſſundant, ita laudandus videtur conatus eorum, qui curas ſuas in exquirenda intendunt media, quibus publica & elevetur & conſervetur. Attamen nec hi omnes probando ſatis inſiſtunt tramiti. Sunt qui omnem felicitandarum Urbium facultatem Diis adſcribunt; Sunt, qui omnem hominibus: Zelo Illi in res Divinas, ſed ſuperſtitioſo,

ſtitioſo, Hi in mundanas, ſed profano ; Utrique erroneo, cùm Alteri Deos, Alteri Homines ignavo damnent otio. Prudentiùs Fabuloſa Antiquitas incrementa Urbium & Rerumpublicarum ab utrisque deſcendere oſtenſura, non tantùm in Originibus ſuis utroſque conſecravit & ad Poſteritatis cultum provexit; Sed & Trojam effinxit, non ab hominibus exſtructam, ſed à Diis, à Diis tamen diverſarum Naturæ Qualitatum, diverſarumque Artium Præſidibus, non aliam ob cauſam, quàm ut felicitatem Urbium ab ope & benedictione Divina quidem dependere, ſed humanam ſimul involvi induſtriam ſignificarent. Neptunus Humiditatis Author eſt, Apollo Siccitatis. Alter Oceanum temperat, alter Terram fovet. Terram & Oceanum ſi in ſitu Urbium Dii conjungant, firmiſſimam futuræ felicitatis baſin credideris ; Inde Potentia, ſi induſtria Humana accedat Cœlique favor, navalis exurgit; Inde Terræ fertilitas, Militare Robur & Pax, Pacisque Ornamentum Pulcherrima variarum Artium Corona, quarum præcipuas & famulatrix commendat Apollinis dextra.

En veram promovendæ felicitatis publicæ rationem ! Eam ut explicatiorem reddamus, quasdam hoc Capite contemplabimur Urbium earum, quas per Maris Mediterranei & Inſulas & Littora olim vetuſta diſperſerat Græcorum Natio.

EX Adriatico Ionium verſus navigantibus ad dextram juxta Aternum occurrit Regio Maruccinorum, ejusque Caput

TEATE.

TEate quam Strabo vocat, hodiè vulgò Tieti & frequentius Chieti, in propoſito autem Numiſmate Tiati dicitur. Numiſma vetuſtiſſimum ſapit artificium. Inde nec Teate primævam appellationem fuiſſe colligimus. Quamquam nec Maruccinorum nec Urbis Tiatinæ originem, vel nos, vel operoſius in his Philippus Cluverius inveſtigare potuerimus. Huic de Marſo Maruccinorum nomen detortum ex Prisciano notaſſe ſufficit. Magnam autem fuiſſe, & bellicâ virtute floruiſſe hanc Urbem ex Silio diſcimus:

Maruccina ſimul Frentanis æmula pubes,
Corſini Populos MAGNUMQUE TEATE trahebat.

Et

Et alibi:

- - - - - - - - Nobile nomen
Maruccinà domus CLARUMQUE TEATE trahebat.

Ita & Regionem Olearum feracem Plinius innuit, dum *Neronis anno ſupremo in agro Maruccino Olivetum univerſum viam publicam transgreſſum MEMORAT, arvis inde è contrario in locum Oliveti profectis.* Cùm igitur Olea Minervæ Deæ bellicæ ſacrata ſit, & Maruccini re bellicâ præſtiterint, facilis eſt interpretatio, cur Caput hujus Deæ Galeatum Numiſmatibus ſuis impreſſerint Teatini? Scilicet ut teſtatum facerent, ejus cultu ſe bellicam ſibi laudem circumpoſuiſſe, nomenque ſuum, exiguam licet Gentem eò claritatis & magnitudinis produxiſſe, ut facilè cum Vicinis ſuis de fortitudinis fama certare poſſint. Conſuetus Populorum mos fuit, Deorum ſuorum æmulari ſtudia, quod ex omnibus vel una Roma in aprico ponit, quæ, quòd Martem præcipuè coleret, Martialibus Studiis indefeſſo incubuit ardore, & ita Terrarum ſibi quæſivit Imperium.

POſt Maruccinos *Frentani* longo tractu maritimum habitarunt littus. Hos prætergreſſis *Apuli* occurrunt, quorum Urbs inter maximas Italicarum olim connumerata haud adeò procul à mari fuit.

II.

ARGYRIPPA.

ARgyrippam poſt Bellum Trojanum Diomedes condidiſſe fertur, cùm ob Uxoris Ægialeæ adulterium Patriam averſatus, eò loci, deletis Monadorum Dardorumque gentibus, conſideret. Fidem Hiſtoriæ faciunt cùm alia quæ Strabo pluribus recenſet, tum ipſum, quod exponimus, Numiſma; Equum cernimus ſalientem, ad indicandam Urbis Originem. Nihil equidem hîc de Rheſi equis, quos à Diomede captos vulgatum eſt. Patriam Diomedis Argos equis abundaſſe Horatius teſtatur:

Plurimus in Junonis honorem
APTUM, dicit, EQUIS ARGOS.

Hinc & Argos Hippium ſive equeſtre appellatur, quod nomen & Diomeden huic Urbi impoſuiſſe tradunt; Sed id poſt corruptum Agy-

rippa, & tandem Arpi dictum est, & Populi Arpani, quæ vox & in nostro Numismate habetur ; Huc facere potest & equus albus, quem inter alios honores à Venetis Diomedi immolatum STRABO prodit.

De Bove Cornupeta, cùm Diomedes Rex Ætoliæ fuerit, conjectura sedit, Eum ad Pylenen Ætoliæ oppidum referendum esse, cujus incolas Poëta quidam *torvos* vocat, quod Tauris tribuit VIRGILIUS. Certè Inscriptio huic conjecturæ suffragari videbatur; Quanquam & Cereris sub ea latitare cognomen aliquando arbitratus sum, quam πυλαγόρην dictam ferunt, quòd Pylagoræ sive Legati ad Amphictyones prius ἐν πύλαις huic Deæ sacrificabant. Tandem ipsum Arpanum quendam Pylagoram hoc nomine indigitari mihi persuasum fuit, Taurumque Cornupetam Sacrificium illud fuisse, quod Cereri facere solenne erat. Hanc ut Explicationem præferam, facit aversæ Inscriptio, quæ non Αρπάνων, ut in aliis, sed Αρπάνου numero singulari legitur, cui si aversam jungas, concinnè Arpani cujusdam Pylagoræ nummum esse judicabis.

IApygium prætervecti in intimo ferè Sinûs Tarentini angulo Celeberrima occurrit totius Messapiæ Urbs

III.

TARENTUM.

PLeraque Tarentinorum Numismata Delphino insidentem exhibent Juvenem. Is Taras quibusdam creditur, Neptuni Filius, primus Tarenti

renti Conditor, à quo & nomen hanc Urbem traxiſſe, opinio fuit; Quanquam alii à Sabina voce Tereno, quæ molle ſignificet, dictam putaverint, quòd ſcilicet ibi nuces & lanæ molliſſimæ provenirent ; Quam tamen ſententiam PHILIPPUS CLUVERIUS rectè repudiat, ex MACROBIO non bene intellecto ortam. Sed nec ſatis ſcio, an MACROBIO in omnibus fides ſit habenda ? Præſertim cùm HORATIUM, quando *Tarentum molle* appellat; ad nuces & lanas reſpexiſſe credit, quaſi verò non ad luxum & effœminatos Tarentinorum Viros hæc pertineant. Certé HORATIUS ſe ipſum explicat, quando alio loco *Tarentum imbelle* vocat; Et quò pertinent ea, quæ JUVENALIS habet : *Coronatum & petulans madidumq; Tarentum*; & SIDONIUS : *Trepidaverat uncta Tarentus.* Luxum indicant in Numiſmatibus Uva & Crater, præcipua mollitiei vel Symbola vel Inſtrumenta. His quid Tarentinos præfiguraſſe credas, niſi omnium rerum Abundantiam, quâ plurimæ Civitates effœminatæ Vicinis ludibrio fuere ? *Inferioribus temporibus*, inquit STRABO, *luxus invaluit ob res ſecundas, ita ut plures publicas feſtivitates per annum celebrarent Tarentini, quàm Dies annus habet, quam ob rem etiam Status Reipublicæ factus eſt deterior.*

A Tarante Neptuni Filio hanc Urbem exſtructam eſſe & denominatam, tridens paſſim in Nummis expreſſus teſtatur. Niſi ad Neptunum ipſum referas Tutelare Tarentinorum Numen. Alii à Tare Herculis Filio nomen Urbis deſcendere putaverunt. Inde mentio apud VIRGILIUM *Herculei Tarenti.* Heracleam certè ejus Coloniam novimus, imò & ipſum Phalantum Partheniatarum Ducem, Octavum ab Hercule. Hinc lucem mutuatur Clava in Numiſmate, cui tamen & tridens adjectus eſt, procul dubio ob varias opinionum diverſitates, niſi ad navalem Potentiam hunc referas. Figuram Delphino inſidentem, ſi Tarantem Neptuni Filium neges, ad ipſum etiam Phalantum referre licebit, *Eum enim* PAUSANIAS *in ſinu Criſſæo Naufragum Delphino ad littus evectum* tradit; *ideoq; Statuæ ejus, quam Delphis Tarentini juxta Opis Japygum Regis ſignum ſimul cum Tarantis Simulacro ſacrarunt, DELPHINUM appoſitum*; *Signa Onatam & Calynthum elaboraſſe.* Inde interpretationem fortè recipiunt literæ ΚΑΛ. quibus Κάλυνθον artificem indigitari facilè mihi perſuadeo.

Equeſtres Statuas Eas crediderim, quas Decimam de Peucetiis à ſe devictis Delphos Tarentini miſiſſe dicuntur. Sed, quo referemus mulierem Numiſmatis primi & ultimi Equo inſidentem, & in primo Lauream porrigentem ? Fœminam eſſe mamillarum craſſities neminem dubitare ſinit. Rem fortè explicat PAUSANIAS: *Tarentinorum* inquit *Æenei Equi &*

CAPTIVÆ FOEMINÆ dona ſunt, quæ Meſſeniis victis miſerunt. Fœminæ certè Lauream porrigentis habitum Victoriæ ceſſæ confeſſionem, haud forſan abſurdè interpretabimur. Adjectum nomen procul dubio proprium videtur : Quanquam, ſi dividas, te admonere poterit Lycini Lacedæmonii, cui Statuam poſitam PAUSANIAS ait. Eques tertii fortè ad Militare Robur pertinet. PIERIUS VALERIANUS ad Equeſtrem Militiam refert. Inde apud Græcos Tarentini ordines ex Equitibus ejusmodi conſtituti, & Ταραντινίζειν eô militiæ genere ſe exercere. STRABO, *Tarentini,* inquit, *cùm Populærem Reipublicæ adminiſtrationem tenerent, ingentem ſunt adepti Potentiam, nam & Claſſem habuerunt, quantam iis in locis nemo, & Exercitum Peditum triginta Millium, ac tria Millia Equitum, & turmarum equeſtrium Duces Mille.* Caput Fœmineum Veneris eſt. Quis fuerit ille Philocles, qui in tertio nummo extat, obſcurum nobis eſt. Per Literam A. in Secundo fortè Architas intelligi poteſt Tarentinorum Præfectus; Vel Archidamas Lacedæmoniorum Rex, qui Tarentinis contra Lucanos cum Claſſe in auxilium profectus & ab hoſtibus ad internecionem deletus memoratur ; Quidni & Alexander Epiróta, quem Tarentini in ſui contra Lucanos defenſionem exciverunt ? Noctua Minervæ vel Cultum indicat, vel Studia, de quibus jam videbimus.

IV.
ALIUD
TARENTINORUM.

EXimium eſt hoc Numiſma non elegantiâ tantùm, ſed & raritate. Minervam continet & in averſa Bigas Delphinorum aurigante figurâ nudâ, ſubſcriptisque literis N I K. Sub Minerva Deæ cultum intelligimus, quem iis in locis frequentem fuiſſe, Fanum Ejus indicat, quod Dives olim apud Salentinos fuiſſe perhibetur. Forſan & ad Martia ſimul & Apollinea Tarentinorum reſpicias Stùdia; neq; enim Bello tantùm præſtabant, ſed & Eruditione. Pythagoricam memorantur amplexi Philoſophiam & Architæ rerum ſuarum commiſſiſſe ſummam: Non futili argumento, & Doctos

in

in honore habuiſſe, & ipſos Doctrinâ excelluiſſe. Hinc Victoriarum enata eſt Gloria, quarum in averſa Numiſmatis hujus mentio per Literas NIK. Bigæ Delphinorum ad Victoriam quandam Navalem reſpiciunt, quò & aliud in Electorali Cimeliarchio Numiſma, in quo Figura Delphino inſidens Victoriolam præfert. Optimus Divinitatis cultus eſt, quo Divinitatis opera imitamur. Id dum in Minerva fecére Tarentini, Potentiam ſibi circumpoſuerunt & Maritimam & Terreſtrem.

GAleſum relinquimus, Bradanoque ſuperato ingredimur

V.

METAPONTUM.

CAput Barbatum & Galeatum, quod cernitur, an Marti adjudicabimus? An Leucippo? An denique Annibali Pœnorum Duci? Cuicunque tribuas, ubique & Veteres Hiſtoriæ, & Signa Capiti adjecta ſuffragabuntur. Martem hoc habitu & cultu fingi ſolitum, nemo Eruditorum neſcit. Cultus Martis præcipuè viguit apud Thraces, Eos etiam, qui propè Delphos Daulidem habitârunt, & ſub Terei Regno fuére, Martis Filii, de cujus in Philomelam injuria Ovidius & Poëtæ paſſim. Inter alias de Metaponti Origine opiniones & illa fuit, quam Ephorus, teſte

STRABONE recenſet : *Daulium Criſſæ, quæ propè Delphos eſt, Tyrannum Metaponti conditorem* ; Si igitur Martis hoc Caput arbitreris, haud abſurdè ad hanc Metapontinos reſpexiſſe Originem, putabis. Leucippo addicere videtur inſcriptio. Is ad Coloniam condendam ab Achæis miſſus, locum hunc ad Diem Noctemque à Tarentinis precariò obtinuiſſe, nec deinceps repoſcentibus voluiſſe reddere dicitur, reſpondiſſeque interdiu, ad inſequentem etiam ſe petiiſſe noctem ; Nocte, ad inſequentem diem ſe obtinuiſſe.

Ad Hannibalem, quem & ipſum hâc facie fuiſſe, ex aliis monumentis conſtat, Metapontinos defeciſſe, ejusque præſidio contra Romanos olim ſecuros ſtetiſſe, traductâque Herdoniæ multitudine auctos, pluribus à LIVIO docetur. Huc videtur facere vocabulum AMI ; Id ſive ANNIBALEM, ſive AMICUM interpreteris, utrinque Annibali quadrat ; Ita, ut Illud Nomen, Hoc cum Metapontinis fœdus indicet ; Quanquam de Poſteriori, quòd Latinum ſit, fortaſſe dubitari poſſit, niſi eum in finem hoc factum arbitreris, ut & hoſtibus nota res eſſet ; Eadem vox in averſa primi Numiſmatis ſub clava occurrit, & lucem fortè mutuatur ex illo HORATII :

- - - - - *Dives amico*
Hercule.

Averſas inſpicimus. In omnibus ferè Spicæ apparent ; In adverſa tertii etiam Cereris Caput Coronâ Spiceâ cinctum, & in quinto incuſum Caput Bovis. Ad Terræ fœcunditatem hæc pertinere palam eſt ; De ea STRABO teſtatur : *Metapontum conditum ajunt à Pyliis, hosq; tanto ſucceſſu Terram coluiſſe, ut AUREAM MESSEM DELPHIS DEDICAVERINT.* Fulmen & avicula, quæ ſunt in ſecundo & ultimo, in memoriam revocant ampliſſima Metapontinorum, quæ Jovi Olympico miſerunt, donaria, quibus & Jovis ipſius Simulacrum interfuit, altera manu *fulmen*, altera *avem* præ ſe ferentis. Caput Palladis cultum ejus apud Metapontinos indicat & celebre Deæ Templum, in quo ferramenta oſtendebant, quibus Epeus Equum Trojanum fabricaverat. In eodem etiam modicas juvenum in Expugnatione Siris inter altaria & amplexum Deæ à ſe cæſorum, ex Lapide poſuiſſe Statuas, ipſamque Minervam panificiis placaſſe JUSTINO memorantur.

ALIUD

VI.

ALIUD

METAPONTINORUM.

FAcies hîc Junonis viſitur, an ſoſpitæ ? An Ammoniæ ? Soſpita in diverſis Romanorum Numiſmatibus occurrit. Ammonia in Pyliorum Nummis apud Golzium : Utraque Cornibus ornata, Illa tamen & Pelle. Hæc cùm & in noſtro appareat, forſitan eandem putabis ; Quanquam Ammoniæ ſubſcribat Hiſtoria. *A Pyliis, qui cum Neſtore ab Ilio navigârunt, conditam, ab exequiis Neleidum probare conatos veteres,* Strabo teſtatur. Neſtor autem trium Pylorum vulgò Dominus fuiſſe creditur, quarum ultima Eliaca fuit. Eleos Junoni Ammoniæ ſacra feciſſe, imò Aram dedicaſſe, diſcimus ex Pausania in Eliacis : *Neq; illi,* inquit, *Græcorum tantùm Diis libant, verùm etiam ex omni Lybicorum Deorum numero AMMONIAM JUNONEM & Parammonem (Mercurii id cognomen eſt) venerantur. Satis enim conſtat, uſos olim Græcos Lybico Oraculo; Nam Aræ adhuc in Ammonis extant ab Eleis dedicatæ, & in illis, de quo conſuluerint, & quid reſponſi acceperint, & quid ab Elide publicè miſſi fuerint, inciſis Literis teſtatum eſt.*

VII.

THURIUM.

THurinos viſitamus, qui & ipſi Originem ſuam Palladis Effigie ſacrârunt. Eam Athenarum Præſidem quis ignorat ? Oleæ inventricem

quis

quis neſcit? Athenienſes Thurii Conditores fuére; Cùm enim Sybaritæ ſedibus ſuis ejecti ad Græcos confugiſſent, Spartanis auxilia negantibus, Athenienſes Lampone & Xenocrito Claſſem dedére, reliquosque per Peloponneſum ad Coloniam deducendam inflammárunt. Profecti igitur, Oraculi monitu ſedibus poſitis Urbem à fonte Thurium nominarunt, eamque obtruncatis antiquis incolis ſibi propriam fecerunt.

Taurus Cornupeta an fertilitatem agri? An vero continua cum vicinis bella? An denique ipſius appellationis rationem indicare credi debeat? anceps hæreo. De fœcunditate Terræ teſtatur Diodorus. Ea tanta fuit, ut Sybaritæ, qui ante ea colebant loca, ſufficienter luxum, quo toto Orbe diffamati ſunt, inde ſuſtentarent, & ſimul in exitium præcipitarentur. Bella Thurini non inteſtina tantùm, ſed & cum externis hoſtibus, præſertim Lucanis & Bruttiis geſſerunt. Ad appellationem illa facere videntur, quæ Strabo Lib. 6. ὑπὲρ δὲ τῶν Θουρίων καὶ ἡ Ταυριανὴ Χώρα λεγομένη ἵδρυται. Supra Thurios eſt etiam ſita Regio, quæ Tauriana vocatur. Quanquam enim Cluverius hîc loci Thuriana legendum exiſtimet, ſuamq; opinionem ex diverſis Scriptoribus demonſtret; Neſcio tamen, an non & ipſe Fons Thuria, è quo Urbem denominatam diximus, olim Tauria, & tractu Temporis, per levem mutationem T. in Θ, quæ Græcis haud inſueta eſt, Θουρία dicta ſit. Sed de his ſuum cuique placeat. Piſcis infra Taurum Urbis ſitum indicat, inter duos fluvios Crathim ſcilicet & Sybarim.

VIII.

CROTON.

CRotonem Achæorum juxta Æſarum Coloniam Myſcellus condidit. Numiſma primum exhibet Caput, quod Herculis eſſe Leoninæ pellis ornatus

ornatus & Hiſtoria perſuadent; Hercules enim ex Sicilia in Italiam redux, hoſpitem ſuum Crotonem per imprudentiam cæſum ſplendido monumento ornaſſe, ibique defuncti nomine Oppidum aliquando futurum incolis prædixiſſe, Diodoro memoratur. Ovidius, quamvis nullâ nec Nominis nec Cædis facta mentione, tamen Herculem non tantùm Urbem futuram promiſſiſſe canit, ſed & Myſcello, ut *lapidoſas Æſaris undas* peteret, per ſomnium juſſiſſe tergiverſantemque minis adegiſſe, tandemque Patriæ deſertæ damnatum, verſo in album nigro lapillorum colore, Eum liberaſſe. Poterit fortaſſis hoc Caput etiam Milonis eſſe, qui in bello contra Sybaritas, Herculis ritu præter Clavam, Leoninam etiam pellem geſtaſſe dicitur.

Averſa nummi Facies Tripodem exhibet, quem potiſſimùm ad Urbis Originem, vel etiam ad cultum Apollinis pertinere exiſtimo. Coelius Rhodiginus Author eſt, Myſcello ex adytis, redditam ſortem, eum conditurum Urbem, ubi in ſerenitate vidiſſet pluviam, quod cùm fieri poſſe diffideret, Italiam ingreſſo Pellicem aſſediſſe flentem, quâ conſpicatâ finem id Oraculi arbitratum Crotonem condidiſſe; Strabo ait, ſpeculandi cauſâ Eum Italiam ingreſſum, captumque Sybaritanæ Regionis amœnitate Delphos rediiſſe, & Oraculum interrogaſſe, concederetne Sybarim loco Crotonis condere? Sed ad condendam Crotonem hoc reſponſo remiſſum eſſe:

Gibboſe, incaſſum Myſcelle aliena requiris,
Vanaq; venaris, quæ dantur, dona probato.

Ex his abundè conſtat, hanc Urbem Apolline Authore conditam, ad quem florente etiam Republicâ, ubicunque neceſſitas ingrueret, Crotoniatæ decurrerunt: Semel, cùm ob irritatam Dianam peſte & ſeditionibus vexarentur: Deinde cùm adverſus Locros tenderent. De Utroque videatur Justinus. Tripos Apollinis machina erat hiatui Terræ, unde fatidicus Spiritus proveniebat, ſuperſtructa, quam conſcendens citra noxam Pythia divino afflatu replebatur, conſulentibusque Vaticinia dabat; Habuit autem tres baſes, unde ei Tripodi nomen impoſitum, uti jam ex Diodoro notavimus. Adjectæ Tripodi Literæ ΠΥ Pythium forſan Apollinem & in Secundo Δ Delphicum Tripodem deſignant.

Aquila, altera ſedens, volans altera, unguibus Lauri Ramum geſtantes Victoriam quandam deſignant, fortè eam, quam contra Sybaritas obtinuerunt. Conjecturam fovet expreſſum juxta Tripodem, in tertio nummo, frumenti granum fertilitatis ſignum; cùm enim conſtet, Croto-

nem ſanitate magis, quàm fertilitate excelluiſſe, Sybarim autem Crotonem fertilitate in tantum ſuperaſſe, ut & Myſcellus eam prætulerit, vix eſt, ut Crotoniatæ fertilitatem ſuæ Regionis laudare potuerint, niſi Sybaritarum ditionem devictam Imperio tenuiſſent. Cæterùm notamus hîc Figuram Literæ K. quæ tali modo ϘϘ & hîc & in Syracuſanorum Nummis viſitur.

PRogredientibus occurrit

IX.

PETILIA.

PRimaria Lucanorum Urbs fuit *Petilia*. Hanc ἀπὸ τῦ πέτεσθαι ἀ *volando*, denominatam arbitrantur, quòd ex volatu Avium ſumto augurio locum futuræ urbi delegerint Conditores. Straboni non πελιλία ſed πελήλια dicitur, ut & in noſtro Numiſmate; Latini tamen jota conſtanter retinent. A Philoctete conditam, cùm ſeditione pulſus ex Melibœa fugeret; naturâque loci munitam, ſatisque frequentem hominibus, idem Strabo aſſerit; Quanquam Virgilius Parvam apellet:

Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro,

Id quod Commentator quidam ad rationem nominis detorquet, cùm *Petilus* apud Antiquos fuerit *parvus*, unde & Gallicum *petit* deſcenderit. De hoc equidem haud multum laboramus.

Numiſma noſtrum Jovem habet, in adverſa Laureatum, in averſa fulmen jaculantem, de quô licet nihil hactenus apud Authores invenerim, nullus tamen dubito, quin ad illius cultum pertineat; Et quid, ſi tempore Belli Jovis auxilio ſe hoſtes ſtraturos ſibi polliciti credantur? Samnites Caſtellis aliquando ſe contra eos tutatos eſſe Strabo teſtatur, & Bello Hannibalico tanta eorum erga Romanos fides fuit, ut antequam ſe dederent,

rent, Coria & Arborum Cortices comederint, teſte ATHENÆO; Cùm igitur non à Carthaginenſibus tantùm, ſed & Vicinis ſuis obſeſſi, & à Romanis auxilia petentes, repulſam paſſi, obſidionem nihilominùs tolerare decreverint, in quo præſidii Spem eos poſuiſſe putabimus, niſi in Jove omnium Deorum, quem credebant, potentiſſimo? Sic *ubi Vires Humanæ deficiunt, Divinas exorare homini conſuetum eſt.* Sed Petilini nullo fiduciæ ſuæ percepto fructu, Fame tandem ad deditionem adducti ſunt; A Conſule tamen vi poſtea recepti, ſub Romano Imperio conſenuerunt.

X.

LOCRORUM.

LOcri Epizephyrii Locrorum, qui ad Sinum Criſſæum habitabant, ab Evanthe, brevi poſt Crotonam conditam, deducta Colonia poſt tres quatuorve annos in Zephyrio exactis, translatâ ſede Eſopin coluerunt, diuque ſalubritate legum ſuarum, quas Zaleucus ex Cretenſium, Locrorum & Areopagitarum, expreſſis inſuper delictorum pœnis, compoſuerat, felices, permanſère, donec Dionyſius Tyrannicâ Libidine eos vexaret.

Numiſma noſtrum Victoriam contra Crotoniatas obtentam ob oculos ponit. Cernimus in eo Caſtoris & Pollucis capita, Iovemque in averſa ſedentem ἀεθοφόρον, cum Cornucopiæ à tergo. Rem clarè deſcribit JUSTINUS: *Indignantes,* (Crotoniatæ) *in oppugnatione Siris auxilium contra ſe à Locrenſius latum, Bellum his intulerunt; Quo metu territi Locrenſes ad Spartanos decurrunt: Auxilium ſupplices deprecantur. Illi longinquâ militiâ gravati auxilium à CASTORE ET POLLVCE petere Eos jubent; Neq; Legati reſponſum Sociæ Vrbis ſpreverunt, Profectiq; in proximum Templum, facto Sacrificio, auxilium Deorum implorant. Litatis hoſtiis, obtentoq;, ut rebantur, quod petebant, haud ſecus læti, quàm ſi Deos ipſos ſecum avecturi eſſent, Pulvinaria Iis in navi componunt, fauſtiſq; profecti Ominibus ſolatia Suis, pro auxiliis deportant. His cognitis Crotonienſes & ipſi Legatos ad Oraculum Delphos mittunt, Victoriæ facultatem*

tem belliq; proſperos eventus deprecantes. Reſponſum, priùs votis hoſtes, quàm armis vincendos. Cùm voviſſent Apollini Decimas prædæ, Locrenſes & voto hoſtium & reſponſo DEI cognito, Nonas voverunt, tacitamq; eam rem habuere, ne votis vincerentur; Itaq; cùm in aciem proceſſiſſent, & Crotonienſes Centum & Viginti Millia armatorum conſtitiſſent, Locrenſes paucitatem ſuam circumſpicientes, (nam ſola Quindecim Millia militum habebant) omiſſâ Spe Victoriæ in deſtinatam mortem conſpirant, tantusq; ardor ex conſpiratione ſingulos cepit, ut victores ſe putarent ſi non inulti morerentur; ſed dum mori honeſtè quærunt, feliciter vicerunt, nec alia cauſa Victoriæ fuit, quàm quòd deſperaverant. Pugnantibus Locris AQUILA AB ACIE NUNQUAM RECESSIT, EOSQUE TAMDIU CIRCUMVOLAVIT, QUOAD VINCERENT. In Cornibus quoq; DVO IUVENES diverſo à cæteris armorum habitu, eximiâ magnitudine, & albis equis & coccineis Paludamentis, pugnare viſi ſunt, nec ultra apparuerunt, quàm pugnatum eſt.

Hæc cum ita ſe habeant, facilè apparet, hoc Numiſmate Locros & à Jove Aquilam in certam Victoriæ Spem ſibi miſſam, indeque omnium rerum abundantiam Civitati ſuæ & conſervatam & auctam confiteri, gratiasque Diis immortalibus reddere pro navata in prælio contra potentiſſimos hoſtes operâ.

IN extremum Italiæ deſcendimus Apicem cui prætexitur

XI.

RHEGIUM.

RHegium à Terra, in qua condita eſt, Terram autem ἀπὸ τῆ῀ ῥήγνυσθαι dictam volunt, quòd eâ parte Italiæ quondam adhærens Sicilia Maris impetu

impetu abrupta ſit. Hinc illa VIRGILII:

Hæc loca vi quondam & vaſtâ convulſa ruinâ
(Tantum Ævi longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt, cùm protinus utraq́ tellus
Una foret, venit medio vi Pontus & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit, arvaq́ & Vrbes
Littore diductas anguſto interluit æſtu.

Alii Rhegium quaſi Regiam Urbem ob ſplendorem ejus nominatam crediderunt. In Nummis & Originem & Fortunam expreſſas obſervamus. Caput Bifrons, quod in primo habetur, ex duabus Gentibus Civitatem coaluiſſe oſtendit, ex Chalcidenſibus & Meſſeniis. Apollo deducendæ Coloniæ Author fuit. Dianam Apollo Meſſeniis colendam præcepit. De omnibus audiamus egregium STRABONIS locum, qui Xylandro ita vertitur: *Rhegium à CHALCIDENSIBUS conditum eſt, qui cum ex decimatione APOLLINI propter ſterilitatem eſſent conſecrati, eò deinde à Delphis commigraſſe feruntur, domo ſibi etiam aliis adſcitis.* ANTIOCHUS *ſcribit Chalcidenſes à Zanclæis evocatos, Principemq́ Coloniæ Antimneſtum iis conſtitutum fuiſſe. In hujus Coloniæ ſocietatem venerunt etiam EXSULES MESSENII PELOPONNESII, qui ejecti erant factione ſuorum, recuſantium pœnas dare Spartanis ob violatas in Limnis Virgines: Quas Meſſenii miſſas ad rem ſacram per vim ſtupraverant, trucidatis etiam, qui eas defendere volebant. Exſules ergò cùm Maciſtum receſſiſſent, miſerunt Delphos, expoſtulatum cum Apolline & Diana, quòd eâ ipſos fortunâ uti ſinerent, vindicare injuriam Diis iſtis factam volentes: Simulq́ quæſitum, ecquam rebus perditis ſalutem invenirent? Juſſit eos Apollo ſocios ſe adjungere Chalcidenſibus Rhegium migrantibus, SUÆQUE SORORI gratias agere; Non enim periiſſe ipſos, ſed exitium evitaſſe, alioquin unà cum Patria perituros, quam paulò poſt Spartani eſſent exciſuri. Paruerunt Oraculo Meſſenii, ideoq́ Reginorum Duces uſq́ ad Anaxilaum ſemper de genere Meſſenio fuerunt delecti.*

Ad eandem à Meſſeniis Rheginorum Originem reſpicit Iuppiter in averſa Nummi primi. Jovem enim Ithomatam, ſic dictum, quòd Ejus Templum in Ithomes vertice fuerit, Meſſenios coluiſſe, imò & Ejus incunabula ſibi vendicaſſe PAUSANIAS Author eſt: *Aſcendentibus*, inquit, *ad Ithomes jugum, ubi eſt Meſſeniorum arx, fons, cui clepſydra nomen, manat. Longum eſſet & difficile, ut maximè propoſitum id quis haberet, Po-*

pulos enumerare, , qui Iovem apud ſe natum & educatum affirmant. Nam & MESSENII JOVIS INCUNABULA SIBI VINDICANT, Ejuſq; Nutrices nominant Nedam à qua fluvius, & Ithomen à qua Mons nomen acceperit. De Leonis rictu nondum habeo quod dicam, niſi Potentiam Rheginorum hoc Symbolo indigitatam credere velis; Et neſcio annon ex Rugientis habitu etiam ad ſitum Rhegini hoc nummo reſpexerint; In extremo enim Siciliam verſus Italiæ apice hoſtibus objecta, quo Symbolo melius potentiam ſuam præfigurare potuere, quàm Leonis ad omnes impetus imperterritâ fronte retundendos parati. Ad rem faciunt, quæ STRABO tradit: *Maxima*, inquit, *ſemper fuit Civitatis Rheginæ potentia, & permulta ſub ſe habuit Oppida PROPUGNACULUMQVE SEMPER SICILIÆ OPPOSITUM, cùm antiquitùs, tum nuper noſtrâ ætate, cùm Sextus Pompejus Siciliam ad defectionem pertraxit.*

XII.

BRUTTIORUM.

LUſtratis quibusdam in agro Bruttiorum Urbibus, totius hîc Gentis contemplamur Numiſmata. Pleraque decantatam Bruttiorum

tiorum deſignant Fortitudinem, variaque contra Vicinos & externos Hoſtes Prælia & Victorias Diis adjuvantibus obtentas. Eô pertinent Capita Martis Galeata, eò Bellona, eò Iuppiter Fulgurator & Aquila. De Militari Audacia & felicitate audi JUSTINUM: *Bruttii & fortiſſimi tum & opulentiſsimi Agathocli videbantur, ſimul & ad injurias vicinorum prompti, nam multas Civitates Græci Nominis Italiâ expulerant, Authores quòq; ſuos Lucanos bello vicerant, & Pacem cum his æquis conditionibus fecerant. Tanta feritas animorum erat, ut nec Origini ſuæ parcerent.* Et paulò poſt: *Primum illis cùm Lucanis Originis ſuæ Authoribus bellum fuit, quâ victoriâ erecti, cùm Pacem æquo jure feciſſent, cæteros finitimos armis ſubegerunt, tantasq; opes brevi conſecuti ſunt, ut pernicioſi etiam Regibus haberentur, deniq; Alexander Rex Epiri, cùm in auxilium Græcarum Civitatum magno Exercitu in Italiam veniſſet, cum omnibus copiis ab his deletus eſt.*

Huc pertinet & Victoria Trophæum coronans, & cornucopiæ; Scilicet omnium rerum abundantiam ſibi obveniſſe his numiſmatibus oſtendunt, non minùs ex Victoriis, quàm ex Terræ Patriæ genio, in divitem Vini, Olei, Frugumque proventum exæſtuante; Neque enim cœco belli genere credideris uſos: Serpente & Paguro, qui capiti Dianæ appoſiti cernuntur, Prudentiam jactant. De Serpente res aperta eſt. Pagurus, quòd Vere, cùm criſtam exuit & aculeis armiſq; ſuis ſe ſpoliatum ſentit, lateat, viribusque ſuis diffiſus, nullos aggrediatur, donec novam teſtam, eamque jam induratam recuperârit, Prudentiæ Symbolum eſt; Dianæ autem ſacer putatur, quòd præcipuè vim Lunæ ſentiat, Eâque creſcente ſucculentior fiat & melior. Utrumque obſervat Goltzius ad nummos Cumanorum. Dianam ad cultum referimus. Templum ejus in Bruttiis non procul à Rhegio fuiſſe, ex Thucydide conſtat: *Ventum eſt Rhegium Italiæ Promontorium; ubi contractis jam copiis extra Urbem, quoniam intra muros non recipiebantur, caſtra communiverunt, AD DIANÆ DELUBRUM; Ubi forum venalium eis præbitum eſt: Subductisq; navibus otium tenuére & ad Rheginos verba fecrere.*

ALIUD

XIII.

ALIVD BRUTTIORUM.

IN ſuperioribus de Jove, Marte & Diana; In his Pallas eſt, eſt Juno Regina & Neptunus. Iunonem Reginam à Bruttiis multâ Religione & ſilentio cultam Golzius obſervat. Poterit etiam ad Imperii & Potentiæ magnitudinem reſpicere, quam fortibus armis ſibi Bruttios paraſſe, ex ſupra allatis palàm eſt; Juno enim & Juppiter Majeſtatis Symbola, & Aquilam avem eſſe Regiam, in vulgus notum eſt; De Junone etiam teſtatur, quod à tergo cernitur, Sceptrum. Vaſculum appoſitum eandem cum Cornucopiæ & ſpicis ſortitur interpretationem; Annonæ enim deſignat abundantiam, agrique fertilitatem, quem in Bruttiis Vini, Olei, Frugis proventu luxuriaſſe jam diximus. Neptunus qui in adverſa otioſus cum Paguro cernitur, procul dubio ad cuſtodias pertinet, quas ad utrumque Mare, Jonium & Tyrvhenum, diſpoſuerint Bruttii: Scilicet ut inde ſibi quietem creari indicarent, ſi littora Marium probè obſervaverint; Et ita ſimul limites eorum nobis apparent, quos Phil. Cluverius ex Strabone Laum & Sybarim ab Italia definiviſſe, cætera mari circumdata probat.

XIIII.

VELIA

POrtus intramus Velinos, Urbemque Veliam, quam Alii Heliam, Eleam & Helam appellant, cùm ante Hyela vocaretur, Incolæ Velienſes & Hyeletes quæ vox & in noſtris nummis retenta, antiquitatem eorum

eorum arguit; A Phocensibus Joniæ oriundos esse, non minùs ac Massilienses, Authorum consensus docet; Et cùm Phocenses Joniæ à Phocensibus Græciæ descenderint, communem hanc Originem utraque Civitas Leonis, qui ferè in omnibus eorum nummis occurrit, signo æternitati sacrâsse credenda est; Phocenses certè, qui Elatean colebant, Leonis Symbolo usos, vel inde constat, quòd, attestante Pausania, Cassandri obsidione liberati Apollini Delphico Leonem æneum miserint.

Minervam Golzius ad cultum refert; Sed proximiorem Gentis Originem simul nobis ob oculos per eam poni, idem Pausanias persuadet, quando *vetustissimum apud Phocenses hujus Deæ Templum ab Harpago exustum narrat* in Corinthiacis. Harpagi scilicet Phocenses fugiebant Crudelitatem, cùm in Jtaliam, Hyelam & Massiliam condituri, abirent, ut Strabo aliique testantur. Non meliore Simulacro suam fortunam Posteritati commendare potuêre, quàm Deæ, cujus cultum & in Patria antiquissimum servârunt, & bello impeditum novas tamen in suas sedes transtulerunt. Coloniæ condendæ Authorem Philistonem, aut certè strenuum aliquem & laudatum Velienſium Ducem, per literas nominis initiales ΦΙ indicari, quibusdam persuasum fuisse, idem Golzius tradit.

Delphinus, qui ut & alia plura in quibusdam Gazæ Palatinæ Nummis super Leonem occurrit, vel Situm Urbis indicat, vel mare eam plurimùm exercuisse. Hujus asserti Strabo Author est; Quanquam quòd sterilitatem in causa fuisse dicit, contrariari videtur & Spicæ & Uvæ fertilitatis Symbolis, quæ in propositis visuntur, nisi annonam aliunde ab aliquo vel Magistratuum vel Civium advectam his signis occasionem dedisse arbitreris. Forsan & Gentis fortitudo sub Minerva & Leone hoc adumbrabitur: Lucanis restiterunt, & victoriam contra Posidoniates reportârunt, quamvis & agri amplitudine, & numero Hominum longè iis inferiores.

Ltus legentibus aperitur

XV.

POSIDONIA.

Appellationem ad Ποσειδῶνα sive Neptunum referri ex Numismatibus observat Golzius, in quibus & ipse Neptunus & sacrata Neptuno

Animalia Taurus viſuntur & Equus. Taurus etiam in noſtro Numismate eſt, raro ſignatus malleo, id quod facilius eſt videre, quàm dicere. A Doricnſibus conditam hanc Urbem, Solinus Author eſt; Sybaritarum tamen opus Strabo facit. Alii Tarentinorum Coloniam aſſerunt, quod Neptunus in Numiſmatibus confirmare poteſt, quem Tarentinis tutelarem fuiſſe, ſuperius demonſtravimus.

POſt *BIFERI VICTURA ROSARIA PÆSTI* Picentinos prætervecti Campaniam ſubimus. Hîc in mediterranea declinantibus, in latâ planicie, crebris in orbem turribus cingitur

XVI.

NOLA.

NOlam Chalcidenſium Coloniam, qualis & Cuma & Neapolis, teſtantur & Authores, & Typus Numiſmatis noſtri cum Neapolitanis, præter inſcriptionem, idem. Caput illud fœmineum Dianæ eſſe, appoſita in aliis Pharetra indicat & inſcriptio, quam in Golzio adjectam videmus, qui, quòd Theſeus in Cretam ad Minotaurum abducendum profecturus Απόλλωνι ἁλίῳ καὶ Αρτέμιδι ἁλίᾳ pro ſalute atque reditu ſuo vota feciſſe, Pherecydi apud Macrobium memoratur, Chalcidenſes autem Athenienſium Coloni fuerunt, ad hanc ſuam Originem Neapolitanos hoc Dianæ Capite & Minotauro reſpexiſſe putat. Adſtipulantur in ſecundo, quem in ſequentibus damus, Neapolitanorum nummo adſcriptæ ſub Minotauro initiales Theſei literæ. Hanc rationem & in Nolanorum Numismate locum habere, nemo non videt. Quod autem Victoria Minotauro ſertum imponat, id in Neapolitanorum Numismatibus ad Gymnicum & Muſicum Certamen quinquennale refertur, quod magnâ Græcarum Urbium frequentiâ & conventu celeberrimo, ſingulo quoque luſtro, ad Oraculi mandatum celebrârunt. Quid ſi & Nolanum quendam Neapoli Victoriam obtinuiſſe credas ?

Relicta

RElictâ Nolâ ad litus regredimur, ipſos

XVII.

NEAPOLITANORUM

INſpecturi nummos. De Diana & Minotauro jam dictum: Unum reſtat monendum: Minotaurum ſcilicet longè aliter in Nummis proponi, quàm ab Hiſtoricis deſcribitur. Diodorus Siculus, qui ob Hiſtoriæ veritatem nec immeritò laudatur, *membra corporis ejus ſuperiora ad humerum usque Tauri, cætera Hominis fuiſſe*, ait: Μινώταυρον δέ φασι διφυῆ γεγονέναι, καὶ τὰ μὲν ἀνώτερα μέρη τῶ σώματος ἄχρι τῶν ὤμων ἔχειν ταύρε, τὰ δὲ λοιπὰ ἀνθρώπε. Eodem modo & Hyginus ait: *Paſiphae Minotaurum peperit capite bubulo, parte inferiore humanâ* Fab. 40. Et Apollodorus: (Ἡ δὲ (πασιφάη) Ἀστερίον ἐγέννησε, τὸν κληθέντα Μινώταυρον, ὅτος εἶχε ταύρε πρόσωπον, τὰ δὲ λοιπὰ ἀνδρὸς. *Paſiphae Aſterium cognomento Minotaurum peperit, qui vultum Tauri, cætera Viri habuit.* His contradicunt Antiquorum nummi, ubi versâ planè figurâ, vultu virili Minotaurus, cætera bos cernitur. Quòd ſi ſuperiores parùm ad fidem faciendam efficaces videantur, adde ſi placet, Gelenſium in Sicilia, Calenorum, Sueſanorum, aliorumque in Italia, & quoscunq; jam Golzius expoſuit. Poëtæ cautiùs appellârunt

Semibovemque virum, ſemivirumque bovem.

XVIII.

EORUNDEM.

APollinem in his Numiſmatibus Laureatum exhibemus. Alii Hebonem

nem arbitrantur Neapolitanorum Deum, quem pro Baccho coluêre. Bacchum & Apollinem Græcos confudiſſe, ex Diodoro docemur, teſtimonio Eumolpi, qui in Carminibus Bacchicis

Ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀκλίνεσσι πυρωτόν
Sidereum Dionyſum igni radiante coruſcum

vocat. Inde conſtat, Eundem Neapolitanis Hebonem dictum, qui aliis Gentibus dicebatur & Apollo & Bacchus. Opinionem firmant ſacrata Apollini inſtrumenta Cithara, Cortina & Tripos. De Baccho teſtantur Literæ Δι. ſub Minotauro Dionyſii initiales. De Minotauro & Piſce audivimus, audivimus & de Ludis Gymnicis & Muſicis, qui poſteriores, quin per Citharam & Lauri ramum reliquaque intelligi debeant, dubium non videtur.

Neapolitanorum Metropolis fuerunt

XIX.

CUMÆ.

Cumas Chalcidenſium ex Eubœa & Cumæorum Coloniam, omniumque Sicularum & Italicarum à Græcis deductarum antiquiſſimam Hippocles Cumæus & Megaſthenes Chalcidenſis condiderunt. Hi pacto convenerant, ut ab altero Originem, ab altero Nomen Urbs recognoſceret. Inde factum, ut ab Hippoclis Patria appellaretur, à Chalcidenſibus autem deducta videretur; Quamvis alii ἀπὸ τῶν Κυμάτων à fluctibus denominatam velint. Pausaniæ vocatur Cumæ Opicæ, quòd Opici primò eam Regionem incoluerint.

Numiſma noſtrum in averſa Equum exhibet in Laurea. Infra Equum Teſta apparet cum voce Αμφικτυων. Equus expreſſus videtur in memoriam vel Hippoclis Conditoris, vel Equitatûs Cumani, qui in bello contra Etruſcos, Umbros, Daunios &c. potentiſſima Victoriæ cauſa fuit; Vel Hippomedontis Magiſtri Equitum, quem Virtutis præmium Coronam meruiſſe Optimates cenſuerunt; Fortaſſis etiam ſecuritatis eâ victoriâ partæ

conſide-

conſideratio concurrit : Id ſanè ex liberiore Equi hujus, nullo Seſſore, nullo Ephippio gravati, inceſſu mihi colligere videor ; Sed quid ſibi vult Inſcriptio Amphictyonis ? An hunc Hippoclem vel Hippomedontem Amphictyonem putabimus, ſive Præſidem Ampliſſimi illius Græciæ Concilii ab Amphictyone Hellenis Filio inſtituti ? Cave credas , aliud videtur. Dionysius Halicarnasseus Author eſt, ad imitationem Græcorum, præter Jones in Aſia, etiam Civitates Italiæ, ſuadente Tullio, in commune quoddam Concilium, cujus Caput Roma fuerit, conſenſiſſe, & collatis pecuniis Dianæ Templum in Aventino ædificâſſe , Leges conſcriptas, & Civitates Concilii participes ; in ærea Columna inciſas fuiſſe; Sed nullibi Amphictyones vocatos eſſe reperio. Certum tamen eſt, Græcas Civitates ei plurimas interfuiſſe, & prædicta Columna Græco ſermone in Dianæ Templo dedicata idipſum evincit, & Tullius inter alias, quibus Civitates in ſuam ſententiam pertrahere conatur, rationes & hanc adfert, quòd Græcos Barbaris imperare oporteat. Poterant igitur & Cumani huic Concilio interfuiſſe, & ad imitationem Græciæ, quisquis ille ſit, cujus in honorem hic Nummus ſignatus fuerit, ſe Amphictyonem nominaſſe.

Laurea procul dubio ad Apollinem pertinet , cujus Templum apud Cumanos fuiſſe, ex Pausania diſcimus. Situm ejus oſtendit Virgilius hoc verſu :

Arces quibus altus Apollo
præſidet.

Fortè etiam ad prædictam Cumanorum victoriam referri poterit. Ollam ſeu Teſtam, quæ infrà Equum apparet, Urnulam crediderim illam, quam in prædicto Apollinis Templo aſſervatam, & in ea Sybillæ oſſa condita, dictitaſſe Cumanos , Pausanias memorat. Facies in adverſa Nummi parte muliebris à Golzio Sybillæ Cumanæ tribuitur. Ea Deiphobe Virgilio, Pausaniæ Demo, aliis aliter vocata, Glauci perhibetur Filia &

Phœbi Triviæque Sacerdos.

Antrum immane propè Cumas eam coluiſſe, & inſpirante Delio futura ceciniſſe memorat Virgilius. Quamquam nullam ejus fœminæ prædictionem Cumanos habuiſſe Pausanias teſtetur. Ita etiam, an ea ſit, quæ Sibyllinorum Oraculorum libros ad Tarquinium detuliſſe dicitur , uti quibusdam perſuaſum eſt, Varro in dubium vocat, & magis Erythreæ illud tribuendum exiſtimat, apud quem plura de variis Sibyllarum & Numero & Nominibus Vaticiniisque videri poſſunt.

RUrſus ad Mediterranea deflectimus. Ultra Clanem & Vulturnum fluvios habitabant

XX.

CALENI

CAles memorandum Campaniæ Oppidum, haud procul à Caſilino diſtabat. A Calae Boreæ & Orithyiæ filio extructum dicitur:

Non parvæ Conditor Urbis,
Ut fama eſt, Calais, Boreæ quem rapta per auras
Orithyia vago Geticis nutrivit in antris:

inquit Silius alibi; Et:

Threiciamque Calen veſtras, à nomine nati,
Orithyia, domus.

Numiſmata ex his Poëtæ verbis, ſi non integram, at aliquam tamen mutuantur lucem. Minervam in iis videmus Galeatam. Hanc ad Maternum Calais genus referendam putamus; Mater enim Orithyia Erechthei Athenienſium Regis Filia fuit; Athenas autem Minervæ ſacratas conſtat. Eodem referre poſſemus Gallum; hunc enim Minervæ Operatrici ſacrum fuiſſe, & in ejus Galea ornamenti loco poſitum, Pausanias Author eſt; Fortè etiam ad Apollinem ſpectat, cui itidem ſacer fuit; Hoc ſuadet Sol, ſeu, ut Pier. Valerius interpretatur, Phoſphorus appoſitus, cùm & ipſe Gallus ſolarè animal exiſtimetur. Poterit & ad Pugnacitatem vel Thracum vel Caleni Militis pertinere, de quo Idem Silius:

Nec cedit Studio vicinus ſanguine miles,
Quem genuêre Cales.

Gallum pugnax Animal, ideoque & Marti ſacratum, & in Augurali diſciplina Victoriæ Symbolum fuiſſe conſtat. Id præſertim huc, ubi Gallus cantantis habitu effictus eſt, detorquerem, ſi Hiſtorici alicujus Victoriæ

ctoriæ ſe Teſtes ſiſterent; Cùm autem aliquoties victos, & de iis Romæ Triumphatum legam, nulliusque Victoriæ mentio fiat, vereor iis cum Poëta fortitudinis laudem attribuere, tantum abeſt, ut in Victoriæ Symbolum Gallos effictos credam: Et certè ſi tantæ pugnacitatis fuêre Caleni, cur Sidicinorum viribus adjuti, tamen & quidem haud memorabili prœlio fuſi ſunt? Cur cùm excuſſuri eſſent Romanorum Imperium, timori in tantum ceſſére, ut vel verbis increpati verecundiâ magis, quàm benevolentiâ in Officio perſtiterint? Tantane in Martia Gente honeſtatis cura & verecundia, ut plus in timore, quàm in ferro præſidii ponat? Sed antequam Gallum deſeramus, notandum adhuc pro vinearum incolumitate in Civitate Methona olim mactatum; Quidni & huc reſpexerint Caleni, quorum vinum generoſiſſimum à Poëtis paſſim celebratur? Audi Horatium:

Cæcubum & PRÆLO domitam CALENO
Tu bibis uvam.

Idomenei Clypeum Gallo gallinaceo inſignitum fuiſſe, tradit Pausanias, propterea quòd is à Minoe & Paſiphaë duceret Originem, quæ Solis Filia fuerit, cui Gallus dedicatur, quia ortum ejus præſentit, & cantu indicat mortalibus.

Forſan expreſſus in nummo Minotaurus tale quid & hic ſuadere videbitur; Cùm autem Caleni non ex Creta, ſed ex Thracia, ut dictum, Originem derivent, potiùs eſt ut Minotaurum ad Theſeum Athenienſium Regem, Minotauri Victorem, referamus, & ità & hic maternam Calais Originem intueamur.

Caput Apollinis & Lyram vel ad ejus Cultum, vel ad Orphea Thracium Apollinis Filium reſpicere conjectura eſt, qui & ſacra in Græcia ordinavit, & multa in Humana & Civili Vita utilia invenit; Unde probabile fit, Calenos his ſuis Numiſmatibus ſuam & in Belli & in Pacis artibus præſtantiam propinare voluiſſe, quæ tamen an tantæ fuerint, aliis dijudicandum relinquimus.

XXI.

ROMANORUM.

EX Campania Latium ingreſſi, æternam properamus ad Urbem, quæ tantum olim inter alias Caput extulit,

Quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi.

Primum ejus Numiſma, ut & ſecundum, aliaque Romanorum Græco efficta artificio & Golzius exponit, ſed de Sinceritate eorum vehementer dubitat, quòd Romani ad Servii Tullii tempora rudi ære fuerint uſi, argentum autem quinque ante Bellum Punicum annis demum ſignatum Plinius teſtetur; Unde non improbabilis ei conjectura viſa eſt, non minùs ingeniosè, quàm artificiosè olim ab aliquo antiquitatis peritiore excogitata & procuſa, ut Originem quam Romani à Græcis ducere vel credebantur vel videri volebant, iisdem exprimeret. Sed non opinor, neceſſarium, ea vel ex ordine Numiſmatum movere, vel de eorum ingenuitate dubitare; Quale enim eſt, quod Anno quinto ante Bellum Punicum demum Romani argentum ſignavere? An Artificium Græcum tum exſpiraverat? Imò vel maximè floruiſſe ex ipſis Numiſmatibus oſtendi poteſt. Quid venuſtius Agathoclis & Pyrrhi Numiſmatibus ſuprà allatis? Ante hoc tempus in Italia bellum geſſerunt: Poterunt ergò Romani ante & præter denarios ſuos etiam Græco pecuniam percuſſiſſe malleo, & ita, quod hîc factum videmus, Deorum ſuorum Cultum Gentisq; conſecrâſſe Originem. Id eos feciſſe, ſi non hi Nummi perſuadeant, neſcio quid argumenti valere poſſit; Non enim argenteos tantùm, ſed & æreos Antiquiſſimorum ſanè temporum teſtes habemus, unde Conjectura ſedet, à Servii Tullii tempore jam Græcorum illud

illud artificium etiam in æreis obſervatum, & poſteà in argenteis retentum; neque enim credibile eſt, Romanos inter Græcas Civitates ſolos venuſtatem pecuniæ neglexiſſe. Claudius Chifletius in Libello poſthumo de Nummo antiquo, præſertim Romano, Cap.7. Ubi rem latiùs deducit, *Æqualem* inquit, *Urbi ſignati æris authoritatem ideò exiſtimo, quia duo ſunt in omni Republica Nummorum genera, unum proprium ac peculiare Civitati; Alterum verò Commune exteris etiam populis, cum quibus commercia exercentur; Quæ & PLATO in ſua Republica admittebat, ut ſcilicet peculiare Numiſma quotidiani uſus gratiâ inter Cives comparatum ſit, ex eoque mercenariis opificibus mercedes perſolvantur, quòd apud ipſos quidem in pretio ſit, apud alios autem homines reprobatum; Commune autem illud valeat in Expeditionibus bellicis, & Profectionibus ad externos Homines, ſive Legationis, ſive Commercii aut rei alterius Civitati neceſſariæ gratiâ: cujusmodi poteſt eſſe initio Civitatis Romanæ Numiſma Græcum.* Hæc ità, ſi Plinii aſſertio, quam plurimi ſecuti videntur, locum mereatur. At Varro in Annalibus (teſte Isidoro l.15.&17. & Charisio L.1. Gramm.) ait : *Nummum argenteum conflatum primò à Servio Tullio, quatuor ſcrupulis majorem, quàm Nummum.* Hoc ſi verum, jam conſtat, quid Plinio tribuendum, qui aliâs nec annum rectè notavit.

Herculem, cujus clava in nummo quarto apparet, niſi ſub habitu Herculis Regum quendam tibi imagineris, rectè ad eum retuleris, qui ob Caci cædem in Judicium pertractus, Divinos à Judice, ex Carmentæ Evandri Matris Oraculo, Honores tuliſſe memoratur, quos diu Græcanico Sacrificii ritu à Potitiis & Pinariis adminiſtratos tandem Romulus ſuſcepit, ut latiùs à Livio deductum novimus. Lupam ac duos infantes ad decantatam Romuli & Remi nutritiam pertinere, palàm eſt. Martis Caput Galeatum Iliæ Veſtalis Adulterum prodit, ex quo Conditor Urbis conceptus dicitur. In æreis quibusdam & Pallas viſitur, quod Pallade monente Arcades in Palatino Victoriæ Fanum conſtituerint. Equum autem ad Ludos Neptuno Hippio ſive Equeſtri ſacros, ſive Conſualia referimus, quamquam, quod in ſecundo Nummo habetur, Caput Apollinis Circi Apollinaris nos admonere poſſit in Pratis Flaminiis, ubi poſtea Apollinis ædes ædificatæ ſunt; Ejus meminit Livius. l.3. c.63. His plura addere ſuperſedemus, cùm vaſtiſſima de Romanorum rebus cuivis præſtò ſint volumina.

IN Hetruria haud procul à litore

XXII.

COSÆ

SUnt, Vulſinienſium opus. Numiſma, quod & Golzius exhibet, & Clariſſimus Patinus ſub familia Junia extra ordinem appoſuit, decies ſexies in Electorali Cimeliarchio aureum exſtat. Aquilam cum Sceptro & Laureâ ad Jovem Vicelinum referunt, cujus in Coſano agro Templum fuit. Tres averſæ figuras Triumviros Coloniæ deducendæ quidam exiſtimant; Alii ad profectionem quandam Soricum metu inſtitutam referunt; Sed uti Hi non absque cauſa Rutilio ridentur, ita nec Illis fidem habendam ipſe Nummi Typus evincit, in quo apertè Medius Conſulari habitu, Reliqui cum ſecuribus lictorum more incedunt; unde meritò eorum præferimus ſententiam, qui ad quendam Coſanorum Magiſtratum hæc pertinere, exiſtimant. Opinio ex Livio ſtabiliri poteſt, ubi Romulus ſe auguſtiorem feciſſe dicitur, cùm cœtero habitu, tum maximè Lictoribus duodecim, non tam ab numero avium deſumtis, quàm ab Etruſcis finitimis, qui duodecim Populi, Regi communiter creato ſinguli ſingulos Lictores dare conſueverint; Si enim Lictores dederunt Regi, quidni & ipſi habuiſſe credantur, qui Regis creandi habuêre poteſtatem?

EX Hetruria per mare Liguſticum in Gallicum delatis ſinum occurrit

XXIII.

MASSILIA.

MAſſiliam Maritimam Galliæ Narbonenſis Urbem, Cumarumque Germa-

Germanam à Phocenſibus conditam eſſe, Authorum conſenſus teſtatur. Cauſam profectionis JUSTINUS in exiguitate & macie terræ natalis quærit, quem tamen, Phocenſes Græciæ cum Phocenſibus Joniæ confundere putat VOSSIUS, quòd illorum ſterilis, horum fœcunda extiterit Regio; Alii in Harpagi crudelitate eam ponunt, cujus metu Phocenſes, navibus conſcenſis, novas ſedes quæſierint. Factum hoc eſſe tempore Tarquinii JUSTINUS Author eſt; Ubi Priſcum intelligendum EUSEBIUS putat, cui tamen refragantur alii, qui à Superbo Maſſiliam ædificatam putant, id quod veritati Hiſtoricæ congruere videtur, modò verum ſit, quòd ab Harpago exacti hujus Urbis prima fundamenta jecerint; Eum enim Cyro Regni vindicem fuiſſe, certum eſt, & ex ratione Chronologica diſcimus, Tarquinii Superbi Dominatum ſub Cyro incepiſſe, ſub Dario deſiiſſe. Appellationem hujus Urbis inde enatam putat STEPHANUS, quòd Gubernator Navem appellens Piſcatorem juxta littus oberrantem projecto fune inclamaverit Μᾶσσα ἁλιεῦς, alliga piſcator? Sed à mollitie deductam, FLORUS innuere videtur: fortè ἀπὸ τῆ μάσσειν, vel ob vicinitatem Soni cum voce μαλακία.

Numiſmata ferè omnia ab una parte Dianam exhibentia cultum teſtari, GOLZIUS ait. Idem Hiſtoricorum monumenta confirmant; Phocenſes enim non tantùm Dianæ Epheſiæ Beneficio, ut Oraculum præceperat, itineris Comitem habuiſſe; Sed & in Gratitudinis Teſſeram, conditâ jam Urbe, ejusdem Deæ Fanum in arce exſtruxiſſe, eamq; in reliquis Coloniis compoſitis ad Epheſiorum Imitationem ritibus primo loco colendam præcepiſſe STRABO docet. Quid, quod Romani etiam deſumptum à Maſſilienſibus Dianæ Simulacrum in Aventino dedicaverint? Leonem GOLZIUS ad eum pertinere putat, quem non procul ab Apolline Maſſilienſium dono, æneum Phocenſes Eleatas poſuiſſe, PAUSANIAS meminit.

XXIV.

ALIUD MASSILIENSIUM.

CAput, quod in hoc Numiſmate occurrit, ſi eo modo effictum eſſet, quo apud GOLZIUM viſitur, planè ad Apollinem Delphicum referrem, cujus etiam Fanum in arce Maſſilienſi fuiſſe, ex STRABONE conſtat.

Justinus ait : *Captâ à Gallis Româ Legatos Masſilienſium, qui promiſſa munera Apollini tulerant, à Delphis reverſos eſſe* ; *Et* Pausanias *meminit, in Templo Minervæ Pronææ, primo aditu, ſignum æreum poſuiſſe Masſilienſes* ; Et alibi : *Signum Masſilienſe Apollinis fuiſſe* ait, *ex decimis victoriæ contrà Carthaginenſes obtentæ conflatum.*

Hæc ita, ſi numiſma eo modo effictum eſſet, quo à Golzio publici Juris factum cernimus ; Cùm autem in noſtro nulla planè Apollinis facies, nec laureatum, ſed muliebre caput, contortis in fœmineum morem capillis, appareat, omninò Ariſtarcham eo exhiberi cum Golzio arbitror, *quàm à DIANA Epheſia, per quietem monitam Phocæenſibus navigationis Comitem, & poſteà extructo Masſilienſi DEÆ Templo Sacrorum Antiſtitem, ſummoque in honore habitam fuiſſe*, ex Strabone diſcimus.

Bovem Coloniæ ſignum eſſe Golzius arbitratur, & ſanè ſive Maſſiliam ipſam, ſive Colonias à Maſſilienſibus deductas, Rhoen, Agatham, Taurentium, Olbiam, Antipolin & Nicæam intelligas, utrobique aptiſſimum Schema Dianæ Sacerdoti appoſitum videbis. Eam enim ritus Dianæ Epheſiæ Maſſilienſibus, Hos poſteà Coloniis ſuis tradidiſſe ex Pausania jam dictum eſt.

XXV.

TERTIUM MASSILIENSIUM.

PAlladis Caput galeatum Golzius ad Minervam Pronœam refert, de qua ſuprà. Justinus arcem Maſſilienſium vocat *Arcem Minervæ:* Et memorabilis eſt Hiſtoria de Catamundo Regulo ; Hic enim, cùm Maſſilia & famâ rerum geſtarum, & abundantiâ opum, & virium gloriâ floreret, concurrentis undique, ad delendum Maſſilienſium nomen, multitudinis Dux, in obſidione per quietem, ſpecie torvæ mulieris, quæ ſe Deam dicebat, exterritus, ultrò pacem cum Maſſilienſibus fecit, petitôque ut intrare illi Urbem, & Deos eorum adorare liceret, cùm in arcem Minervæ veniſſet, conſpecto in porticibus Simulacro Deæ, quam per quietem viderat,

derat, repentè exclamavit, illam eſſe, quæ ſe nocte exterruiſſet: Illam, quæ recedere ab obſidione juſſiſſet, gratulatusq; Maſſilienſibus eſt, quòd animadverteret, eos ad curam immortalium Deorum pertinere, torque aureo donatâ Deâ in perpetuum amicitiam cum Maſſilienſibus junxit.

Cùm in aversâ **Aquila** exhibeatur, avis Regia, indubitatum Potentiæ Symbolum, alia adhuc nobis ſedet conjectura. Conſtat Maſſilienſes bellicis artibus excelluiſſe, Carthaginenſes viciſſe, Ligures rejeciſſe, Gallos debellâſſe, ſuperatis Hoſtibus agrum ademiſſe, gloriam & virtutem ſuam celebrem inter finitimos reddidiſſe, Amicitiam Romanorum meruiſſe, & omni auxilio amicos juviſſe. JUSTINUS tradit: *Habuiſſe navalia, & armamentarium. Copiâ navium, armorum ac machinarum, ad navigationes & oppugnationes Urbium inſtructos fuiſſe,* STRABO Author eſt. Sed nec Sapientiæ Studia defuére: Elegantiora ingenia ſe ad dicendum & philoſophandum tanto ardore contulerunt, ut non tantùm Urbs Barbaris loco ludi literarii fuerit, ſed & Nobiliſſimis Romanorum Studioſis pro Athenienſi Peregrinatione Maſſilienſem ſuſcipiendam ſuaſerit. His artibus eò potentiæ pervenére Maſſilienſes, ut permulta in Urbe Spolia diverſo tempore ab Hoſtibus relata viderint, ſolique victricibus Cæſaris armis ſeſe opponere auſi ſint. Quis non videt, hoc Numismate potentiam Maſſilienſium indigitari Minervæ artibus partam, eidemque Deæ acceptam referri? Quid enim aliud Aquila potentiæ Symbolum & Pallas belli & ſapientiæ Præſes?

EX Sinu Gallico per Mare Liguſticum regredimur, Taphroque ſuperato & emenſo mari Tyrrheno

XXVI.

LIPARÆORUM



SUbimus Inſulas. Septem ſunt numero, quarum maxima Lipara reliquis à ſe nomen impoſuit. Numiſmata exhibent ex una parte Caput barbatum

batum & pileo tectum, ex altera inscriptionem & duo vel tria puncta, quibus valor monetæ indigitatur. Caput illud Vulcani esse, non dubitabit, qui Liparæorum naturam ex STRABONE cognoverit. Metalli feraces erant, ignemque spirabant, præsertim ea, quæ Siciliam versus jacet, indeque Vulcani Templum nominata est ; Nisi Liparum Regem, qui ante Æolum in hac Insula regnâsse dicitur, intelligere mavelis, à quo & Insula denominata est. Si de Vulcano interpreteris, poterit huc fabula Poëtarum pertinere, quâ Veneris maritum fingunt ; Utut enim aliæ plerunque ejus explicationes adferri soleant, haud absurdè tamen & de Colonis è Gnido deductis intelligi poterit. Gnidus Veneri sacra erat, Lipara Vulcano; Colonis è Gnido in Liparam concedentibus, quidni Licentia Vatum Venerem fingeret in Vulcani gremium abeuntem ?

SULPHUREOS FUGIMUS VERTICIS IGNES
Velaque Trinacrias Boreâ pellente per undas
Fertilium calidis

XXVII.

THERMARUM

ALlabimur oris. Egregium hîc Numisma, quod & PARUTA exhibet; Primævam non tam Urbis Originem, quàm loci vetustatem celebrat, Urbem post Himeras excisas demum conditam Cicero satis indicat, Verrina 4. *Himerâ*, inquit, *deletâ, quos Cives belli calamitas reliquos fecerat, hi sese Thermis collocârunt, in iisdem agri finibus, neque longè ab antiquo Oppido.* Locus autem ipse jucundis Thermarum, à quibus & nomen accepit, usibus, antiquissimis jam temporibus nobilis erat ; In eo enim & Herculem à Peloro Erycem versùs, Siciliæ litus perambulantem, Nymphis calidos ei aperientibus fontes, lavâsse creditum, DIODORUS Author est. Indubitatum rei testem & Præsens Numisma se sistit, & simul suam inde mutuatur lucem. Quid tres figuras aliud interpreteris, quàm Nymphas illas, quæ Herculi, quem & ipsum in adverso latere leoninâ pelle & Clavâ insignem cernimus, fesso Balnea parâsse memorantur?

Trans-

TRansmiſſo Himera fluvio cognominem videmus

XXVIII.

HIMERÆORUM

URbem, Thermarum Metropolim. Hanc Zanclæi condiderunt. Nomen à flumine,& flumen ἀπὸ τῆ ἱμέρεσθαι, à fovendo traxiſſe, ait Golzius; quanquam Bochartus omnia ferè ad Syros & Phœnices referens ab *Hamar*, quod Syris eſt *incaleſcere*, hoc nominis deducere videatur. Numiſma in adverſa habet *Capræ genus cornutum cum Seſſore*: Infrà *Cicada* viſitur: Averſa Victoriam exhibet palmam dextrâ cum religatâ in ejus vertice laureâ prætendit, Siniſtrâ ſtolam levat. Idem planè habetur apud Parutam & Ill. Spanhemium In Exercitatione tertia, ubi latè probatur: *Ejusmodi cornutas capras ad currendum pernices, validas ad pugnandum,Seſſorumque patientes non tantùm in India & Syria,ſed etiam in Africa fuiſſe.* Hinc patet Africanum quendam Equitatum hoc Symbolo denotari. Quid ſi Theronis temporibus hunc nummum adſcribamus, & in memoriam victoriæ cuſum ſuſpicemur, quâ Pœni Himeras obſidentes à Gelone Theronis genero, cæſo Amilcare, trucidatisque 150000. reliqui capti, & in ſervitutem divenditi ſunt? Pœnos certè, ſive reverà in exercitu ſuo ejusmodi capris equorum loco uterentur, quod ex eo probabile eſt, quod Spanhemius ex Oppiano ait: *Validas ad pugnandum fuiſſe*; Sive impedimenta iis veherentur,ſive in Africa infantium Equitatus iis componerentur, utrobique ſanè non magis proprio & Juxta viliori notâ Pœni potuére depingi; Nec voluiſſe Himerenſes nobiliore typo devictam Gentem dignari, facilè mihi perſuadeo, cùm inſolitâ Victores ſuperbiâ plerunque efferri, & debellatos omni contumelia afficere ſolere, cogito. Secundum hanc interpretationem prima nummi facies Himeram à Pœnis obſeſſam, hoſtilesque Equites in campis eorum debacchantes; Averſa autem

Gelo-

Gelonis victoriam exhibebit ; Conjecturam adverſæ juvat expreſſa ſub Equite Cicada. Hæ enim omnium animalium maximè indigenæ, in Campis degunt, eademque Regione, quâ genitæ ſunt, creduntur & vivere & mori.

POſt Himeras ſubimus Mœnia

XXIX.

PANORMITANORUM

PAnormum à Chaldæis, Damaſcenis & Phœnicibus conditam Ranzanus Lucerinus Epiſcopus fide duarum inſcriptionum docet, atteſtante Fazello, *priore de rebus Siculis* ; A litoris pulchritudine dictam, Diodorus Author eſt. Alii & Situm & Regionis venuſtatem denominationi cauſam dediſſe arbitrantur ; Scilicet quod ὅρμος & hortum & portum deſignet, & utrumque cum terræ natura & dotibus conveniat ; Bochartus miratur, & non immeritò, quomodo Græcum nomen habuerit Urbs, à Phœnicibus condita , cùm Græci multis poſt Phœnices ſeculis in Siciliam venerint? Quæ ratio & Philippum Cluverium permovit, ut derogatâ allegatis inſcriptionibus fide, Græcos hujus Urbis Authores faceret; Sed quod movit dubium Clariſſimus Bochartus, illud & veriſimili conjectura diluit, alio hanc Urbem olim à Phœnicibus nomine Leptin, quod vocabulum ὅρμον ſive Stationem ſignificat, dictam fuiſſe exiſtimans, quòd eâdem ratione & vicinus Urbi fluvius Græcis Ἐλεύθερος dictus ſit, qui Punicè Orethus appellatus fuerit; Utut autem antiquiſſima hujus Urbis Origo

Poſteritati

Posteritati innotuerit, non eadem tamen fortunæ ejus ante Punica Bella claritas. Hermocrates Syracusanus Agros vastâsse legitur. Primo bello Punico Romanis captam Polybius memorat. Ciceronis ævo liberam fuisse ex Quinta in Verrem docemur. Inde Imperatoribus eam paruisse, non inscriptiones tantùm, quas Fazellus plures exhibet, sed & nostra Numismata testantur, in quorum tertio & quarto Capita Augusti & Liviæ Peritiores agnoscunt.

Primum à Tristano Pani Pastorum Deo adscribitur; Alii Panormo id vindicant, Pani abjudicant. Mihi, quæ dividunt Viri magni, componenda videntur, ita ut hic Nummus à Panormitanis quidem sit cusus, sed juxta quædam Panos habita videatur ratio, quod & à Pansa factum videmus *in secundo Vibiæ Familiæ*; Quanquam enim pro Persona illud Caput accipiatur, eâdem tamen figurâ & Pana Antiquis effictum, nemo inficias ibit, qui monumenta Vetustatis paulò accuratiùs perspecta habet. Caprinâ facie, quali hîc visitur, pictum Herodotus Author est. Opinionem confirmat Gryphus Aversæ, quem Apollini sacrum Illustris Spanhemius non tam ex Philostrato Heliodoro, aliisque, quàm ex Nummorum monumentis probat. Per Apollinem Solem intelligi tritum est; Pana autem universi typum, an cornibus an hirsutâ capillorum serie? radios solares præfigurâsse, ex illo Orphei mihi colligere videor:

Pana voco magnum, qui totum continet orbem,
Qui Mare, qui Cœlum, qui terras frugiferentes
ÆTERNUMQUE IGNEM. Hæc Panos sunt omnia membra.

Quid per Ignem immortalem aliud intellexerit Orpheus, quàm Solem? Cùm igitur Gryphus soli sacer fuerit, Sol autem Antiquis ipse *Pan*, nihil video obstare, quò minùs & vultum hunc Pani tribuamus, & in ejus honorem Gryphum effictum putemus: Ut ita eodem & pulcherrimo typo Panormitani & Urbis suæ Etymologiam indicaverint, & Soli simul retulerint gratias pro concessa sibi amœnioris agri, quem possidebant, fertilitate. Aliud adhuc concurrere videtur. *Panormum formâ virili, facie prolixâ, barbâ acuminatâ, capite Regio & diademate redimito Panormitanis pingi solitum*, Fazellus testatur. Regium Diadema & in superiore Numismate apparet; In secundo autem ejus loco

laurea cernitur, quod fortè ob victoriam quandam factum eſt. Equum certè, qui in averſa habetur, ſeſſore vacuum, & effuſo curſu ſalientem, libertatem denotare, nemini dubium eſſe debet. Feſtivus STESICHORI Himerenſis Poëtæ Apologus id abundè teſtatur. Eum vide ſub numero V. Syracuſanorum.

XXX.

SEGESTANORUM



ASCendimus prærupta. Hanc Urbem ſuprà Criniſi oſtium condidiſſe fertur Ægeſtus. Occaſionis duplex fama eſt: Alii cujusdam nobilitate Clari, à Laomedonte autem læſæ Majeſtatis condemnati Filias in Siciliam deportatas memorant, earumque unam ab Adoleſcente Phrygio vitiatam Ægeſtum peperiſſe, qui in avitas quidem ſedes redux fuerit, ſed iis deſtructis Siciliam repetere coactus ſit, & Æneâ ſuadente cognominem Urbem condiderit. Ab his diverſus STRABO, inter Trojanos à Philoctete ad Erycem miſſos & Ægeſtum fuiſſe, & mœnia condidiſſe affirmat. Quicquid ſit, Nomen ab Authore & accepit & retinuit, donec ſub Romanos concederet. His infauſta vocabula averſantibus præpoſitâ literâ S. pro Ægeſtanis Segeſtani memorantur appellati. In Numiſmate tres figuræ occurrunt. De omnibus dubitatur. NONNIUS in adverſa Herculem agnoſcit. Cl. Patinus in averſa duas fœminas luctantes conjicit. In Palatinis Viros evincit, quod in altero ad oculum patet indubitatum virilitatis ſignum. Inſcriptio adhuc integerrima eſt, ſed ob inſolitos Characteres legi difficilis. Utramque faciem Luctatores referre, certum eſt, ſed Figura in antica non gladium vibrat, ſed aliud quiddam in protenſâ dextrâ retrò caput elevatâ tenet. Certè nec haſtile eſt. Corium crediderim illud bubulum, quod manui circumvolutum ceſtum dixere. Hæc opinio ſi fidem inveniat, ipſam figuram facilè ad Erycem Veneris Filium retuleris, quem in agro Segeſtano jam ante conditam Urbem ceſtibus advenas ſecum contendere coëgiſſe, tandem autem ab Hercule ſuperatum accepimus.

mus Apud Lycophronem *tres Phœnodamantis Filiæ Matri Luctatoris Zerinthiæ Templum exſtruxiſſe memorantur, donum Deæ.* Isacius Tzetzes, *Veneri Erycis* interpretatur. Quidni & Paleſtræ ſolennia tam Viris quàm Fœminis communia inſtituiſſe credantur Ægeſtani, in honorem & Matris & Filii? Ut Authores taceant, Numismata loquuntur.

XXXI.

LILYBÆI



PRomontorium Pœnos verſus extenſum Pœnos nactum eſt habitatores. Hi cognominem Promontorio condiderunt Urbem, cùm Himeram & Selinontem, Duce Hannibale Giſconis Filio, deleviſſent. Urbs ea tantum brevi ſurrexit in robur, ut Romanis nonniſi poſt duriſſimam ceſſerit obſidionem. Numiſma noſtrum Apollinis effigiem continet & ſacratum Apollini Tripodem. Ratio in Fatidicâ Putei, qui apud Lilybæos erat, efficaciâ ponitur: Qui ex ejus aqua bibebant Pythico furore afflatos Oracula & reſponſa dediſſe, ex Diodoro & Macrobio Goltzius obſervat.

ORientem verſus per Lybicum mare progreſſi

XXXII.

SELINONTIORUM

OFfendimus Urbem. Hanc Megarenſes ab Hybla profectos, expulſis Pœnis, occupâſſe conſtat. Nomen traxit à fluvio, fluvius à Selino,

quod Latinis apium ſignificat, cujus abundantiâ & vicinus ager & ripa Fluvii luxuriabant. Hujus Etymologiæ teſtem Numiſma noſtrum adducit Goltzius, quòd in eo Selini folium expreſſum ſit. Apud Plutarchum legitur *Timoleonti, ſuperato ad Crimiſum amnem (qui non procul à Selinunte Agrigentum verſus per mediterranea deſcendit,) colle, Mulos apium ferentes occurriſſe, quo milites omine cùm conſternarentur, quòd mortuorum id corona eſſet, Ducem pluribus demonſtrâſſe, victoriam portendere, quòd Corinthii Victores Iſthmiorum eo coronarent.* Figuram ſacrificantem Golzius ad Empedoclem refert, qui Stagnum peſtilenti exhalatione pernitioſum, immiſſis Selinunte & Hypsâ diluiſſe, indeque Divinos honores, tanquam alter Æſculapius, conſecutus memoratur; Niſi ſit Hercules Ἀλεξίκακος. Æſculapii ſacrificium & Gallus, qui Aræ adſculptus eſt, & ſerpens, quem ſimili modo Goltzii Numiſmata exhibent, ſacrata Æſculapio animalia teſtantur. Eodem pertinet & Lauri ramus, quem figura hæc ſacrificans ſiniſtrâ tenet, Apollini ſacer, Medicinæ Inventori, Æſculapii, ut fingitur, Parenti. Hunc in averſa cum ſagittario bigis inſiſtentem Golzius agnoſcit cum filio Galeote, à quo Hyblæi ad differentiam reliquorum Galeotæ dicti ſunt, quemque inſtituto Galeotarum Sacerdotum Collegio pro Numine tutelari coluerint.

AGrigentum verſus Navigantibus

XXXIII.

HERACLEA

PRætereunda non eſt. Eam Cretenſes Minoe, cujus Dædalum perſequentis ductu in Siciliam venerant, à Coccali filiabus occiſo conditam, Regis ſui nomine Minoam vocârant; Sed Dorieus Spartanus ex Poſteritate Herculis Heracleam appellavit, poſtquam ex pacto, quod Hercules, devictô Eryce, cum incolis Regionis fecerat, debitum Heraclidis Imperium recepiſſet. Rem latiùs narrat Diodorus his verbis: *Poſtquam Hercules ſubjectos Eryci agros contigit, Eryx, Venere ac Buta loci Regulo natus, ad luctæ certamen Heroëm provocat. Depoſito utrinque contentionis pignore,*

pignore, ab Eryce quidem agris, ab Hercule vero bobus. Primò quidem indignatus Eryx, quòd iniqua boum cum Regione comparatio fiat; Sed cùm Hercules contrà ſe deperditis his immortalitatis jacturam ſimul facturum ſponderet, acceptâ tandem conditione in certamen deſcendit : Sed victus Regionis poſſeſſione exuitur. Quam Hercules interim ut depoſitum incolis ad uſumfructum concedit, dum ex ſe natorum aliquis eam repetat. Idq; poſtmodum evenit. Poſt multas enim ætates Dorieus Lacedæmonius in Siciliam profectus, recuperatâ ditiõe avitâ HERACLEAM IBI EXSTRUXIT. Quæ ſubitis incrementis amplificata, invidiã Carthaginenſibus injecit & metum, ne quando ſuprà Carthaginem invaleſcens, principatum Pœnis adimeret. Ideò magnis eam copiis aggreſſi, tandem captam funditùs diruerunt.

Hæc narratio ſufficientem Nummo noſtro lucem affundit. Similes videas apud Parutam & Goltzium, ſed noſter & magnitudine & pulchritudine præ cæteris effulget, & aureâ notatus Aquilâ, Regii cujusdam Cimeliarchii Civem aliquando ſe fuiſſe prodit. Idem ſignum in aliis infrà exponendis expreſſum conjecturæ huic ſuffragatur. In noſtris omnibus Hercules conſpicitur imberbis; Apud Goltzium & Parutam contrà Barbatus. Id an Nummi ita habuerint, an vetuſtate exeſi fefellerint Celeberrimos Viros, haud ſatis diſcerno. Imberbem ſanè rei veritas poſtulat. Hercules, cùm Leonem Nemæum conficeret, annorum 16. vel ut alii 18. erat, adeoque vix primâ lanugine conſpicuus. Accedit, quòd in aliis Nummis Herculis Caput imberbe jam Leoninis ſpoliis tectum occurrat, Conſtat, Herculem leoninam pellem non geſtâſſe, antequam Nemæum leonem occidiſſet; Cùm enim hujus pellem nullo ferro penetrabilem, vel ut alii, totam ferream videret, eâ pro ſcuto & Caſſide deinceps uſus eſt. Sed tres leones Hercules debellavit, poterit ergò ad aliud certamen Barbatus referri.

Cæterùm Leonem Nemæum, cujus hîc interitum cernimus, Authores ex ſpuma Lunæ natum, & ab Iride in montem Opheltam deportatum tradunt, ubi ſtatim Apæſamtum paſtorem interemerit. Hercules, cùm in pugnam deſcenderet, multas ſagittas in eum fruſtra conjeciſſe memoratur. Hinc arcum ab Herculis tergo effictum videmus; Poſtquam ſagittæ non penetrarent, Clavâ eum aggreſſus eſt, quam & ipſam à tergo adhuc cernimus. Sed cùm & hæc crebris ictibus comminueretur, tandem nudis manibus conſtrictum non diſſecuit, ſed ſuffocavit, uti ex noſtro Numiſmate cuilibet ad oculum patet.

patet. De Minerva fortè ARISTOPHANES lucem affundit, qui, referente PAUSANIA, Heraclidas, cùm propter paupertatem Athenis & aliis Græciæ partibus habitare non poſſent, & nobiliſſimâ eſſent familiâ, in Siciliam veniſſe, ait, & Heracleam condidiſſe. En qui Athenis ſubſiſtere non poterant, Athenarum tamen Præſidem Nummis ſuis celebrare non deſiſtunt ! Idque ob præſtitum auxilium non tam ſibi, quàm Herculi, qui ejus præcipuè operâ immortalitatem conſecutus fingitur.

SEquitur Numiſma

XXXIV.

AGRIGENTINORUM.

AKRAΓAΣ, quam Latini Agrigentum vocant, Urbs fuit totius Siciliæ poſt Syracuſàs maxima. Ædificatam ferunt à Gelenſibus Centeſimo octavo propè poſt Gelas anno. Coloniam deduxerunt Ariſton & Piſtillus. Nomen, ut plures aliæ, à vicino flumine traxit, quod & ipſum Ἀκράγαντα dictum novimus. Numiſma & Situm exprimere videtur & Hiſtoriam: Situm in Cancro; Hiſtoriam fortunæ adverſæ in Lepore duabus Aquilis ſuccumbente, fortunæ refloreſcentis in Quadrigis ſub Aquila volante triumphalibus. Cancrum maritimarum Urbium Symbolum eſſe infinita ferè Numiſmata teſtantur. Agrigentum maritima propriè non fuit, octodecim enim Stadia ab Ora maris Lybici diſtabat; Aquis tamen undique ferè incluſa, quin eodem Symbolo uti potuerit, nulli dubitamus. Auſtrinum latus claudebat flumen Acragas; Ab Occidente & Africo Hypſas labebatur; Tacemus Emporium, quod STRABONI Ἔμπορον ſive *Navale* dicitur, omniaque, quæ mari adferri poterant, ſuppeditabat. Fortè etiam Piſcinam recorderis 7. Stadiorum ambitu, viginti cubitorum profunditate, effoſſam, variorum fluviorum & fontium influxu agitatam, piſciumque libertate & Cygnorum copiâ celebratiſſimam.

Sub

Sub **Lepore** Agrigentum intelligimus. Leporem fœcunditatis, effœminationis & trepidationis ſignum eſſe quis ignorat? Agrigentinos omni rerum abundantiâ, Civium numero, Ædificiorum Templorumque magnitudine venuſtam, ſoli fœcunditate nobilem, luxu poſteà effœminatam fuiſſe, & in adverſis trepidâſſe, ex antiquis rerum Sicularum Scriptoribus abundè conſtat. De fœcunditate ipſum nomen loquitur ἀπὸ τῆς ἀκρῆς, καὶ γᾶς à ſummâ, quam fluvius Acragas irrigabat, terræ præſtantiâ derivatum. Agrum vitibus, olivis variisque arboribus conſitum, tantos fructus peperiſſe, Diodorus Author eſt, ut etiam oppoſitis Afris ſufficerit; Inde immenſæ Divitiæ, hominum concurſus, Urbis incrementum, & invidenda felicitas. Contemplare Templa, Theatra, Aquæ ductus, Sepulchrorum admirandas moles, & magnitudinem Porticuum, Gelliæ Divitias, & Antiſthenis magnificentiam! Non felicitatis tantùm, ſed & Luxuriei invenies indicia. Utroque eò proceſſêre Agrigentini, ut non immeritò dixerit Empedocles, vel ſecundum Ælianum Plato: *Eos ædificare, ut ſemper victuros, genio indulgere, ut poſtridie morituros.* Hinc ſecuta enervatio corporum, animorumque uti in ſecundis faſtus, ita in adverſis trepidatio; Egregium hujus ſpecimen eſt, quòd regnante apud Syracuſanos Agathocle, pluribus Civitatibus in libertatem jam aſſertis, leviſſima clade deterriti à pulcherrimo liberandæ Siciliæ propoſito deſtitére. Quis non videt, hæc omnia ſub **Lepore**, perquàm commodè intelligi poſſe, qui ob laſcivam fœcunditatem Veneri ſacer, & apud Philoſtratum in Picturis ſub arbore inter Amores fugitivus cernitur. Objicere poteris: Agrigentinos hâc ratione propriam infamiam, luxum ſcilicet ſuum & formidinem publicâſſe; Sed hoc adeò mirum videri non debet, poſtquam periculis liberati cauſas procul dubio ſcrutabantur, quibus tantùm malorum ipſis creatum fuerat, monetæque eo fine illas impreſſas eſſe, credibile eſt, ut cuique ob oculos poneretur: **Luxum fugiendum, formidinem eradicandam, otium ejurandum, niſi in Priſtinam calamitatem recidere velint.**

Aquilas averſæ duos exercitus hoſtiles interpretamur, non diverſarum gentium, ſed unius; Non Romanorum, ſed Carthaginenſium. Quamquam enim Romanorum etiam arma ſenſerint Agrigentini, tamen quòd ſub eorum tandem Imperio refloruerint, beneficiorum potiùs memoriam coluiſſe credi debent, quàm injuriarum. Accedit Aquilarum geſtus, qui non inter ſe digladiantur, ſed concordi crudelitate miſerrimum lepuſculi cadaver concerpunt. Diodorus Author eſt: *Carthaginenſes*

cùm

cùm obsiderent, BINA in diversis locis CASTRA feciſſe, altera in Collibus quibusdam, ubi Hiſpanos & Afrorum manum ad quadraginta millia collocaverint; altera non procul ab Urbe, fossâ profundâ valloque muniviſſe. Prætores fuiſſe IMILCAREM & ANNIBALEM. Hos DUOS PRÆTORES DUAS Stupendæ magnitudinis TURRES Urbi applicaſſe. Omnia hæc duarum Aquilarum numero reſpondent.

Cicadæ, quòd animalium maximè ſint indigenæ, Cives deſignare poterunt ; Quòd à tergo Aquilarum recedunt, ad miſerandam emigrationem referri, quâ factâ Pœni mœnia ingreſſi leguntur, & omnia ferro devaſtâſſe & igne. Hiantes alterius Aquilæ fauces Hoſtis fugientes retracturi indicium arbitramur.

In averſa refloreſcentem ſub Romanorum Dominatu Agrigentinorum felicitatem contemplamur. Urbem ſub puero aurigante, Romanos ſub Aquila volante. Laudanda ſanè Senatûs Romani cura! Tito Manlio Prætori S. Cto juſſit, ut de Oppidis Siculorum Colonos Agrigentum deduceret. Publii Scipionis legibus cautum, ne plures eſſent ex Colonorum, quàm ex Veteri Agrigentinorum numero; Item, ne quis minor triginta annis natu, néve quis qui turpem quæſtum feciſſet, legendus eſſet. His Legibus Agrigentini deinceps uſi ſunt, & usque ad Verris rapinas felices permanſére, & quaſi de fortunæ injuriis triumphârunt. Ut autem Agrigentini felicitatem ſuam per quadrigas exprimerent, fortaſſe celebratiſſimæ Exeneti Magnificentiæ recordatio fecit, qui cùm Olympiade 92. Victor reverteretur, trecentis cum quadrigis, quibus omnibus albos equos junxerat, magno cum Agrigentinorum applauſu in Urbem invectus legitur.

XXXV.

ALIUD
AGRIGENTINORUM.

HOc Numiſma Paruta ad fluvium refert. Procul dubiò Capite puerili motus, quâ formâ Agrigentinos in præfigurando fluvio uſos conſtat,

conſtat, neque objeceris Diadema, Diademate & Panormitanos Urbem ſuam ornâſſe jam diximus. Si tamen urgeas, non gravabimur vel Tyranno alicui addicere, modò doceatur cui ? Aquila certè ab averſa parte conjecturæ ſuffragari videtur, quæ Columnæ inſidens retroſpicit, tanquam in Regio faſtigio minùs ſecura, & ab aliarum avium invaſione ſibi metuens. Meminimus, Aquilam reſpicientem, ſub Amynta Nos Regis ad Regnum reſpicientis Symbolum putaſſe. Si & hanc interpretationem huc detorquere velis, liceat.

XXXVI.

ALIUD AGRIGENTINORUM.

NUmiſma unam Aquilam exhibet lepori exitium machinantem. Per Leporem Agrigentinorum Urbem deſignari ſupra probabili opinione oſtenſum eſt. Quid Aquila hîc deſignet, dubius ſum ; An Phalaridis Tyrannidem ? An Thraſidæi injuſtam Dominationem ? An Ducetii arma ? An Pœnorum Copias, quibus paulò ante Dionyſii Senioris Dominatum Agrigentini oppreſſi, Civitasque everſa eſt ? An denique Romanos, qui, fuſis ad Agrigentum Pœnorum Exercitibus, militi ſuo Urbem tradidere diripiendam ? Latiſſimus hîc eſt conjecturarum Campus. Piſcem ad Piſcinam referimus, in quâ piſces non ad uſus tantùm quotidianos, ſed ad voluptatem etiam alebantur. De Ea, ut & de Cancro jam dictum.

XXXVII.

ALIUD AGRIGENTINORUM.

PRæter Cancrum hîc Aquilam cernimus pacificè ſtantem. Ad ea tempora referri poſſunt hæc Numiſmata, (plura enim in Cimeliarchio

Electorali asservantur,) quibus post ejectos è Sicilia Carthaginenses tranquillæ Agrigentinorum res per Romanos Prætores administrabantur. In Inscriptione Lit. Ϻ. per formam Latini C. exprimitur, quod fieri solere Illustris SPANHEMIUS in Nummis Gelensium observavit.

XXXVI.

ALIUD AGRIGENTINORUM.

NUmisma Caput Jovis exhibet, & in aversa Aquilam Κεραυροφόρον. Jupiter hic est vel Atabyrius vel Olympicus ; Utriusque enim Templa Agrigenti fuerunt. Atabyrius Jupiter dicitur à monte Rhodi Atabyro, in quo Jovis Templum fuisse STRABO meminit. Et quum remotè Rhodiorum Colonia fuerit Agrigentum, meritò eodem ibi nomine Jovem cultum fuisse, POLYBIUS ait. Quod autem ad Jovis Olympici Templum attinet, ejus stupendam Structuram ex DIODORO SICULO hîc proponere operæ pretium erit. Sic autem ille : *Olympico, cùm jam propè esset, ut tectum induceretur, bellum impedimento fuit. Ab eo deinceps tempore excîsso Oppido, nunquam postea Colophonem ædificiis imponere Acragantini voluerunt. Fanum illud 340. pedum longitudine porrectum est, ad 60. verò in latitudinem patet, & ad 120. in altitudinem, fundamento tamen excepto, attollitur. Maximum hoc omnium est quæ per Insulam habentur, & magnitudine Substructionum cum exteris quoque comparari meretur. Nam etsi moles illa ad finem perducta non fuerit, pristina tamen deformatio adhuc in conspectu est. Cùm enim alii ad parietes usque templa educant, aut columnis ædes complectantur, utriusque structuræ genus huic Fano commune est. Nam unà cum parietibus columnæ assurgunt, rotundæ extrinsecus, sed quadratâ intus formâ. Ambitus harum ab exteriore parte 20. pedes habet, tantâ strigum amplitudine, ut corpus humanum inserere se aptè queat, intrinsecus verò 12. pedes continet.*

Sequun-

SEquuntur Numiſmata

XXXIX.

GELENSIUM

GElam Agrigentinorum Metropolim à vicino Flumine, ut pleraſq; Siciliæ Urbes, Flumen à vorticibus dictum, Bochartus Author eſt. Alii nomen à ſubito Antiphemi riſu; A Gelone Æthnæ & Hymari filio Alii; Alii aliunde deducunt. Ab Antiphemo Rhodio & Entymo Cretenſi conditam Thucydides teſtatur, cui, quod Cretenſes attinet, noſtra ſuffragantur Numiſmata.

Minotaurus conſuetum Coloniarum Cretenſium Symbolũ non ſemel, ſed ferè in omnibus, quos & PARUTA exhibet, impreſſus eſt. Unde præcipuas Cretenſium partes in hâc Urbe fuiſſe, haud forſitan abs ratione quis collegerit; tantum abeſt, ut Fazello fides habenda ſit, qui Rhodios in Sicilia fuiſſe, Urbemque muro cinxiſſe ſomniat, antequam Entymus cum Cretenſibus ſuis ſuperveniret, cujus aſſertum eò minùs ferendum eſt, quò audaciùs ex ipſo Thucydidis contextu hoc affirmare nititur; Cùm tamen Thucydides apertè contrarium dicat, cujus verba hæc ſunt : Γέλαν δέ Ἀντίφημος ἐκ Ῥόδε καὶ Ἔντιμος ἐκ Κρήτης ἐποίκους ἀγαγόντες κοινῇ ἔκτισαν. *Gelam Antiphemus ex Rhodo & Entymus ex Creta Colonias ducentes COMMUNITER ædificárunt.* Verum quidem eſt Lindios ex Rhodo fuiſſe, ſed nullibi Thucydides eos ante Cretenſes in Sicilia fuiſſe ſtatuit; Id tantùm dicit, Campos, ubi ſuo ævo Urbs adhuc fuerit, & cui primùm muri inædificati ſint, Lyndios vocari. Verba hæc ſunt : Τὸ δὲ χωρίον ἔνθα νῦν ἡ πόλις ἐστὶ καὶ ὁ πρῶτον ἐτειχίσθη Λίνδιοι καλεῖται. *Locus, ubi nunc Urbs ſita eſt, quique primus munitus muro fuit, Lyndii vocabatur.* Lyndii autem illi ipſi erant, qui cum Antiphemo ex Rhodo advenerant, uti ex Herodoto videre eſt.

Τῦ δὲ Γέλωνος πρόγονος κλιζομένης Γέλης ὑπὸ Λινδίων τε τῶν ἐκ Ῥόδυ καὶ Ἀντιφήμυ ὐκ ἐλήφθη. *Gelonis Progenitor à Lyndiis, qui ex Rhodo profecti erant, & Antiphemo non assumptus est.* DeMinotauro nota est fabula, & suprà, quid monendum sit, attigimus. Bigas ad Victoriam quandam Olympicam referunt. Fortè Hieronis contendas, de quibus superiore Capite dictum.

EX Africo mari in Siculum ascendimus, superatoque Pachyno, pluribusque & Urbibus & Fluviis prætermissis maximæ totius Siciliæ

XL.

SYRACUSARUM



DElibamus & Situm & Historiam. Propositum earum Numisma Coloniæ Originem indicat & Urbis partes. Coloniæ Originem in Capite Herculis, Urbis partes in quatuor angulis caput Muliebre includentibus. Coloniæ Dux fuit Archia Corinthius. Archiam Herculis ex Alcæo Posteros generis sui Authores recognovisse, ex THUCYDIDE discimus. Proximior tamen est ratio, si ad cultum respicias, Herculisque præsentiam. Herculem devicto Eryce reducem Anniversarium Syracusis docuisse, indeque per mediterranea in Leontinos abiisse, DIODORUS Author est. Urbis partes seu potius Urbes Syracusarum quatuor fuisse, CICERO testatur. CICERONI adstipulantur SILIUS & AUSONIUS, quorum ille *quatuor arces*, hic *quadruplices Syracusas* appellat; Sed his contrariantur STRABO & FLORUS. STRABO Πενταπόλιν vocat; FLORUS *tres* tantùm *arces* facit; Sic quod ille in excessu, hic in defectu peccâsse videtur; Sed palam est, STRABONEM Epipolas pro Urbe censere, quæ tamen nec muro à Tyche & Neapoli discretæ erant, nec frequenter habitabantur, proinde Urbs non fuerunt. Florum excusat Ph. Cluverius, quod is per vocem *arcis* locum intelligi voluerit, qui continuo muro undique inclusus sit; Talis Insula, talis Acradina, talis Tycha, Neapolis & Acradina simul, unde & unam tantùm

arcem

arcem Floro conſtituunt. Caput quod in medio quatuor horum angulorum viſitur, cujus Deæ ſit, non ſatis diſcerno; Niſi vel Urbis genium dicas, vel ad Arethuſam referas.

XLI.

ALIA
SYRACUSARUM.

SYracuſarum vidimus Originem, vidimus Partes. Origo & in præſentibus verſatur. Pegaſus eam demonſtrat commune Symbolum Corinthiorum, à quibus Coloniam deductam diximus. Delphinus vel maritimum Colonorum iter, vel Urbis alterutrius Situm oſtendit. Hoc ut credam pronior ſum, neque enim prius ut indicetur, neceſſe videtur, cùm terreſtri Sicilia adire non poſſit. Caput galeatum an Marti, an Archiæ tribuas Coloniæ Duci, liberum eſto. Ad Archiam videtur averſa reducere. De Hercule jam dictum.

Tertium Numiſma idem ferè apud Parutam occurrit, cum inſcriptione Συρακοσίων; Nobis baſin inſcriptionis hujus injuria ſubtraxit, neſcio cujus; Ut tamen huc referamus, adverſæ Monogramma facit. Minervam continet, ſacratamque Minervæ Noctuam. Noctua præter oleæ ramum & clavam tenet; Clava ad Herculem pertinet, & ex ſuperioribus interpretationem mutuatur. Pallas etiam in ſecundo, ſed habitu bellatricis cernitur. Duplex hîc obſervatio, & Minervæ Cultus, & Antiquitas loci. Cultum Minervæ & Templum plenis faucibus ebuccinat Cicero. Antiquitas loci patebit, ſi Dianæ adventum conferas cum Adventu Minervæ. Inſulam primam habitatam, Strabo Author eſt.

Diodorus Ortygiam dictam asserit. Habitatores primos Ætolos facit, aitque, Ortygiæ nomen à Diana descendere, sive quòd Ætoli à Delo sint profecti, sive quod Alpheum fugiens Diana his in locis persecutionis senserint finem. Quicquid sit, ubique antiquissimum hâc in Insulâ Dianæ cultum agnoscimus; & tamen antiquior adhuc Veneratio Minervæ fuit; Audi Ciceronem: *In ea Insula*, inquit, *sunt Ædes sacræ complures, sed duæ, quæ longè cæteris antecellunt, DIANÆ UNA, & ALTERA, QUÆ FUIT ANTE ISTIUS ADVENTUM ornatissima Minervæ.* Hoc si verum, jam constat & ante Ætolos hanc Insulam habitatam fuisse; Ad quid enim Templum Minervæ, nisi & Minervæ sint Cultores?

ALiud contemplare Numisma

XLII.

SYRACUSANORUM

EXiguum illud quidem sed Elegantiâ præstantissimum. Caput in adversa Bifrons exhibet, utrinque fœmineâ facie, quarum alteri Delphinus alludit, ab altera parte Equus saliens cernitur cum astro. Indubitatum Delphinus Oceani Symbolum facit, ut Situm Syracusarum hîc nobis imaginemur. Ad Orientem Insula & Acradina respiciebant mare; Occidentem versus Tycha & Neapolis continenti oppositæ erant. Hinc Ciceroni, *Situ*, dicuntur, *cùm munito, tum ex omni aditu, vel TERRA vel MARI, præclaro ad Aspectum.* Astrum aversæ Solem interpretor, cujus auriga Ethnicis credebatur Phœbus. Phœbo inter alia animalia & Equus sacer erat. Idem libero cursu saliens Libertatis habetur Symbolum. Inde Libertatem auxilio Phœbi Syracusanis restitutam, hoc typo crediderim præfigurari. Ea hâc in Urbe Pietas fuit, ut Majora beneficia non sibi adscriberent, sed Diis referrent accepta, id quod paulò post exemplo Jovis & Dianæ demonstratum dabitur.

ALIA

XLIII.
ALIA
SYRACUSANORUM.



DE Phœbo modò diximus. Phœbus idem qui Apollo. Ejus honori duo hæc Numiſmata percuſſa ſunt, aureo Deo aurea. Quæ de Inſtrumentis Apollinis & officiis fabula docet, trita ſunt. Inſtrumenta vides Tripodem & Citharam, alterum Vaticinii, alterum Muſicæ. Sol cœleſtem Aurigam arguit. Laurea & Daphnes Metamorphoſin & Heliconis præſidium. De cultu Apollinis apud Syracuſanos teſtis nobis eſt CICERO: *Quarta*, inquit ille, *Urbs, quia poſtrema ædificata eſt, Neapolis nominatur: Quam ad ſummam Theatrum eſt maximum, præterea duo Templa ſunt egregia, Cereris unum, alterum Liberæ, SIGNUMQUE APOLLINIS, QUI TEMENITIS vocatur, pulcherrimum & maximum.* Id idem eſt, quod Tiberius natali ſuo advectum Syracuſis, in Bibliotheca novi Templi poſiturus, per ſomnium fatale irriti conatûs vaticinium ex ipſius ore memoratur audiviſſe.

XLIV.
ALIA
SYRACUSANORUM.

APollinem ſequitur Diana Soror, & Jupiter Pater, utrique ſingulari, ob ſingulare beneficium, decorus encomio; Illa Σωτείρα dicitur *Servatrix*,

Servatrix, Hic Ἐλευθέριος, *Liberator*. Liberaverat Jupiter, ut creditum eſt, Syracuſanos à Tyrannide Hieronis & Fratris ejus Thraſibuli ; Hoc ejecto, illo per mortem ablato. Eo beneficio & ſtatuam meruit auream & ſacra quotannis Libamina. Libertatis Symbolum Equum eſſe, nullo Ephippio, nullo freno, nullo ſeſſore gravatum, ſed liberrimo curſu quaſi tripudiantem, jam diximus. Audi Stesichori Apologum, quo Himereníes ad abrogandam Phalaridi Tyrannidem libertatemque ſuam tutandam permovit. *Olim*, inquiebat, *Equus latiſſimis in paſcuis ſolus exſultabat & laſciviebat; irrumpente deinde Cervo pabuli vaſtatore, Equus ultionis ſtudio exardeſcens hominis conſilio uſus eſt; Is, ſi frenum*, inquit, *& me ſeſſorem patieris, tunc equidem Te de Cervi petulantia ulciſci potero. Accepit conditionem, admiſit ſeſſorem, & ſimul in ſervitutem incidit, dum nimio ultionis ſtudio animi impotentiam ſequitur.* Hæc Stesichorus. Cæterùm & ſervos Syracuſanorum equi notâ ſignatos legimus, quod ob eandem libertatis conſiderationem factum crediderim, ut ſcilicet Liberæ Gentis Inſigne præferrent, qui Liberis ſervirent, eodem modo, quo hodie facinoroſis Civitatum inſignia inuri ſolent.

Ne autem unico facto Jovem ſibi adjutorem, ſed & in poſterum propitium teſtarentur, Libertatisque cuſtodem, ejusdem in tertio Nummo fulmen appoſuerunt, & ſpicam. Fulmen non Jovis tantùm telum eſt, ſed etiam Providentiæ Symbolum, Spica abundantiæ; Abundantia ex providẽtiâ fluit; Quis meliùs provideat, quàm Deorum ſummus? Quis meliùs ſervet? At Gentilium nugas contemplare, inſpice Numiſma primum. Fulmen providentiæ Symbolum non Jovi opponitur, ſed Jovis Filiæ. Dianam ex pharetra agnoſcis. Eam apud Authores Lyenam dictam novimus, quòd Siciliam gravi ſolviſſet morbo. Sed latius Servatricis diffunditur honor. Syracuſani, qui Epulis & Vino hanc Deam quotannis per triduum venerabantur, ejus cuſtodiâ & Providentiâ Se Urbemq; ſuam incolumes futuros ſibi perſuaſiſſe, vel ex hoc Nummo credi poſſunt; Quanquam infelici ſpe, cùm fragile Numen non potuerit impedire, quò minùs ſuo in feſto Romani muros tranſcenderent, Urbemque occuparent & diriperent.

XLV.

XLV.

ALIA
SYRACUSANORUM.

ARethuſæ ſupra mentionem fecimus; In præſentibus Numiſmatibus eadem eſt, ſed Piſcibus circumdata ; Fontem hujus nominis Syracuſis fuiſſe, raris dotibus præditum, docet CICERO : *In hâc* inquit, *Inſulâ extremâ eſt fons aquæ dulcis, cui nomen ARETHUSA eſt, incredibili magnitudine, pleniſſimus piſcium, qui fluctu totus operiretur, niſi munitione & mole lapidum à mari disjunctus eſſet.* Hunc à Nymphis in Dianæ honorem excitatum, DIODORUS narrat. At Poëtæ fabulantur, Arethuſam Nympham Alphei complexus fugientem Dianæ miſericordia in amnem converſam eſſe, & per occultas viarum latebras, inſequente Amatore, ex Elide per tanta Marium ſpatia fugitivam in hoc Inſulæ loco tandem ſtetiſſe. Fabula ex concepta Antiquorum opinione ortum traxit , quâ crediderunt, Alpheum & Arethuſam occultis meatibus ſibi invicem correſpondere, quod Olympiorum ſtatis temporibus Arethuſa turbaretur,& Phiala aliquando in ea inventa ſit,quam in Alpheum conjeciſſet quidam Olympiorum Victor. PAUSANIAS ex Oraculi Delphici effato his & ipſe ſubſcribit, in Eliacis ; Quamquam aliam opinionem foveat in Arcadicis; Sed hæc oppugnat STRABO Libro ſexto; Probabilia cenſet FAZELLUS.

Non noſtrum inter vos tantas componere lites!

De Piſcibus audiamus DIODORUM. *Hic*, inquit, *non priſcis modò temporibus magna PISCIUM copiam tulit. Sed hi noſtra quoque ætate ſacri, & hominibus intacti permanent. De quibus ſi qui, bello graſſante, in Ciborum aliquid uſum vertere auſi fuiſſent, hos repente Numen, manifeſto iræ indicio, in magnas calamitates conjecit.* Per Numen intellige Dianam, de quâ in antecedentibus ſermo erat, & hinc forſan eſt, quòd PINDARUS eam fluvialem appellaverit :

Ποταμίας ἕδος Ἀρτέμιδος. *FLUVIALIS ſedem DIANÆ.*

Notetur in his denuò, quam & ſupra in Crotoniatarum Nummo notavimus, inſolita Literæ K. figura ϙ. Eques & Bigæ cum victoria ſupervolante procul dubio Certaminum & Victoriarum Olympicarum teſtes ſunt, quarum plures à Syracuſanorum ſive Civibus, ſive Tyrannis obtentas novimus.

SYracuſis relictis in

XLVI.

LEONTINORUM

AScendimus agros. In Numiſmatibus Leo & appellationis & Originis altiùs deducendæ nobis anſam porrigit. Apud Græcos & Latinos omnes, Leontinorum tùm Urbem tùm incolas Leontinos vocari, latiùs probare nititur Ph. Cluverius; Unicum excipit Ptolomæum, qui Leontium habeat. Ciceroni Leontina Civitas, & Leontinus Ager dicitur. Inde conſtat, vocabulum Leontini, quo tùm Urbem, tùm incolas denominari contendunt, non eſſe ſubſtantivum, ſed ſubintelligi Cives, vel campos, vel aliud quid, & conſequenter vocabulum Leontini, ſi Urbem deſignet, per Metonomiam intelligendum, uti apud Plinium, quando dicit, Oppidum Leontini.

Hæc cùm ita ſint, non video, cur Philippus Cluverius Ptolomæum in voce Leontium corruptum exiſtimet, neque quâ neceſſitate adactus Fazellus pro eo Leontinum ſubjiciat. Leontium æquè ac Leontinum ex Græcanicâ formatione locum habere, & ἀπὸ τῦ Λέοντ@ deſcendere indubitatum eſt apud Authores, quamquam Fazellus rejectâ hâc Etymologiâ aliam ſubjiciat, à populi extenſione Leontinos appellatos dictitans, Sed cave ſubſcribas! Leo, quem in utroque Numismate expreſſum vides, contrarium apertè evincit, nec Hiſtoriæ fides contrariatur. Diodorus Siculus ex antiqua Gentis perſuaſione refert, *Herculem*

culem cum devicto Eryce, Syracusis Anniversarium docuisset, actis per mediterranea bobus, Sicanisq; prælio fusis, per Leontinum perrexisse agrum, pulchritudinemq; ejus admiratum ob honores sibi exhibitos ÆTERNA suæillic præsentiæ MONUMENTA reliquisse. Hæc monumenta Goltzius Leonis in Nummis expressi Symbolum conjicit, unde & nomen Urbi. Quid si & Urbi auspicium dederit Hercules? Qualiter & in Crotone supra observavimus ; Neque enim fides habenda est Fazello, qui ex Læstrigonum vastis specubus omnium hanc Urbem Siciliæ vetustissimam contendit; Inde enim facilius colligas, Læstrigonas Urbem nondum habuisse ; nam si habuissent, ad quid habitassent specus ? Numismata certè totam Urbis Originem ad Herculem referre videntur; quid enim Leonis rictus inter spicas, nisi cognominem Urbem in campis fertilitate suâ celebratissimis designare potest ? *Hos centesimo grano fructus fundere,* Plinius Author est, & Ciceroni, *Leontinorum Urbs rei frumentariæ Caput* vocatur.

Præter Herculeum Leonem Apollinis etiam Effigiem cernimus. Hanc Goltzius ad Cultum Dei refert, quanquam etiam Originis incolarum nos admonere poterit. *Chalcidenses è Naxo, Siculos ejecisse, Urbemque Leontinam incoluisse,* Thucydides Author est ; Apud Naxios autem Apollinem Archagetam in honore fuisse, in sequentibus ad Catanensium nummos ostendemus. Figura Equestris procul dubio ad victoriam quandam pertinet, sed cui tribuenda, mihi hactenus obscurum est.

XLVII.

ALIA LEONTINORUM.

CAput hîc Apollinis intuemur, & sacrata Apollini instrumenta Tripodem, & in ejus basi Citharam, adjectis utrinque spicis; In secundo dimidiatus Leo visitur. Omnia hæc in modò dictis sunt explicata. Amphora Leontinos Baccho deditos evincit: Scilicet Phala-

rides Agrigentinorum Tyrannus eos victos armis exuiſſe, & ne deinceps res novas molirentur, conviviis, commeſſationibus vinoque enervâſſe legitur, eodem inſtituto, quo & Cyrus in Lydos fertur uſus.

ULterius progredientibus

XLVIII.

CATANENSIUM

OCcurrunt Numiſmata. Primum habet ex una parte Caput barbatum, cornutum & laureatum, cum inſcriptione KATANAIΩN, in averſâ Figura ſtolata viſitur, dextrâ Bilancem, ſiniſtrâ Cornucopiæ ſuſtinens. Idem habetur apud PARUTAM. Caput illud cornutum, an Charondæ, an Jovis Ammonis? Arietinum cornu Deum videtur arguere, ſed ſignata in averſâ Æquitas ad Legislatorem traducit, cujus egregium in Catanenſes meritum hoc Symbolo expreſſum eſſe credibile eſt; Quamquam enim cornua Divini quid inferre videantur, Legislatores tamen Divinis honoribus antiquitùs affectos fuiſſe, Eruditiſſimus *Raphaël Trichetius du Freſne* in Epiſtola ad Cl. SEGUINUM exemplo Zaleuci probat, imò nominatim de Charonda ex Jamblicho de vita Pythag. id obſervat Illuſtris SPANHEMIUS; Ut ita non videam, quid obſtet, quò minùs Charondæ faciem hîc exhiberi ſtatuamus.

Notiſſimum Æquitatis typum GOLTZIUS ad Hieronem refert, qui etiam Ætneis ſuis ſive Catanenſibus Leges, & æquiſſimas quidem dediſſe, easque ad normam ſive lancem Lycurgi Legum examinâſſe perhibetur;

betur ; cui opinioni libentiſſimè accederem, ſi inſcriptio Αἰτναίων haberet; Cùm autem expreſsè Καταναῖων inſcriptus ſit Nummus, omninò Charondæ tribuendum haud abs ratione fortè aliquis contendere poſſit. Notum eſt, & Goltzius ipſe agnoſcit, quòd Hiero nomen Catanæ in Ætnæ mutaverit, tanto ſtudio & ambitione, ut & in Olympicis Victor ſe ipſum Ætnæum per Præconem pronunciari juſſerit, expulſisque Civibus, novos Colonos in eam deduxerit; Notum itidem eſt ex eodem, quòd mortuo Hierone Cives expulſi redierint, novos Colonos ejecerint, Urbi nomen ſuum reſtituerint, tumulumque Hieronis, quod ei publicè exſtructum fuerat, everterint ; Ut ita nec ratio nominis, quod eo tempore, quo Hieronis in hâc Urbe nomen colebatur, non Catana, ſed Ætna fuit, nec odium Civium, quo in mortuum etiam ſæviebant, permittere videatur, ut Hieronis Leges hoc nummo deſignari credamus.

Nummus ſecundus habet Caput imberbe hederâ cinctum cum inſcriptione ΛΑΣΙΟ. In averſa viſuntur Amphinomus & Anapias, quales parentes ſuos ex Ætnæ incendio exportâſſe memorantur. Eundem exhibet Paruta No. 16. Caput illud imberbe Bacchi eſt, quod ex corona hederacea corymbis foliisque frontem decorante apparet ; Eam enim Baccho ſacram eſſe, dubium non habet ullum. Cujus rei præcipuam cauſam refert Athenæus , quòd Hedera citra odoris gravitatem refrigeret, coronaque inde facta capitique impoſita pro medicina ſerviat iis, qui nimium bibiſſent ; Bacchum enim non tantùm inveniſſe potum, ſed etiam malis inde naſcentibus ſuccurrere. Imberbem fuiſſe Bacchum ex Ovidio patet :

Tibi inconſumta juventa eſt.
Tu Puer æternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris Cœlo.

Quòd autem in Catanenſium Numiſmatibus non ſemel occurrat Bacchus, oculatus teſtis Illuſt. Spanhemius cauſam ex loci ſitu accerſit, totumque agrum Cereri & Libero Patri ſacrum fuiſſe affirmat, quòd egregio vini & ſegetis luxuriaret proventu.

Vocabulum λάσιος apud Græcos *hirſutum*, & de homine *animoſum*, de agro *herbidum*, & *Arboribus conſitum* ſignificat, apud Homerum λάσιον κῆρ, & apud Philonem de vita Moſis λάσιος χωρία dicitur, quo ſenſu itidem vel terram vini feraciſſimam, & vitibus conſitam, vel animoſitatem intelligimus, quæ ex larga vini potatione plerumque naſcitur:

Quis poſt vina gravem militiam aut pauperiem crepat?

Igitur hoc nummo Catanenses se fortunasque suas Baccho commendâsse palàm est, idque ob singularem suam pietatem, quam in aversa per Amphinomum & Anapiam Parentes suos gestantes expressere, id enim inscriptio docet Καταναῖων. Cæterùm de Amphinomo & Anapia, qui hic cernuntur, memoriæ proditum est, eos, cùm Ætna flammis suis longè latèque grassaretur, ipsamque Catanensium Urbem cineribus involveret, alterum patri, matri alterum senio confectis humeros supposuisse, eosque per medios ignes, cedentibus etiam tam pio facto flammis, extulisse; Loca postea Piorum Campum vocata, Fratribusque defunctis solennes ludos dedicatos, maximoque totius Siciliæ conventu celebratos fuisse.

XLIX.

ALIA
CATANENSIUM.

CAput Laureatum, quod in utroq; nummo occurrit, Apollinis est. In aversâ uterq; Bigas habet, sed alter cum supervolante Victoria aurigamque coronante. Similes sunt apud PARUTAM cum inscriptione Καταναῖων, typo tamen à nostro differunt; Apollinis faciem & Bigas ad Hieronis originem & victoriam Olympicam referunt, quod mihi ex iis, quæ in nummo Catanensium æreo allata sunt, haud arridet. Probabilior fortè conjectura erit, si caput illud Apollinis ad Catanensium è Naxo originem referamus; Naxii quippe Apollini Archagetæ Aram templumque condidêre, ad quam, qui è Sicilia solvebant, sacris operabantur, & de eventibus variis Deum consulebant. Ad hanc Originem indicandam non Catanenses solùm, sed & Tauromenitani & Leontini ex eâdem Urbe profecti nummos suos Apollinis capite signârunt. Hæc cùm ita sint, facilè nunc apparet, quò referendæ sint Bigæ in his nummis occurrentes; Non sanè ad Olympica, sed ad Pythica pertinent certamina.

His Juvenum quicunque Manu Pedibusve ROTAVE
Vicerat, Esculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat.

Victoriam itaque in Pythiis aliquem Catanensium nactum esse, hoc nummo facilè

facilè inducor,ut credam; Quis autem ille ſit, aliis ſcrutandum relinquo. Certè non eſt Chromius ille, quem ob ſingularem modeſtiam, probitatem ac fortitudinem ab Hierone Catanenſibus impoſitum ex Hiſtoria diſcimus; Quamquam enim Hic in Pythiis Victor fuerit, tamen,quòd eo tempore vixit, quo Catana non Catana, ſed Ætna dicta eſt, ipſeque Chromius Ætnæus proclamatus fuerit; Inſcriptio verò, Καλανᾶων habeat, alii procul dubio adjudicanda erit, quæ in nummo exprimitur, victoria.

SUpra Catanam habitabant

L.

CENTURIPINI.

CEnturipinorum Urbs olim & Civibus & Opulentiâ tanta fuit, ut diſertiſſimus Romuli Nepotum non dubitaverit *totius Siciliæ multò maximam* vocare; Sed ſuo tempore raris habitatam Colonis, & ne umbram quidem antiquæ magnitudinis tuliſſe FAZELLUS Author eſt. Jovis apud eos cultum præcipuum fuiſſe præſens numiſma evincit. Vix enim aliò ejus faciem & expreſſum in averſa fulmen alatum referre licebit.

CERNI-

CERNIMUS ÆTNÆIS FLAMMAM SPIRARE CAMINIS.

En ſcopulos tormenta rotant, expreſſa cavernas
Vis glomerat, dirumque fremit Vulcanius ignis.
Tutius æquoreas iterum ſulcabimus undas.

AD naves regreſſi litora legendo Naxum provehimur, ſupra quam in vertice Tauri eminet

LI.

TAUROMENIUM.

TAuromeniorum Numiſma ex una parte Apollinem Archagetam, in averſa Tripodem exhibet, quibus in Catanenſium nummis dictum eſt, nihil aliud deſignari, quàm Coloniam ex Naxo deductam, de quâ DIODORUS: *Dum hæc* inquit, *geruntur, Andromachus Tauromenienſis, Timæi Hiſtorici Parens, vir opibus & claritate animi excellens, quicquid exſulum Naxi, quàm Dionyſius exſciderat, reliquum erat, hinc inde congregavit, & collem, qui Naxo Tauri nomine imminet, habitandum illis dedit. Et quia ad longum temporis ſpatium illic ſubſtiterat, à manſione hac in Tauro Tauromenium nuncupavit* ; Quamquam idem aliter ſentire videatur alibi : *Occupârant*, inquit, *hunc* (*Collem, qui Tauri appellationem habet*) *Siculi magno quidem Numero, ſed abs certo Duce. His pridem Naxiorum terram Dionyſius conceſſerat : Sed tunc Imilconis adducti promiſsis Collem hunc inſederant. Quem quòd naturâ munitus eſſet, non modò tunc, ſed etiam poſt bellum, muro circumdatum inhabitârunt, Urbemque à manſione circa Taurum Tauromenium nuncupârunt.* Quem proinde Ph. Cluverius ſui oblitum arbitratus poſteriorem opinionem eligit; Sed neſcio an aliqua hic agnoſcenda ſit contradictio; Duæ enim ò Naxo Tauromenium fuerunt migrationes, Altera Naxiorum, cùm Naxus exſcinderetur à Dionyſio, de quâ loquitur DIODORUS loco priore; Altera Siculorum, quibus Dionyſius, Naxiis ejectis, Naxum conceſſerat, & de hâc

hâc loquitur locus ultimus: nec obſtat, quod Dionyſius illud ſub Olympiade 103. hoc ſub Olympiade 96. narret; Quod enim ſub Olympiade 103. recenſet, non dicit, id eo tempore factum, ſed brevi narratione indicat, à quo initio Tauromenium nomen acceperit & creverit.

PElorum verſus navigantibus occurrit

LII.

MESSANA.

UTrumque Numiſma Leporem exhibet currentem, cum inſcriptione ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ. In averſa prioris Currus eſt unicâ Mulâ vectus, aurigante figurâ, infrà quam folium apparet. Idem planè apud PARUTAM No. 5. habetur. GOLTZIUS eum Anaxilæ Rheginorum Tyranno adſcribit, *qui poſtquam eversâ Zanclâ mille ab ea paſſibus diſtantem Meſſanam condidiſſet, traditâq; ſervo Micyto Rheginorum Republicâ novam Urbem Conſilio & opibus juviſſet, Mulabus in Olympicis Victor evaſit, reverſusque NUMISMA CUM MULABUS ſignari juſſit, cujus pars averſa LEPOREM oſtendit, quòd idem Anaxilas primus in Sicilia Lepores importatos nutricrit, cùm antea ibi non gignerentur.*

In ſecundo Meſſaniorum Numiſmate præter Leporem Polypus & Cicada, quæ apparent, ſitum denotare videntur maritimum, niſi potiùs potentiam navalem arbitreris non minùs, quàm terreſtrem. De Cicada tamen alia forſan diſquiſitio locum meretur. Vel ad Jones ſpectare poteſt, vel ad Rheginos, quorum Anaxilas Tyrannus fuit. Si ad Jones referas, Originem ab Athenienſibus indicabit, quos aureis in ſeriem cicadis uſos ex THUCYDIDE conſtat; Jones autem Zanclam occupâſſe, ab Anaxila inſtigatos, ex Hiſtoria diſcimus; Sed cùm hoc factum ſit, antequam Meſſana conderetur, potiùs ad Rheginos hanc Cicadam referendam exiſtimo, in quorum agro mutas fuiſſe PAUSANIAS Author eſt, cùm in vicino Locrorum Campo vocales eſſent.

AD eandem Meſſanenſium Urbem pertinet Numiſma

LII.

MAMERTINORUM.



MAmertini Gens Campana fuêre, qui ſub Agathocle merentes ſubdolè Meſſanam occupârunt, indeque Mamertinos ſe nuncupârunt. POLYBIUS, *Mamertini*, inquit, (*hoc namque ſibi nomen Campani occupatâ Meſſana indiderunt*,) &c. A Mamerte deducitur appellatio, quo vocabulo Oſcorum linguâ Mars indigitabatur, ſive ob fortitudinem & armorum peritiam, ſive ob Originem ab hoc Deo. Etymologiæ ſanè & Numiſma noſtrum ſuffragatur. In aversâ Martem gradivum cernimus Galeâ, Clypeo & Haſtâ armatum; In adversâ Caput Jovis eſt, aperto argumento, cultum hujus Dei, quem Meſſanenſes ob Originem à Meſſeniis non minùs, ac Rhegini coluére, ſub Mamertinis, gente licet Barbara, non omninò exoleviſſe.

SCYLLA TREMENDA FURIT, FURIT IMPLACATA CHARYBDIS,

Mobilis & Barathri profundo Gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſusque ſub auras
Ejicit alternas, & Sidera verberat undâ.
Heu fuge latrantes, metuenda tonitrua, rictus!
Præſtat aperta Vagi per ſtagna incedere Ponti.

VEla verſus Ortum dirigimus, emenſoque Jonio Cretæ ſubimus litora; Ea ſcilicet, quæ ſinuoſo nobis in Borealibus Inſulæ extremitatibus *pandit Cydonia tractu.*

LIII.

CYDONIATARUM.

DIverſum hoc Numiſma eſt ab iis, quæ GOLTZIUS proponit, non tamen diverſæ

diverſæ in eo res. Adverſa Bacchi capite hederâ cincto inſignis eſt; Averſa Lunam falcatam habet; Utriusque intellectum ſuppeditat Goltzii Interpres Nonnius. Lunam ad Dianæ cultum refert, de quo Ovidius

MINOIA CRETA DIANAM
Vulcanum tellus Hypſipylæa colit.

Bacchi Caput generoſiſſimi Vini hanc Inſulam feracem oſtendit. Hinc Catullus: *Uva* inquit, *quales flava non legit Creta.* Et hodie adhuc palmam cæteris præripere vina Cretica, haud invitus fatebitur, qui Malvaſia guſtavit: ut ita non absque ratione, Diodoro teſte, Bacchum apud ſe natum jactaverint Cretenſes.

AD veſperam Cydoniatarum vicini fuerunt

LIV.

POLYRHENII.

ADverſa Numiſmatis Jovis Caput Laureatum, Averſa Caput Bovis Tridentibus utrinq; appenſis, & in baſi telum continet. De Jovis in Creta Nativitate & educatione pleni ſunt Poëtarum Libri, & tanta ejus celebritas eſt, ut nec Hiſtorici calamum cohibere potuerint. Averſam Cultum concernere credibile eſt, vel Dianæ vel Neptuni. Dianæ Telum addicit, Neptuno Tridentes. Quid ſi Dianæ favore Bovem hunc captum, Neptuno autem immolatum contendas? Eum ex eorum numero eſſe, qui Biſontes vocantur, ſimile caput in Andriorum Numiſmate apud Illuſtrem Spanhemium evincit.

PEr mediterranea procedentibus occurrit

LV.

GORTINE.

GOrtinen à Tauro Cretæ Rege conditam, Matrisque ejus Nomine

dictam, Cedrenus Author est. Numisma Jovis & Minervæ cultum præfert. De illo hactenus. Hanc in Creta ad Tritonis fontes ex Jove ortam esse Diodorus ait. Miratur Nonnius in Cretensium Nummis serpentes observari, cùm tamen nullum animal venenatum in hâc Insulâ fuisse, Solinus asserat. Ille quidem in suo Numismate ad Herculem hunc serpentem refert; Sed in nostro, uti jam suprà diximus, Minervæ sacrum agnoscimus.

METropolis totius Insulæ fuit

LVI.

GNOSSUS.

NUmisma Regis effigiem continet & decantatum Poëtarum fabulis Labyrinthum. Ex Labyrintho agnoscas Regem: Minos est, celeberrimus ille, qui primus Dominium Maris tenuisse, Insulas occupâsse, submotisque Piratis tutam perhibetur præstitisse navigationem. Quanquam enim duos hujus nominis recenseat Diodorus: Alterum Jovis ex Europa Filium, Rhadamanti fratrem, Alterum Primi ex Filio Lycasto Nepotem, quem & ipsum aliqui Jovis esse putaverint; Quanquam etiam ad hunc posteriorem referat matrimonium Pasiphaes, vindictam mortis Androgei contra Athenienses, & alia, quæcunque fabulosa de Minotauro sparguntur, Eundemque & Maris Imperium memorabili Classe obtinuisse dicat; De priore autem Cretenses prædicâsse, memoret, Gnossi, Phæsti & Cydoniæ structuram, Leges latas, & itidem, subactis Insulis, Maris Imperium, & tandem expeditionem in Siciliam Dædalum persequentis, ubi dum Coccalo bellum facessit, ejus stratagemate suffocatus interierit; Quanquam, inquam, Diodorus hæc ita distinguere conetur, tamen ex ipsa narratione patet, antiquitùs etiam hos duos Minoes confusos, unique tributum, quod alterius erat; Quis enim non videt, si primus Dædalum persecutus sit, eidem etiam adscribi debere Matrimonium Pasiphaës, vindictam Androgei, & quæcunque de Minotauro alia, utpote tempore priora?

priora ? Quicquid ſit, Jovis Filium vel ex ipſa faciei Majeſtate agnoſcas. Ferè convenit cum Effigie Jovis Regis, quam in principio hujus operis ex Gemma dedimus.

Labyrinthum ad Exemplum Ægyptii exſtructum quidam apud eundem Diodorum aſſerunt. Ægyptium deſcribit Mela : *Pſammetichi*, inquit, *Opus Labyrinthus Domos ter mille, Regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore exſtructus, ac tectus, unum in ſe deſcenſum habet, intùs fere innumerabiles vias, multis ambagibus huc & illuc remeantibus, ſed continuò anfractu, & ſæpè revocatis porticibus ancipites: Quibus ſubinde alium ſuper alios orbem agentibus, & ſubinde tantum redeunte flexu, quantum proceſſerat, magno & inexplicabili tamen errore perplexus eſt.* Aliis Quatuor memorantur Labyrinthi : Ægyptius, Cretenſis, Lemnius & Italicus. De Ægyptio audivimus ; Lemnius Columnis ſplendidiſſimus erat ; Italicum Porſenna Hetruſcorum Rex exſtruxerat ; Cretenſis, de quo hic nobis ſermo, plus Numiſmatibus debet, quàm Dædalo. Horum ſubſidio perſtat, qui, ut Diodorus ait, vel à Regum quodam deſtructus eſt, vel longinquitate temporis variatus intercidit.

POſt Cretam rurſus *Vela damus ventis* Carpathumque prætervecti ad Rhodum appellimus.

LVII.

RHODIORUM.

OMnia ferè Rhodiorum Numiſmata Caput Solis exhibent, & in averſa Florem. Soli Inſulam hanc ſacram, celeberrimumque ejus in ea Cultum fuiſſe, cuivis notum eſt, ad quem Coloſſi Rhodii fama pervenit. Florem Balauſtio vindicat Ill. Spanhemius ; Alii Roſam arbitrantur, à quâ Rhodi Nomen quibusdam deducitur. Quanquam alii à Rhodo Solis filia, alii à Draconibus, quorum hæc Inſula ferax fuerit, Phœnicio Idiomate denominationem derivent. Diodorus Rhodum Solis non Filiam facit, ſed ſi ita loqui liceat, Amaſiam, adjectâ fabulæ ex naturalibus interpretatione, quòd *ſub primam rerum omnium Conſtitu-*

tionem, cùm Insula cœnosa esset, Sol humore desiccato terram fœcundaverit. Pyndarus in divisione terrarum inter Deos, & Rhodum latuisse canit & Solem abfuisse, cùmque de resortitione ageretur, crescentem è fundo maris Rhodum Soli & visam & obtentam. Quicquid sit, Rhodios Solem Generis sui Authorem jactâsse, Diodorus Author est. Si Solino fides, nulla in hâc Insulâ dies tam nubila, in quâ Sol non oriatur; Inde Poëtis, nec immeritò, CLARA vocatur.

LVIII.

ALIA
RHODIORUM.

Nihil in his Numismatibus novum, præter inscriptiones,& minuta,quæ adjiciuntur signa. Delphinus est, est Uva, Cantharus, Caduceus & Lyra. Lyra ad Apollinem pertinet, Caduceus, nisi Urbis cujusdam nota putetur, vel Dei hujus apud Rhodios Cultum poterit testari, vel laudandam eorum in vario Doctrinarum genere solertiam. Delphinus & Situm indicat & Potentiam,quâ Rhodii celebrantur, Navalem. Uva apud Plinium *Rhodiæ* nomen gerit, quale & *Vinum* nominatur, diciturque *Coo simile*; Coa autem Uva nullius suavitati præ-

præferenda cenſebatur. Cantharus ex vino interpretationem ſumit. Inſcriptiones an Magiſtratuum nomina præferant, an Viros celebrent meritis in Patriam præſtantes, dubium eſt. Dexicrates quidam fuit Athenienſis Poëta Comicus, cujus fragmenta extant apud Athenæum & Suidam. Damas Hiſtoricus Eudemi Rhodii vitam ſcripſit. Artemonis nomine plures inſignes fuere: Hiſtoricus Patria Pergamenus, Alter Clazomenius Teſtudinis & Arietis inventor: Fuit & Pictor nobilis, cujus opera enumerat Plinius, aliique plures ; Sed an & quis horum à Rhodiis celebretur, ſimiliter quò pertineant reliqua, nobis hactenus obſcurum eſt. Judicet peritior !

LIX.

ALIUD

RHODIORUM.

IDem Numiſma videas apud Goltzium. Solem præfert, Tutelarem Rhodiorum Deum. Facies eſt imberbis & radiata, adjecto, ne Solem neges, Sole. Averſa Serapidem exhibet Ægyptiorum Numen, quod cum Sole idem Macrobius aſſerit. De Calatho aliisque ad Serapidem pertinentibus dictum eſt ſuprà.

EX mari Carpathio in Ægæum aſcendimus. Ibi prætervigatâ Cnido Coos aperitur

LX.

COORUM.



NUmiſma ab una parte Caput barbatum, ab altera Serpentem bacillo circumvolutum continens Æſculapium celebrat, quem Coi tantâ

tantâ veneratione coluerunt, ut & delubrum ejus antiquitùs Asylum constituerint. Ne tamen abs ratione id factum credas, Æsculapius ipse cultûs occasionem dedisse fertur, quòd primus medicandi artem Insulæ intulisset. Ab Æsculapio genus traxit & Hippocrates Cous Medicorum facilè Princeps, cujus à Meritis fortè & Æsculapii Gloria crevit. De Serpente Hyginus ait: *Æsculapium, cùm Glaucum cogeretur sanare concluſusque loco quodam ſecreto, quid ageret, cogitaret, adrepentem ad BACULUM ANGUEM iteratis ictibus ad mortem adegiſſe; paulò poſt alterum adveniſſe, herbâque, quam ore attulerat, occiſi capiti impoſitâ eum reſuſcitâſſe, ſimulque aufugiſſe; Eâ herbâ & Æſculapium in Glauco reſuſcitando uſum. SERPENTEM autem & in ÆSCULAPII TUTELAM datum, & in Aſtris collocatum.* Inscriptio Numismatis integra non apparet, ex literis tamen superstitibus KΩIΩN ΚΛΕΟS *Coorum gloria* legendum auguror.

LXI.

ALIUD
COORUM.

DIximus Hippocratem genus ab Æsculapio traxisse: Id Paternum erat. Maternum ab Hercule deducebat. Coi tantâ hominem æstimatione colebant, ut non tantùm ut Deum venerarentur, sed & ab Hercule ejus Progenitore se oriundos jactarent. Rem Numismate hoc firmaveris; Nisi cum Nonnio faciem hanc Leoninis Spoliis ornatam, vel Alexandro Magno vel Cassandro tribuendam existimes.

Cancer sive Pagurus & ipse ex Herculis Historia, ut explicetur, adjuncta Clava jubet. *Cùm Hercules contra Hydram Lernæam depugnaret, CANCRUM ex palude pedem ejus mordicùs arripuiſſe, ideòque ab HERCVLE INTERFECTUM, à Junone autem inter Sidera collocatum*, Hyginus ait. Fabulam an ad Sophistarum oppressionem referas, quorum nugas disciplina Herculis, quem Philosophum quibusdam creditum, suprà diximus, obtriverit, per me licebit.

Relicta

RElictâ Coo, Samoque præternavigatâ Chium tendimus celeberrimam Jonum Coloniam.

LXII.

CHIORUM.

NUmiſma Homerum exhibet ſedentem, & in averſa Sphingem cum Lyrâ. De Homero noti ſunt Verſus, quos Latio donatos ſubjicimus:

Septem Urbes certant de Sede Inſignis HOMERI
Smirna, Rhodus, Colophon, Salamis, CHIOS, Argos, Athenæ.

Sed certent! Chium omnibus palmam præripere, & hoc Numiſma evincit, & rationum teſtimonia, quorum non minimum eſt, quod STRABONI refertur, à Chiis ipſis allegatum: quòd ſcilicet Homeridæ ſive Homeri Poſteri diu poſt Homerum apud ſe floruerint; Et quo pertinet ipſius Homeri effatum in Hymno Apollinis:

Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ
Cœcus Vir, habitat autem Chium ſaxoſam.

Vox οἰκεῖν certè Homero ſæpiùs *non habitare* ſignificat, ſed *Oriundum eſſe.* Has & alias rationes adducit Vir celeberrimus JOAN. OGILBIUS in Anglicanâ Homeri verſione, ubi & Homeri Statuam & noſtrum Numisma laudat, illam quidem cœci, qualem & ipſe in allato carmine ſe vocat; In hâc autem Iliada relegentem, quod cœco minus convenit. De cœcitate Homeri diverſæ ſunt ſententiæ. Quidam cœcum genitum perhibent, ſed hos omnibus ſenſibus orbos eſſe PATERCULUS ait; Alii in Senectute cœcitate laborâſſe, indeque nomen ſortitum, cùm antea Meleſigenes vocaretur; Alii ex oculis eum laborâſſe, at operâ Mentoris Ithacenſis reſtitutum. Hæc ut mitior ſententia forſan locum meruerit, niſi totam de cœcitate Homeri fabulam ex ipſo nomine deducatur, quòd Poëtis inſolitum non eſt.

Sphinx averſæ cum Lyra, Chiorum ſtudium ſignificat in vindicanda Homeri Gloria. NONNIUS miratur, cur Chii Sphinges Numiſ-

matibus ſuis impreſſerint , cùm tamen nihil cum Thebanis habuerint commune ? Tristanus Sphingem peculiarem Chiorum notam arbitratur, doliis impreſſam, aut vaſibus illis, quibus vina Mareotica ab Ægypto delata continebantur ; Sed hunc rejicit Ill. Spanhemius, putatque aut fortitudinis & Induſtriæ , aut ænigmaticæ cujusdam & Oraculis allegoriisque involutæ ſapientiæ hoc Symbolum eſſe, cùm Chii utrâque celebres olim fuerint. Sphinges graphicè depingit Ausonius :

Terruit Aoniam Volucris, Leo, virgo, triformis
Sphinx, Volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Alæ in Sphinge Græcorum apponuntur ad differentiam Ægyptiacæ, quæ alis carebat, & Capite Stolâ velato pingebatur, ut pluribus docet Athanasius Kircherus. Plinius in Æthiopia Sphinges exſtitiſſe ſcribit, *fuſco pilo, mammis in pectore geminis.* Solinus inter Simias cenſet, *Comis villoſas, mammis prominulis & profundis, dociles ad feritatis oblivionem.* Sed hæc figura neque Ægyptiacæ, neque Græcæ Sphingi quadrat , quæ proinde rectiſſimè ingenioſæ vetuſtatis figmentum putatur. De Ægyptia Prælaudatus Athanasius Kircherus ait : Eam Nili inundationem denotare, cujus incrementa cum toto Julio & Auguſto durent, Sol autem iis menſibus maxima ex parte Leonem & Virginem peragret, inde fictioni Originem exſtitiſſe.

LXIII.
ALIUD
CHIORUM.

DE Sphinge modo dictum. In præſenti Numiſmate eadem eſt; Sed adjecta eſt Amphora & Uva : Utramque ad Vini præſtantiam referunt, cujus hæc Inſula feraciſſima fertur, præſertim in Arviſio, unde *Vina Arviſia*, Virgilio. Amphoram, quæ *Diota* dicebatur, indicio eſſe Nonnius arbitratur, vel quòd optima vaſa hîc figulina fuerint parata, vel quòd Vina ſua Chii diffuderint, & in ſimilibus amphoris ſervârint.

Quo CHIUM precio CADUM mercemur ?

Inquit Horatius. Averſa difficilis eſt explicatu ; Neque enim quid nominis

minis HPIΔANOΣ in Chiorum nummis ſit; neque quid ſibi velint lineæ quaterno in quadro ductæ, hactenus notum eſt; Niſi vineas iis præfiguratas arbitreris, eodem modò, quo ſimilem ferè typum in Dyrrachii & Apolloniæ Nummis infrà adferendis ad hortos Alcinoi referimus.

LEsbo præternavigatâ aperitur

LXIV.

TENEDUS.

TEnedus appellari putatur quaſi Τένε Ἕδος, Tenis Sedes, Ejus ſcilicet quem Pater Cycnus à Noverca concitatus arcâ incluſum in mare projecit, ejectumque in Inſulam Leucophrin, (ſic Tenedos antea vocabatur,) incolæ Regem creaverunt, & poſt mortem pro Deo coluêre. Cl. Bochartus mavult Phœniciâ Etymologiâ à *Luti rubedine* derivare, quòd celebres ibi figulinæ fuerint, unde & *Tenedia vaſa* in pretio. In Numiſmate noſtro Caput bifrons eſt, & in averſa Securis inter Uvam & Lyram. De Securi, quæ & ipſa *Tenedia* vocabatur, tres ſententias præd. Bochartus adfert. Prima eſt, Tenedi Regulum Legem *de Adulteris Securi feriendis* in proprium Filium ſtrinxiſſe; Secunda, alium pro tribunali Securim geſtâſſe, quâ reos ſtatim feriret; Tertia, ipſum Tenem Patris ſui Navem ab arbore aut ſaxo religatam, præciſis ſecuri funibus repuliſſe. Sed primam opinionem firmat Numiſma noſtrum; Quid enim per Caput Bifrons aliud intellexeris, quàm Conjugum unitatem ex Mari & Fœmina conglutinatam? Mas barbatus eſt, fœmina imberbis. Scio Bacchum Bifrontem alicui creditum; Cui tamen ſubſcribere vereor, quanquam Uva averſæ non minùs in hâc, quàm in cæteris Maris Ægæi Inſulis vini & Culturam indicet & Præſtantiam. Lyra ad Apollinem Smintheum pertinet, cujus in Tenedo Templum fuiſſe, ex Strabone docemur.

Cherſoneſo ſuperatâ, relictisque Imbro & Samothrace inter Strymonis & Neſſi Oſtia occurrit

LXV.

THASUS.

THaſus, an à Thaſo ſive Neptuni Filio, ſive Cadmi Socio; An autem Phœnicio idiomate ab Auri Bracteis dicatur, aliis dijudicandum relinquimus. Numiſma noſtrum alterâ parte Caput Bacchi Hederâ cinctum præfert, alterâ Herculem exhibet cum clavâ & pelle Leonis ſtantem; Additâ inſcriptione, quæ *Herculem Thaſiorum Servatorem* evincit. Bacchi Caput ad optimum, quo Thaſus nobilitatur, vinum pertinere, jamdudum viderunt, quibus antiquitatis ſuppellectilem paulò accuratiùs contemplari libuit. De Eo PLINIUS: *Apud Thaſios*, inquit, *duo genera Vini diverſa facere prodiderunt, unum quo ſomnus concilietur, alterum verò, quo fugetur. Apud eosdem & vitis Theriace vocatur, cujus & vinum & Uva contra ſerpentum ictus medetur.* De Hercule Thaſiorum teſtatur HERODOTUS, *ſe & Tyri Herculis Templum vidiſſe, cognomine THASII, ET THASI ALIUD A PHOENICIBUS CONDITUM, qui ad inveſtigandum Europam navigantes Thaſum condiderint.*

A Thaſo regreſſi ad Lemnum appellimus, Inſulam Vulcano ſacratam.

LXVI.

LEMNUS.

CAput bifrons quod in Numiſmate eſt, ad duas Urbes referri poſſet, Hephæſtiam & Myrinam, unde Δυόπολιν dictam accepimus; Niſi expedi-

expeditiorem totius Numiſmatis explicandi viam hiſtoriæ ſuppeditarent. Conſtat, Lemnias mulieres initâ Conjuratione omne, quod in Inſula erat, virile hominum genus trucidâſſe, præter unam Hypſipylen, quæ Thoanta Patrem ſervatum navigio impoſuit, tempeſtatumque clementiæ permiſit. Conjuratio in Luco Minervæ facta eſt. Id ex STATIO docemur, cujus hæc ſunt :

Tunc viridis latè LUCUS juga celſa MINERVÆ
Propter opacat humum, niger ipſe, ſed inſuper ingens
Mons premit & geminâ pereunt caligine Soles.
Hîc ſanxêre fidem.

Patrato facinore undique exſtitêre *FOEMINÆ.* Fatetur hoc Hypſipyle

Cuncta rubent tabo, magnæque in mœnibus Urbis
NOS TANTUM.

Hinc facilis eſt conjectura, Palladis Caput, & Caput Bifrons, undique fœmineum, quæ in Numiſmate noſtro apparent, & locum conjurationis denotare, & Statum, in quo poſt cædem fuêre Lemniades. Neque eſt, quòd putes nefandam hanc crudelitatem Lemnios potiùs abolituros, quàm in memoriam revocaturos credi debere ; Præter enim quòd incertum, à quo & quo tempore hæc Numiſmata cuſa ſint; ſub Judice adhuc Lis eſt, annon abominandum facinus eô fine expreſſerint, ut ejus memoriâ creſcentes fœminarum Spiritus cohiberentur. Quicquid ſit, Nos Eubœum petituri *funeſtis excedimus oris.*

LXVII.

EUBOEA.

VAriæ ſunt de Eubœæ appellatione ſententiæ; Nulla tamen verior, quàm quæ à Bubus denominatam aſſerit ; Huic enim & Numiſmata ſuffragantur, quæ omnia Caput Bovis exhibent, & ipſa Regionis qualitas, quæ ante Trojana jam tempora boum paſcuis celebrabatur. Si rei fidem deſideres, APOLLODORUM damus & THUCYDIDEM de his conſulendos. Caput fœmineum, quod in adverſa primi eôdem ferè modô effictum eſt,

quô ſupra in Syracuſarum Numiſmatibus, Arethuſæ in memoriam reducit cognominem in Eubœa fontem, cujus & STRABO meminit. Caput Apollinis ſecundi, ſive *Marmarino* tribuas, ſive *Selinuntio*, ubique ejus cultum contemplaberis. Illius Templum laudatur STRABONI. Hujus & Oraculum, addito Encomio, quod ſit ἀψευδέστατον.

DUarum adhuc in Eubœa Urbium Numiſmata inſpicere libet. Prima ſunt

LXVIII.

ISTIÆÆ.

VEtuſtiſſimam hanc Urbem eſſe ex HOMERO diſcimus, ex quo ſimul tota Numiſmatis noſtri interpretatio dependet. Caput Muliebre pampineis vittis coronatum, quò referas, ſi non ad vitium Culturam, & dulciſſima Bacchi munera? Figuram navi inſidentem quò, ſi non ad potentiam navalem, quâ Iſtiæenſes Trojanis jam temporibus inclaruerant? Audi vatum Principem:

Οἱ δ' Ἔυβοιαν ἔχον, μένεα πνείοντες, Ἄβαντες,
Χαλκίδα τ', Ἐιρετριὰν τε, ΠΟΛΥΣΤΑΦΥΛΟΝ θ' ΙΣΤΙΑΙΑΝ.

Qui autem Eubœam habitabant, robora ſpirantes, Abantes, Chalcidaque, Eretriamque, ABUNDANTEMQUE UVIS ISTIÆAM.

En Iſtiæam enumerat inter eas Urbes, quarum naves ad expeditionem Trojanam convenerunt; Nec enumerat tantùm, imò & πολυστάφυλον vocat, *Uvis abundantem*; Illud averſam Numiſmatis noſtri explicat, hoc adverſam. NONNIUS averſam ad ſecundam Iſtiæenſium fortunam refert, quod & ipſum fortè placebit. *Potentia ſine Fortuna fragilis eſt, ne dicam nulla!*

Sequun-

Sequuntur Numiſmata

LXIX.

ERETRIENSIUM.

NUllum Eretrienſium Numiſma apud Goltzium habetur. Nos Tria egregiæ & Sculpturæ & Raritatis exponimus. Primum Cl. du Choul in Tractatu *de la Religion des Anciens Romains* ad Tauropolia refert, Sacrificia in Dianæ honorem celebrari ſolita, cui facilè ſubſcribimus, cùm affixæ Cornibus, Vittæ Taurum hunc rei ſacræ deſtinatum evincant, & in adverſa ipſum Numen, cui debebatur, appoſitum ſit. *Tauropolon Dianam* appellatam, & Livius Author eſt, & Diodorus. Sacrificia nominabantur *Tauropolia*, & Templum Ταυροπόλιον, id quod ex Strabone adſtruxeris. Sed duplex hîc incidit quæſtio, quarum tamen ſecunda ex prima deciditur. Prima eſt, unde Diana *Tauropolos* dicta ſit ? Secunda, cur Eretrienſes ejus ſacrificium Nummis ſuis impreſſerint, cùm tamen conſtet, Authores citatos partim de Aſia, partim de Inſulâ Aſiæ propinqua loqui ? Quòd primum attinet, tres potiſſimùm opiniones invenimus ; Prima eſt, quòd Diana apud Tauros Scythiæ Gentem colatur ; Secunda, quòd Taurorum gregibus præſit ; Tertia, quòd eadem ſit cum Luna, quàm Tauris vehi Authorum monumenta paſſim obvia teſtantur. Primæ ſuffragatur Diodorus. Secundam & Tertiam noſtro ſcopo conſentaneas arbitramur, cùm ſuprà dictum ſit, Eubœam bobus abundâſſe : Inde ſimul ſecundæ quæſtionis ſolutionem in tuto putamus. De Dianæ in Eubœa, imò in ipſa, de quâ agimus, Urbe, Cultu commodè nobis aſſiſtit Strabo : *Potentiæ*, inquit, *Eretrienſium, quâ fuerunt olim prædiți, teſtimonium perhibet columna, quam in Fano Amarynthiæ DIANÆ dedicaverunt.* Laurea, in quâ Bovem ſacrificio

ſacrificio deſtinatum videmus, ad Dianæ Fratrem Apollinem procul dubio pertinet, de quo idem STRABO : *In Eretrica Ditione Urbs fuit Tamynæ nomine,& FANVM APOLLINIS condit ũ(ut perhibetur) ab Admeto, cui Deus ille ſerviviſſe dicitur, freto vicinum.* Secundi Numiſmatis Bos humi procumbens, quæ hactenus dicta ſunt, confirmare videtur. Nomina Δαμασίας & Φανίας, an Magiſtratuum an Sacerdotum ſint, alii videant. Tertii Numiſmatis Uvæ terræ fœcunditatem deſignant,& Ubertatem vini, in quâ votorum ſuorum complementum quin poſuerint Eretrienſes,ex Inſcriptione vix videtur dubium.

RElicta Eubœa, Icarium Pelagus intramus. Plurima hîc Inſularum Seges deſcendentibus occurrit! Nos earum tantùm rationem habebimus, quarum Numiſmata in Electorali Cimeliarchio nobis preſtò ſunt. Prima eſt

LXX.

TENUS.

NUmiſma ab una parte præfert Caput imberbe & cornutum,eodem ferè modo,quo infra ad Cyrenæorum Nummos viſuri ſumus. Averſa Uvam & tridentem habet. Caput illud cornutum ad Heroem Calliſtagoram quis referat, cujus apud Tenios cultum Clemens Alexandrinus teſtatur. Heroum enim capita cornuta ab Antiquis efficta fuiſſe, non minùs ac Deorum & Fluviorum, jam dudum patet ; Niſi Baccho propter oppoſitæ partis uvam tribuere mavelis. At at ! quid Tridens Aquatici DEI Inſtrumentum cum uva? cùm tamen, ut ATHENÆUS ait, fons hoc in loco fuerit, cujus aqua vino non permiſcebatur ? Ad Cultum Neptuni pertinere crediderim, quem ſub nomine Ἰατρῦ *Medici*, hâc in Inſulâ honoratum, ex dicto Clemente Triſtanus obſervat. Adde & NONNIUM, qui ex STRABONE plura docebit.

In

IN Naxum deſcendimus dedicatam Baccho, quam à Sacrificio, quod Syris *Nicſa*, pro quo Phœnices *Nacſa* ſcripſerint, dictam Bochartus contendit.

LXXI.

NAXIORUM.

NUmiſmata Bacchum barbatum præferunt, & imberbem. Huc faciunt verba Macrobii, quæ jam ſupra attulimus : *Liberi Patris ſimulacra partim puerili ætate, partim Juvenili fingunt, præterea barbatâ ſpecie, ſenili quoque.* Barbatus etiam Diadematus eſt, de quo pulcherrimè Diodorus : *Ad retundendum*, inquit, *ex nimio vini potu dolorem caput obvelavit, hinc cognomen adeptus eſt, quin & Diadematis poſtmodum geſtandi exemplum Regibus ſubminiſtravit.* En egregiam Sacroſancti Diadematis Originem ! Averſa utriusque Bacchum cum Thyrſo & Cantharo ebrium juxta hederam creſcentem exhibet, quem habitum aptè deſcribit Pausanias in Eliacis. *Bacchus*, inquit, *in antro cubat barbatus & poculum aureum tenet, circumſtant eum vites & mala Punica.* Et iterum in Arcadicis : *Alterâ Poculum & alterâ Thyrſum tenet.* Ex his clariſſimè patet, Bacchi hanc figuram eſſe, non Herculis ebrii, quanquam enim ejus in Anthologia mentio fiat, hoc Epigrammate :

Heros hic, qui nunc ſomno eſt, vinoque ſepultus
Centauros madidos ſobrius obiverat.

Quod Nonnio dubitationis cauſa exſtitit, cùm tamen nec facies, nec habitus Herculis ſit, ſed ut modo diximus, Bacchi.

Cur Naxus huic Deo ſacrata ſit, varias apud Authores invenio ſententias, vel quòd Libero hoſpita fuerit, vel quòd cæteras Inſulas fertilitate vitium vicerit, unde & antequam nomen hoc acciperet, Dionyſia dicta eſt. Alii fabuloſos Bacchi & Ariadnes amores adducunt. Alii quòd in ea Bacchus educatus ſit ; Alii alia, de quibus hîc plura ſcri-

bere ſuperſedemus. Omnia ex præſtantiâ & abundantiâ Vini Naxii oriuntur, quam Diodorus ſingularem appellat. Caput imberbe Laureatum eſt, quod Bacchum cum Apolline eundem eſſe, teſtatur. In aversâ Hermes eſt cum adſculpto membro virili, quales, apud Gentes bellicoſas, Seſoſtrem erexiſſe, Diodorus memorat. Nos Libidinem intelligimus, cujus pruritus nullâ re faciliùs accenditur, quàm largiore Bacchici liquoris abuſu.

LXXII.

PARUS.

SUb Naxo Parus eſt, quæ an à Paro quodam, Parrhaſii filio, Arcade dicta ſit, an ab Hebræo *Pera*, quòd Cuniculis ſcateat, ut Bochartus contendit, aliorum Judicium eſto. Numiſma præfert Caput Meduſæ in anteriore parte, in averſa Vaccam. Cur Meduſæ Caput Pariorum nummis appoſitum ſit, ſe prorſus fugere ingenuè fatetur Nonnius, arbitraturque Seriphios potiùs ſua illo inſignire debuiſſe. Fortè ad Coloniam aliquam retuleris, niſi potiùs ad Lapides reſpicias; Lapides aſpectus Capitis Meduſæi dabat; Lapides hæc Inſula ſuo de nomine inſignitos per totum Orbem terrarum mittebat.

Vacca averſæ an ad ligneam Paſiphaës reſpiciat dubitari poteſt, cùm Minos hanc Inſulam ſuo olim Imperio tenuerit. Ex quo tempore, cùm antea Pactia dicta eſſet, quoad Cretenſium Legibus vixit, ab ejus nomine Minoia dicta eſt. Fortè etiam ſacrificii memoriam renovat, quod cùm Minos Gratiis faceret, nunciusque de Androgei nece afferretur, coronam & tibias eum abjeciſſe ferunt. Laurea certè, quæ infrà Vaccam conſpicitur, tale quid ſuadere videtur, cùm Apollodoro narrante, ex hoc Minois facto mos ortus fuerit, ut in Paro Gratiis ſacrificaturi, ſine Tibiis & Coronis Aram accederent.

LXXIII.

LXXIII.

SERIPHIORUM.

DE Chimæra ſuprà ad Gemmam Bellerophontis paulò luculentiùs diſſeruimus. Cauſam cur Seriphii eam ſignârint, ignorant Eruditi, non minùs ac in ſuperiore cauſam ſignatæ Meduſæ. Ill. tamen SPANHEMIUS ad Coloniam quandam ex Corintho deductam refert. Aquilam credibile eſt ad Jovem pertinere, Perſei Parentem, cujus juſſu ranas in hâc Inſulâ obmutuiſſe, fabula eſt.

LOcum relinquimus Exſulum & Relegatorum pœnis non ſecus ac Gyaros deſtinatum, Suniumque prætervecti Peloponneſum ingredimur. Ibi per Mediterranea iter facientibus occurrit

LXXIV.

ARGOS.

ARgos Antiquiſſimi Argivorum Regni Metropolis à Rege Argo Apis Filio dicta fertur : Numiſmata noſtra præter inſcriptionem, quæ nomen Urbis indicat, Clavam, Delphinum, & in alterâ parte Lupum exhibet dimidiatum. Clava ad Heraclidarum in Peloponneſum reditum pertinet, de quo APOLLODORUS : *Peloponneſô*, inquit, *potiti*

Heraclidæ, tres Aras Jovi Patrio excitârunt, in quibus, peractis Sacris, Urbes ſortiti inter ſe partiuntur ; PRIMA itaque SORTITIO fuit ARGOS, ſecunda Lacedæmon, Tertia demum Meſſene. Sed hæc Heraclidarum Dominatio Argis diuturna haud fuit ; Poſteris enim Temeni regnandi libidine corruptis Argivi Regiam Regibus ſuis poteſtatem circumſcripſére, donec & ipſi labente Græciæ libertate in ſervitutem ab externis redacti ſunt.

Delphinum Nonnius in honorem Neptuni προσκλυστίᾳ, cui Delphinus ſacer habebatur, effictum putat. Ejus ad Argos Templum exſtabat ; Rem explicat Pausanias in Corinthiacis : *Exſtat eodem in loco,* inquit, *NEPTUNI Cognomento Prosclyſtii* (id eſt, Inundatoris) *Templum. Diluiſſe enim maximam partem agri eo tempore Neptunum memorant, quo Inachus, quique ei in Conſilio adfuerunt, terram eam Junonis, non Neptuni eſſe debere, pronunciârunt ; At deinde cùm Juno eum exorâſſet, ut mare deduceret, per quem locum unda refluxit, in eo Proſclyſtio Neptuno Templum Argivos erexiſſe.*

Lupus ad Apollinem Lycium pertinet, cujus & ipſius Argis Templum viſebatur. Occaſionem exſtructi audi ex eodem Pausania : *Apud Argivos,* inquit, *longè omnium Templorum eſt nobiliſſimum APOLLINIS LYCII, in quo, quod ætate noſtrâ extat, DEI ſignum, Attali fuit Athenienſis opus. Antiquiſſimum è ligno Danaus dedicavit cum ipsâ æde. Fuiſſe verò illis temporibus ſigna omnia è ligno, & inprimis, quæ Ægyptii feciſſent, crediderim. Ac Lycium quidem APOLLINEM hujusmodi de causâ dedicavit Danaus : Cùm Argos veniſſet, de Regno cum Gelanore Sthenelæ Filio contendit, ac cùm eorum uterque ad populum multa, & ea maximè probabilia, & juri conſentanea dixiſſet, neque omninò, quæ Gelanor afferebat, minùs æqua viderentur, cauſa ampliata eſt in craſtinum ; Poſtero die primâ luce, in boum gregem in pomœrio paſcentium LUPUS impetum fecit ; Atque is Taurum ipſius gregis Ducem adortus eſt : Viſum eſt Argivis Gelanori cum Tauro, cum Lupo eſſe Danao aptiſſimam cònvenientiæ rationem : Quòd ſcilicet, ut Lupus animal eſt homini minimè familiare, ſic propemodum ad id temporis nullâ fuiſſet Danaus Argivorum uſus conſuetudine. Quare cùm Taurum Lupus confeciſſet, è renata Argivi Danao Imperium adjudicârunt. Tunc Danaus LUPUM AB APOLLINE IMMISSUM interpretatus, LYCII APOLLINIS ædem dicavit.*

In

IN Confinio Argivorum & Arcadum aperitur

LXXV.

E V A.

AD Utros pertineat hæc Urbs, obſervante NONNIO, diverſæ Authorum ſententiæ in incerto ponunt. STEPHANUS BYZANTINUS Arcadiæ Urbem ex THEOPOMPO refert, PAUSANIAS Argivorum permagnum vicum, POLYBIUS collem non procul à Sellaſia, quæ Laconum fuit, exiſtimant. Numiſma Caput Palladis galeatum exhibet, & Caput an Cybeles turritum, an ipſius loci? Nihil hîc apud Authores, quod Lucem affundat; non dubito tamen poſterius aſſerere, & in adversâ Minervæ Cultum agnoſcere.

TRanſmiſsâ Arcadiâ, in Elidem properamus. Hîc eminet

LXXVI.

OLYMPIA.

OLympia nullâ re, quàm ludis Jovi ſacratis per orbem celebrior eſt. Numiſma Palladem exhibet, & in aversâ Noctuam cum oleæ & ramo & Coronâ. Miratur NONNIUS, quid Noctua cum Jove? Remque ſibi videtur tetigiſſe, ſi vel ab Athenienſibus numiſma percuſſum exiſtimet, vel in Patris Templo filiæ locum tribuat; Sed pluribus utique rem abſolvit PAUSANIAS, qui *inter aras Olympiacas non unam enumerat MINER-*

VÆ. Nec abs ratione Cultum Minervæ Olympiæ viguiſſe, oleæ ramus declarat ſacrata Minervæ frons, ſolita Victoribus Olympiorum Corona. Niſi fortè ad Olympia Athenienſium reſpicias, quamquam id quâ neceſſitate fiat, non videam.

EX Elide aſcendimus in Regionem

LXXVII.

ACHÆORUM.

ACHæos Origine Phthiotas, & ab Achæo Xuthi Filio denominatos, ejectis Jonibus Regioni à ſe nomen impoſuiſſe, STRABO Author eſt; Numiſmata Jovis Caput Laureatum exhibent, & in aversâ Monogramma in oleâ, niſi Lauream mavelis, cum quibusdam literis, quæ an Prætorum vel Damiurgorum, ſub quibus Nummi cuſi ſint, nomina denotent, aliis dijudicandum damus. Olea communem & Jonum & Achæorum Originem patefacit; Oleam enim Minervæ ſacram & Minervam Athenarum Præſidem modò diximus; Ab Athenienſibus autem utriusque Gentis, quæ hanc Regionem coluere, Origo deducitur. Xuthus Jonis & Achæi Pater Erechthei Athenienſium Regis Filiam duxit. Major Filiorum Achæus Achæis, Minor Jon Jonibus nomen dedit, poſtquam Athenarum gubernacula ſuſcepiſſet. Ille cædis, haud tamen voluntariæ, reus in Laconiam conceſſit; Hîc auctâ multitudine Coloniam in Ægialeam emiſit, quæ inde Jonia dicta eſt; Sed Achæi poſteà ex Laconiâ pulſi, cùm à Cognatis Jonibus non admitterentur, eos pepulerunt, Regionemque à ſe Achajam nominârunt, ut latiùs prædictô locô STRABO teſtatur, cujus verba hîc recoquere ſuperſedemus.

Jupiter

Jupiter adverſæ honorem hujus DEI apud Achæos præcipuum fuiſſe teſtatur, ut rectè vidit Nonnius, quòd ei lucus *Ænarium* dictus conſecratus fuerit, in quo Achæi de Republicâ conſultaturi conventum agitare conſuevisſent. Ejus meminit Strabo : *Hæc*, inquit, *Ægienſium ſunt & Helice, Ænariumque Jovis Lucus, Achæorum deſtinatus Comitiis.*

LXXVIII.

PATRENSIUM.

Hoc Patrenſium Numiſma & Goltzius exhibet, aliâ tamen, an corruptâ cum inſcriptione? Loco Μενέκλεως Μανεκλαδος legit. De Capite barbato dubitat Nonnius, an Hercules an Patræus Heros ſit ? Sed omnem dubitationem amovere videtur Numiſma ipſius Patræi, quod ſuperiore Capite dedimus : Imberbis is eſt tam in adverſâ, ubi ejus Caput, quàm in averſâ, ubi Eques peditem proſternit, cùm Hercules in Goltzii Nummis, ut & in noſtro barbatus exhibeatur ; Niſi illam effigiem Patræi Juvenis cenſeas, quali & ſtatuam poſitam ex Pausania conſtat ; Hanc autem ſenis. Herculem certè quâ ratione in Numiſmatibus ſuis exhibeant Patrenſes, non video ; Cùm enim ex ſuprà dictis palàm ſit, Achæos ab Heraclidis ejectos has ſedes occupâſſe, conſtabit procul dubio, diverſos fuiſſe ab Heraclidis Patrenſes ; Nec magis apparet, quis ille Menecles ſit, qui hîc æternitati ſacratur. Palladem hâc in Urbe ab univerſo Achæorum genere cultam, indeque Panachaida dictam, ejusque ſimulacrum ex auro & ebore ejus in Templo viſendum fuiſſe, Nonnius ex Pausania obſervat.

Poſt

POst Patras litora legentibus occurrit

LXXIX.

ÆGIUM.



NUmiſmatis adversa Teſtudinem præfert, aversâ quadratum in quinque partes ſecat, in quarum unâ & Delphinus occurrit. Teſtudinem in Peloponnenſium Nummis ſignatam eſſe, ex Livio obſervant Viri Docti ; Ubi Titus Quintius, cùm Achæi expeditionem adverſus Zazynthios meditarentur, eos admonuiſſe dicitur, *caverent, ne teſtudinum Caput extra Peloponneſum proferentes in periculum aliquod incidant.* Ejus rei meminit & Plutarchus in Vita Flaminii : Averſæ Partis quadratum in quinque partes diviſum quinque Peloponneſi partes indicat, de quibus Thucydides. Καὶ τοι (Λακεδαίμονες) Πελοποννήσου τῶν πέντε τὰς δύο μοίρας νέμονται. *Et quanquam* (*Lacedæmonii*) *ex QUINQUE PELOPONNESI PARTIBUS duas colunt.* Nec mirandum, in Ægio totius Peloponneſi ſtatum celebrari, cùm labentibus Macedonum rebus commune ibi non Achæorum tantùm, ut ſuprà monuimus, ſed omnium ferè Peloponneſiacorum Concilium convenerit, & in commune conſultaverit. Pausanias, *Tunc quidem*, ait, *conventum omnium Civitatum Ægium edici placuit, quod deletâ eluvionibus Helice jam tum ab initio cæteris Achaicis Civitatibus hac dignatione & opibus præſtabat. Ex aliis verò Græcis primi omnium in ejus Concilii cenſum venere Sicyonii. Poſt eos & alii è Peloponneſo vel ſtatim vel certè aliquandiu cunctati ſe Achivis contribuerunt. Multos etiam ex iis, qui extra Iſthmum erant, in Concilii ſocietatem acciverunt ſecundi Achæorum progreſſus, cùm eos indies viderent meliore uti Fortunâ.*

Superato

SUperato Peloponneſo mare rurſus ingreſſi Echinadasque prætervecti in Leucadiam pervenimus.

LXXX.

LEUCADIORUM

NUmiſmata Navalis rei indicant uſum, nec eſt, quòd vel cum NONNIO dubites, vel ad ſitum reſpicias. THUCYDIDES litem decidit : *Adhæc*, inquit, *rogârunt Megarenſes, ut ſuis navibus Comitatum præſtarent, ſi fortè à Corcyrenſibus interpellarentur. Illi inſtructas commodarunt octo, & Pale Urbs Cephaleniorum quatuor ; Rogati quoque Epidaurii præbuerunt quinque, Hermiones unam, Trœzenii duas, LEUCADII DECEM.* In aversâ Parte Dianam agnoſcit Cl. PATINUS, dubitare pergit NONNIUS, quòd hæc Figura ſeminuda, nec habitu convenientecon-ſpicua ſit ; Sed habitus nihil obſtabit, quò minùs Dianam putemus, cùm falcata luna in ejus Capite, & aſſiſtens cervus Dianam clariſſimè teſtentur. Accedit quòd non venantem hîc, ſed quietam videamus : Id quod dextra præfert, ad piſcem, qui in nummis Urbium maritimarum frequens eſt, referri poſſe Cl. PATINUS arbitratur. In noſtris Nummis cernitur Acroſtilii figura. Cur autem Dianam expreſſerint Leucadii, cauſam ab Origine arceſſendam arbitror. Erat Dorica gens & à Corintho oriunda, uti teſtatur HERODOTUS. Corinthios autem Dianam Epheſiam coluiſſe, ejusque ſignum in foro poſuiſſe ex ligno deauratum, ex PAUSANIA diſcimus : Oraculo monente, ut arbori, in quo Pentheus ſacra Baccharum ſpeculatus eſſet, divinos honores haberent. Non obſtat, quòd hic Dianæ habitus Dianæ Epheſiæ minùs conveniat, credibile enim eſt, Leucadios, ut Dea ſuæ Patriæ propria agnoſceretur, eam pro lubitu ſuo veſtiviſſe.

Laurea Apollini propria eſt, quem Leucatam dictum, cujusque Templum in Leucata Petra fuiſſe, STRABO Author eſt, qui ſimul mirandam hujus Petræ vim & annuum Apollinis ſacrificium pluribus perſequitur. Aquila vel fulmini vel haſtæ inſiſtens, an Jovis Cultum denotet, an hieroglyphicam interpretationem recipiat, alii videant; At quæ in quarto Numiſmate occurrit, præter Aquilam haſtæ inſiſtentem, volucris longiùs collum extollit, quam ut Aquila credi poſſit. Pavonem eſſe, non dubito affirmare, & in memoriam ejus expreſſum, qui in hâc Inſulâ tam perditè virginem quandam amâſſe dicitur, ut illâ è vivis ſublatâ & ipſe mortuus fuerit. ATHENÆUS aſſerti teſtis eſt.

IN Corcyram provehimur.

LXXXI.

CORCYRÆORUM.



HAnc Inſulam HOMERO Σχερίαν & Φαιακίαν, Callimacho Δρέπανον, aliis aliter dictam, NONNIUS obſervat. Corcyram à Corcyra Aſopi Filia, quam eò transtulerit Neptunus, denominatam, DIODORUS Author eſt. Caput Leonina pelle ornatum, quod in Numiſmate videmus, NONNIUS Philippo attribuit; Sed Herculi vindicat, quæ in omnibus ferè eadem eſt, lineamentorum qualitas. Cultum ejus apud Corcyræos præcipuum fuiſſe, hoc teſtimonio non abſurdè forſan quis contendat. Averſa Navalem Gentis potentiam, vel ſi placet, Victoriam denotat: Ex THUCYDIDE utrumque adſtruimus: *Corcyrenſes*, ait, *elati erant, & propter rem Navalem, quâ aliquando multò præſtantiores fuerant, & propter Phæacum, qui priùs Corcyram incoluerant, nauticam gloriam. Quò magis parandæ Claſſi incumbebant: Nec erant parùm validi. Quippe CENTUM EIS AC VIGINTI NAVES fuerunt, quùm bellum incepére.* Et iterum: *Poſtquam Caduceator nihil à Corynthiis pacatum renunciat, & Naves ipſorum expletæ ſunt, numero octoginta (nam Epidamnum*

mnum quadraginta oppugnabant) obviam itur, PUGNAQUE NAVALI commiſsâ CORCYRENSES EGREGIE VINCUNT ac quindecim Corinthiorum Naves corrumpunt.

LXXXII.

ALIUD

CORCYRÆORUM.

BOvem hujus Numiſmatis dimidiatum Nonnius ad eum refert, qui relicto cætero armento, aſſuetis paſcuis egreſſus ad mare, ob Thynnorum copiam quotidie mugitum edidiſſe, & Oraculi juſſu Neptuno immolatus fertur. Rem accipe ex Pausania : *Proditum memoriæ eſt, Corcyræ aliquando aliis bobus relictis, Taurum è paſtu abeuntem, contra pelagus mugitus edidiſſe : Cùmque id ſingulis diebus faceret, bubulcum ad mare deſcendiſſe ; Conſpexiſſe verò infinitum propè Thunnorum numerum. Quod cùm indicâſſet Corcyræis, illi (quòd Thunnos capere conati operam luſerant) ſciſcitatum Delphos miſere ; Ex Apollinis verò reſponſo taurum Neptuno mactant, confectoque mox ſacro piſces capiunt. Donum è Decimâ prædæ in Olympiam & Delphos mittunt.* Averſa duo quadrata ut ſuprà jam diximus, in memoriam revocant hortos Alcinoi Juſtiſſimi Phæacum in Corcyra Regis, de quibus Poëtæ paſſim. Uvam & Cantharam in honorem Bacchi exhiberi Nonnius putat, quòd & ejus in hâc Inſulâ Templum fuerit, & vinum nobile.

De Templo Thucydides teſtatur ;
De Vino Athenæus.

LXXXIII.

ALIUD CORCYRÆORUM.



NIhil in hoc Numiſmate novum, præter Stellam, quæ tamen nec ipsa interpretatione videtur egere: ad Bacchum refert Nonnius. Bacchum cum Sole eundem eſſe, jam ſæpius eſt dictum.

POſt Inſulas terreſtre deinceps Iter facturi ad litus appellimus

LXXXIV.

DYRRACHII.

DYrrachio cùm antea Epidamnum diceretur, Romani hoc nominis dediſſe putantur, quòd incongrua videretur inauſpicata appellatio loci, quem primum ab Italiâ navigantes contingere ſueſſent. Vaccam cum lactante vitulo, frumenti ſpicâ & Uvâ Cl. Nonnius ad Agriculturæ ſtudium refert agrique fertilitatem. Aquila an Romanorum Potentiam, an proprias Imperii vires ſignificat, an denique Jovis honores? Ultimum præferimus, eò quòd crebra in Dyrrachiorum Nummis Jovis mentio. Corona Populea & Uvæ Bacchi & favorem indicant & cultum.

cultum. Tripos Apollini Delphico tribuendus eſt, cujus juſſu Epidamnenſes ſive Dyrrachienſes Corinthiorum poteſtati ſe permiſere. unde ingens illud bellum, quod latius perſecutus eſt THUCYDIDES. Adverſam horum Numiſmatum Alcinoi hortos interpretamur, de quibus paulò ante; Hos enim non Corcyrenſes tantùm, ſed & Dyrrachienſes & Apolloniatæ ſignârunt, non alium in finem, quàm ut ſe â Corcyrenſibus deſcendere ſignificarent; Id quod ex eodem THUCYDIDE docemur.

ORtum verſus Dyrrachio Vicina fuit Apollonia, Urbs tantæ celebritatis, ut Auguſtus in ea non dubitaverit addiſcere & literas & diſciplinam militarem.

LXXXV.

APOLLONIA.

Apolloniatarum à Corcyræis Originem his ex Numiſmatibus per hortos Alcinoi, qui in aversâ habentur, adſtrui, modò diximus; quanquam enim Corinthiorum Coloniam faciat PLINIUS, tamen quæ ita dividuntur conjungenda docet STRABO: à Corinthiis & Corcyræis deductam memorans. Vacca cum lactante vitulo fertilitatis indicium eſt, quam etiam vel inde collegeris, quòd in vicinitate voraginis flammas eructantis herbida & viridante arbore conſita fuiſſe perhibeatur hæc Regio.

PRogredientibus occurrit

LXXXVI.

EPIRUS.

EPirus Doricâ Dialecto in nummis dicitur Ἄπειρος ; Ratio nominis in ſitu putatur, quaſi *totam continentem* diceres. Utrumque obſervat Nonnius, apud quem & indubitata habetur Numiſmatum noſtrorum interpretatio. Jovis vultum ad Dodonæi honorem refert, cujus in illa Regione celebre fuit Oraculum, ſacrataque Jovi ſylva,& in ea arbores, vocales & columbæ fatidicæ, quas ad mulieres fatidicas nonnulli referunt, quæ Theſſalis dicebantur πελειάδαι id eſt *columbæ*. Rem notam pluribus adſtruere ſupervacaneum ducimus. In tertio & quarto Jovis Capiti adjunctum Caput Junonis eſt. Ad eundem Jovem pertinet Aquila & Fulmen. Taurus primi Numiſmatis & Paſcuorum fertilitatem & armentorum venuſtatem exprimit. Ovidius dum inuſitatam Calydonii apri magnitudinem exaggerat :

Quantò, inquit, *majores herbida TAUROS*
Non habet EPIRUS.

Unde & Ulyſſis armenta Homerus in Epiri Campis ponit, & Ariſtoteles ibi tam proceras fuiſſe teſtatur, ut qui emulgere volebat, erectum oportuerit eſſe, aut corpore parùm inclinato.

Per

PEr Acarnaniam descendentibus occurrit

LXXXVII.

ACTIUM.

ACtiorum hoc esse persuadet, quod & in Goltzianis cum inscriptione AKTIΩN habetur, Apri Caput; Quanquam, quid sibi velit hoc Symbolum, incertus sit GOLTZII interpres. Ego ad Calydonium pertinere mihi facile persuadeo; Ab Argonautis enim conditum accepimus celeberrimum, quod in hâc Urbe erat, Apollinis Templum; Argonautarum autem plerique venationis hujus fuére participes. Utrumque ex Hygino haud difficulter adstruxeris.

LXXXVIII.

ÆTOLIA.

ÆToliam ingredimur, quæ *Hyantis* priùs & *Curetis* dicta ab Ætolo Endymionis Filio hoc nominis traxisse dicitur. Caput, quod in adversâ cernitur, Mercurio tribuit NONNIUS. Aversa ad eundem Aprum Calydonium pertinet; Calydonia enim Ætoliæ Civitas fuit. Ipsius venationis seriem, cùm in omnibus ferè Mythographis recenseatur, hîc recoquere supersedeo.

LXXXIX.

LXXXIX.

THESPIENSIUM.

POst Locros & Phocenſes Bœotia jacet. In hâc Theſpiæ ſunt, Urbs ſatis ampla, Muſis, quæ inde Theſpiades dictæ ſunt, conſecrata ; quod ſi non Hiſtoricorum monumenta, noſtrum teſtaretur Numiſma, cujus in adversâ Muſæ cujusdam caput velo tectum , in averſa Lyra cernitur, & Laurea cum Inſcriptione ΘΕΣΠΙΕΩΝ. Fortè ipſius Theſpiæ, Aſopi Filiæ, à quâ Urbi nomen, hoc Simulacrum contendas ; quanquam alii à Theſpio Erechthei Filio appellationem deducant. Ad Muſam revocare videtur averſæ Lyra & Laurea, ubi ſimul Urbis ſitum cognoſcere licet, quem ſub Helicone fuiſſe accepimus. Pausanias, *Urbs*, ait, *infrà HELICONEM montem condita, à THESPIA Aſopi filia vocata fertur. Sunt, qui dicant , Theſpium Athenis Profectum Urbi nomen dediſſe.* Et paulò poſt : *Ibi poſita eſt Heſiodi ex ære ſtatua, & non longè à foro, Victoria ex ære, & MUSARUM DELUBRUM, non utique magnum : Signa in eo è lapide parva.*

THEBAS concedimus Bœotiæ Metropolin

XC.

THEBANORUM.



NUmiſmata interpretatur Nonnius. Vel Herculis celebrant natales, quem Thebis vel genitum vel educatum, indeque Thebanum dictum

ctum accepimus ; Vel Bacchi Cultum, cujus *totis memorabile Thebis nomen erat.* Bacchum primâ fronte arbitraberis, cui & Populus ſacra & Crater, ſolitum bibentium inſtrumentum; quanquam eadem & Herculi ſuffragari poſſint. De Populo Herculis Cap.1.Sect.1. dictum. Crater, Athenæo teſte, *Herculeus* appellatus eſt nominatim apud Bœotios : *Principio*, inquit, *fictiles fuerunt Scyphi, ad quorum imitationem argenteos poſteà ſunt fabricati, BOEOTII primùm, magnæ claritatis & dignitatis, præſertim eos, quos HERCULEOS ideò vocârunt, quia primus genere Bœoticus in expeditionibus Hercules illis uſus ſit , quæ appellationis cauſa eſt. Differunt hi nonnihil ab aliis, quòd auribus inſit NODUS, quem HERCULEUM vocant.*

De Clava res clara eſt. Scuta in memoriam liberatæ à Minyarum Tyrannide Patriæ appicta creduntur ; De quâ re Diodorus Siculus : *Accidit*, inquit, *poſt hæc, ut è Tirynthe expulſus Amphitruo Thebas ſe conferret. Hìc educatur Hercules , hìc inſtituitur, & in Gymnaſiis maximè exercitatur ; Hinc viribus corporis præ omnibus excellens & præclarâ mentis indole percelebris evaſit , jamque annos pubertatis attingens initio Thebis in libertatem aſſertis , dignam Patriæ gratiam exſolvit. Ergino enim Minyarum Regi tum Thebani parebant, qui quotannis,non ſine contumelia , tributum ſibi pactum exigebat. Hercules igitur magnitudine jugi ſervilis nequaquam abſterritus, facinus laude dignum aggreditur; Miſſos enim, qui ſtipendia efflagitarent, cùm petulanter illud agerent, truncatis membris ex Urbe expellit. Mox Ergino Auctorem ad ſupplicium expoſcente, Creon Thebanorum Princeps, (dum adverſariæ molem potentiæ reformidat) ad dedendum reum paratus erat; At Hercules ad recuperandam Patriæ libertatem Juvenes exhortatus ARMA TEMPLIS AFFIXA, quæ de ſpoliis hoſtium majoribus Diis conſecrârant, DETRAHIT ; Nihil enim usquam privatæ armaturæ inveniebatur. Ita Civitatem Minyæ exarmaverant , ut nec Cogitatio Defectionis Thebanis eſſet reliqua. Audito igitur, Erginum cum Exercitu adventare, in anguſto quodam tranſitu, ubi nullus magni agminis uſus, hoſti occurſat, Erginumque ipſum prœlio victum occidit, & univerſas ferè copias ejus delet. Subitò Orchoméniorum quoque Urbem invadit, & per portas illapſus Regiam Minyarum incendit , Oppidumque ſolo æquat: Famâ rei per totam mox Græciam divulgatâ, dum omnes tam inopinati facinoris admiratione capti tenentur : Ipſe etiam Creon, Juvenis virtutem ſuſpiciens, filiam ei Megaram Conjugio ſociat, Urbisque curam ceu filio genuino permittit.*

INtegræ Gentis Numiſma inſpiciamus!

XCI.

BOEOTIORUM.

CAput imberbe Nonnius tribuit Apollini Iſmenio, qui apud Bœotos ſummo colebatur honore; Si eodem modo ſe haberet Numiſma noſtrum, quo ſculpta ſunt Goltziana, eodem id referrem; Sed Corona ſpicea luce meridianâ clarior Cereris hoc Caput eſſe evincit, cujus & Lucus in Bœotia erat Cabyriæ dictus,& Fanum Micaleſſiæ, imò & Legiferæ, de quibus omnibus Pausanias. Averſa Neptunum exhibet, qui dextrâ Delphinum, ſiniſtrâ Tridentem præfert. Neptunum Onchestium Bœotos coluiſſe, ejus Fanum teſtatur apud eundem Pausaniam. *Onchesti quondam habitâſſe dicunt Onchestum Neptuni filium. Ætate quidem meâ Delubrum & ſignum extat Neptuni Onchestii, & lucus, quem ſuis Homerus Carminibus ornavit.* Idem paulò poſt: *Clymenum ipſum, dum feſti dies Onchestii Neptuni agitarentur, Thebani homines ex causâ admodum levi vehementi irâ concitati occiderunt.* Tridens Neptuni Sceptrum eſt, in his tamen Numiſmatibus ſub eo tria, quibus Bœotia alluebatur, & à quibus Τριθάλαττον dictam accepimus, agnoveris Maria. Ephorus apud Strabonem *Bœotiam finitimis præſtare Gentibus* ait, *quòd ſola TRIMARIS ſit, copiâque portuum majore prædita.* Delphinum Neptuno ſacrum eſſe, ſuprà diximus. Scutum quod juxta apparet, Thebis hunc nummum percuſſum oſtendit.

ARdua Cytheronis juga tranſcendimus, Atticum ingreſſuri, cujus Metropolis fuerunt

XCII.

ATHENÆ.

ATheniæ quid celebrent aliud, quàm ſuam Protectricem Minervam, cujus

cujus non nomen tantùm aſſumsêre, ſed & in dominatum conceſſerunt, poſtquàm duodecim Deorum judicio huic Deæ adjudicarentur, quòd Oleam, quam & ipſam hîc cernimus, ea produxiſſet. APOLLODORUS rem paucis, ut ſolet : *NEPTUNUS*, inquit, *in Atticam venit, ac percuſſâ tridente ad mediam arcem terrâ, fretùm repentè exiluit : Id loci Erechteidem vocant. Poſt hunc autem MINERVA comparuit : Quæ lecto à ſe Cecrope occupationis ſuæ teſte, oleam è terrâ produxit, quæ noſtrâ etiam ætate viſitur in Pandroſio. Coortâ deinde inter utrumque contentione ac lite de Urbe, Jupiter MINERVAM NEPTUNUMQUE inter ſe pacavit, iisque non, ut quidam memorant, Cecropem Cranaumque, nec Erichtheum, ſed duodecim Deos hujusce Controverſiæ Judices dedit : quorum ſententiâ Urbs ATHENÆ MINERVÆ adjudicata fuit ; quando primùm ab eâ Oleam Cecropis teſtimonio productam fuiſſe perceperunt. Minerva itaque de ſe ipsâ Athenis nomen impoſuit.*

XCIII.

ALIUD ATHENIENSIUM.

NIhil hoc in Numiſmate novum, niſi quòd utrinque Minervæ exhibeat, illinc Effigiem, hinc Simulacrum, utrinque cum Galeâ, in aversâ ſimul cum Haſtâ & Clypeo, qualis vel in Bella prorumpit, vel ad Tutelam Patriæ vigilat.

XCIV.

ALIUD ATHENIENSIUM.

HOc Numiſma elegantiſſimum ſanè, ſive materiam conſideres, ſive artificioſam antiquitatem, quò referendum ſit, diu dubius hæſi: tandem

ex Capite Minervæ & adjuncto Monogrammate Athenienſibus addixi, an rectè, Peritiores judicent. Averſa Herculem exhibet dextrâ elatâ, ſiniſtram Clavæ innixum, adjuncto Cornucopiæ & Inſcriptione Ὑλαίς. Herculem Athenis in honore fuiſſe, delubrum Cynoſarges apud Pausaniam teſtatur. Neque id immeritò, cùm Minervæ fuerit Alumnus, & quod jam ſæpè dictum, præcipuas ejus auxilio debuerit victorias. De voce Ὑλαίς eadem, quæ de toto Numiſmate, incertitudo. Nullibi id cognominis Herculi datum lego. Fuit quidem Hylæus Centaurus, de quo Poeta:

Et magno HYLÆUM Lapithis crater e minantem;

Sed quid huc faciat, non video. Fortè Ὕλλος legas, explicesque de Hyllo Herculis ex Dejanira filio. Fortè etiam nudam vocabuli ſignificationem rimeris: Ὕλη *Materiem* ſonat aut *ſylvam*, imò & *ea quibus Corpus alitur, & vita ſuſtentatur*: Inde Ὑλαῖος *ſylveſtris* ſive *frondibus luxurians*, an etiam *vitæ neceſſaria ſubminiſtrans*? Si priore ſignificatione cenſeas, haud abſurdè forſan ad clavam retuleris, quam actis radicibus aliquando regerminâſſe, & in Oleaſtrum excreviſſe, Pausanias refert; Si poſteriore, rationem in adjecto Cornucopiæ inveneris, quod & ipſum Herculi Originem debet, uti jam ſuprà dictum eſt.

BOeotis ſuperatis occurrit Regio

XCV.

OPUNTIORUM.

OPuntiorum Urbs primaria Opus, in memoriam Deucalionis, qui & ipſe ita vocabatur, nominata dicitur. Numiſmatis adverſa Caput Deæ cujusdam præfert arundineâ cinctum Coronâ, monili ex aure dependente, eodem planè modo, quo apud Syracuſanos Arethuſam vidimus. Nonnius Venerem interpretatur, & paulò poſt in Locrorum Nummis Junonem Pharygæam, cujus inter Epicnemidios celebre fuerit

rit Templum à Pharygæa Urbe appellatum. Priùs præferendum putamus, præſertim ſi de Venere marina intelligas, cui Effigies hæc haud malè quadrare videtur. Averſa Gladiatorem nudum exhibet clypeo, galeâ & pugione, pugnantis geſtu, conſpicuum; Infrà cujus pedes galea cernitur, in teſtimonium, quòd Locrenſes gladiatoriâ fortitudine præſtiterint: Ita NONNIUS.

IN Phthiotidem ad Oetæ radices aſcendentibus aperitur

XCVI.

HERACLEA.

NUmiſma hoc ut hoc loco exponerem aliud Gazæ Palatinæ fecit cum Inſcriptione HPAKΛEI ΔRAXENIΩN, quod licet genuinum non arbitrer, affabre tamen factum eſt, Herculemque continet, ut & propoſitum tam barbatum, quàm imberbem.

POſt Heracleam confinia tangimus

XCVII.

LAPITHARUM.

LApithas ad Pindum & Othryn montes habitâſſe, antiqui Scriptores teſtantur. Numiſma noſtrum expoſuit Illuſt. SPANHEMIUS, cujus propterea Verba inſerimus : *Egregiè*, inquit, *illuſtrat id, quod à Pri-*

ſcis Grammaticis traditur, ac inter alios ab erudito Apollonii Rhodii Scholiaſte : Hos Lapithas dictos ἀπὸ Λαπίθου καὶ Στίλβης νύμφης, *à Lapitho Apollinis filio ac Stilbe Nympha. Hinc enim Apollo cum ſtella, quæ ad Stilben alludit, illinc Apollinis Lyra. Neque aliter ab hoc Apollinis filio eosdem Lapithas deducebat* DIODORUS ; *Non verò à Lapitho Periphantis filio, ut apud* STEPHANUM *ex Epaphrodito traditur.* Dubium de duplici Π, quod movetur, diluit idem SPANHEMIUS, aſſerens interdum duplici literâ in Nummis ſcribi, quod aliâs ſimplici.

POſt Lapithas, Sperchio ſuperato recordamur

XCVIII.

LAMIÆ.



LAmia mediterranea Theſſaliæ Urbs, à quâ ſinus Lamiacus, imò & bellum, quod Antipater cum Athenienſibus geſſit, nomen traxiſſe perhibetur ; Ea vel ab Lamio Herculis filio, vel ab Lamia Muliere dicta fuit ; Numiſmata Bacchum celebrât, quòd crebra ejus per Theſſaliam munera, quidni & cultus ? Sic apud penſilem Lariſſam vites abundâſſe STRABO teſtatur, cui ea Urbs Ἀμπελόφυλος dicitur.

XCIX.

LARISSA.

LAriſſam aſcendimus Urbem ad Peneum ſitam, quam PAUSANIAS non minùs ac aliam ejusdem nominis à Lariſſâ Pelaſgi filiâ conditam & denomi-

nominatam ſcribit. In Numiſmate Solem exhiberi, Nonnus Author eſt, cui facilè ſubſcribimus. Equum averſæ ad Theſſalos pertinere dubium non habet ullum. De his ita Lucanus :

Primus ab æquorea percuſſis cuſpide ſaxis
Theſſalicus Sonipes bellis feralibus omen
Exiluit.

De Equitatu vide & Polybium & Pausaniam, aliosque. Equum Soli ſacrum apud Perſas canit Ovidius :

Placat EQVO PERSIS radiis Hyberiona cinctum,
Ne detur CELERI victima tarda DEO.

Idem & de Græcis notat Pausanias : *Taygeti vertex ſupra Bryſeas Taletum ſuſtinet, ſacrum Soli appellant: Ibiq; & alias hoſtias & EQVOS SOLI cædunt.* Hæc cùm ita ſint, cùm Theſſali equitatu præſtiterint; Equi autem Soli fuerint ſacrati; mirum non eſt, ſi Princeps Theſſalorum Urbs & Equum & Solem ſuis in Numiſmatibus ſignârit.

C.

THESSALORUM.

TOtius etiam Gentis Nummi inſpiciendi ſunt ! Theſſalorum dico, quos à Theſſalo vel Herculis vel Jaſonis & Medeæ Filio dictos, Authores referunt. Numiſmata Jovem exhibent & Palladem. De Jove notandum, quòd Solino teſte in Olympo ejus Ara fuerit nubes cacumine ſuperans, cujus ſi cineribus quid inſcriberetur, ad revertentis anni ſpatium durabat. Sed & Lariſſæi Jovis ſubit memoria, cujus Strabo meminit. Minerva & Itoniæ cultum denotat, & populi fortitudinem.

CI.

CI.

MACEDONUM.

IN Macedoniam aſcendimus, quam à Macedone Oſyridis Filio nuncupatam, Diodorus Author eſt; Alii à Jovis ex Thya Deucalionis filio nomen derivant. Quatuor olim in Regiones diviſa erat, quarum in prima hunc nummum cuſum ex inſcriptione poſt Nonnium conjicit Cl. Patinus, qui & ipſe eum, præter Goltzium, in Theſauro exhibet. Clava ad Herculem pertinet, quòd ejus in Macedonia Nepotes habitaverint, Regesque Regioni dederint. Diana Deæ cultum & Gentem Deæ æmulam teſtatur. Corona quercea, quæ & ipſa ſuprà ſub Perſeo expreſſa cernitur, cum ſimili utriusque ſculpturâ, iisdem ferè temporibus hunc Nummum adjudicandum ſuadet, & ad Herculis patrem pertinere videtur, de quo ſuprà plura diſſeruimus. Dianæ facie clypeos Macedonum inſignitos obſervat Patinus, quod & hîc cernimus.

CII.

MAGNESIA.

ORientem verſus Magnetes cernimus Maritimam Theſſalorum gentem. Antonius Augustinus nummum noſtrum Meandro tribuit, Tauroque vicinum Magneſiæ Fluvium denotari arbitratur; Sed eo rejecto Nonnius & ſtudium alendorum Equorum hîc agnoſcit, & terræ fertilitatem, unde Lucanus:

Et Magnetes Equis.

Thraciam

THraciam ingredimur, Nesoque Fluvio, qui Thraciam à Macedoniâ disterminat, superato Oceani litora legimus. Hic præcipua, quæ nobis occurrit, Urbs Maronea est. Hanc Alii cum Ismaro Homeri confundunt, Alii ab eâ distinguunt.

CIII.

MARONEA.

MAroneam à Marone Osiridis, quem Bacchum interpretantur, socio conditam, Diodorus Author est. *Secuti sunt*, inquit, *etiam agriculturæ periti, MARO plantandæ vitis.* Et paulò post : *Tum Maronem jam senectâ ætate plantatorum in eâ terrâ curam agere, & Urbem condere sui nominis Maroneam jussit.* Quibus ex verbis simul tota Numismatis nostri explicatio dependet; Ut ita non opus sit plura de vini præstantiâ addere, quâ vel ab Homeri tempore Maronitas inclaruisse, ex Odyssea & Plinio Nonnius observat, qui & explicat, cur Bacchus Soter dicatur: quòd scilicet Græcos in Mysia servâsset; Quanquam & aliud hîc forsitan credideris, magis huic Urbi proprium: scilicet, cùm salus Civitatis ut plurimùm dependeat ex facultatibus ejusdem, Maronea autem præcipuas partes dederit vini Culturæ, crediible est, Bacchum hîc Servatorem dici Μαρωνίτων, quòd servando vindemiam procuret felicitatem publicam : indeque esse crediderim, quòd dextrâ uvam, sinistrâ spicula teneat, & pellem. Spicula enim (Nonnius falsò Thyrsum interpretatur) radios Solares denotare certum est ei, qui Bacchum & Solem idem esse novit. De pelle audiamus eundem Diodorum : *Nonnulli quoque pelle hinnuleâ (quæ Nebris dicitur) ideò Bacchum amictum esse dicunt, ut Astrorum varietas significetur.*

Ad Boſphori fauces occurrit

CIV.

BYZANTIUM.

BYzantii de Origine variæ ſunt Authorum ſententiæ,quas vide apud Nonnium. Nummus noſter primus eam ſtabilire videtur, quæ à Byzante Neptuni filio appellationem deducit. Hinc Neptuni Caput videmus, amatumq; Neptuno Delphinum tridenti circumvolutum ; Niſi ad ſitum hęc vel ad Pelamydes piſces referas,quos celebres ibi fuiſſe, Patinus ex Strabone obſervat, vel ad Capturam Thynnorum, quam hoc in litore nobilem teſtatur Plinius. Nonnius ad navalem potentiam hæc pertinere ſtatuit, quæ tanta fuit,ut quingentas olim naves Byzantini habuiſſe ferantur, obſervante eodem Nonnio.

Primum Numiſma Dianæ Orthoſiæ memoriam reſuſcitat,cujus in hâc Urbe aram fuiſſe ex Herodoto diſcimus. Luciferæ Templum agnoſcit Dionysius Byzantinus apud Petrum Gyllium, quod Lunæ & Stellæ, quæ in aversâ cernuntur, proprium eſt.

SUpra Byzantium Iſtria aperitur Mileſiorum Colonia

CV.

ISTRIA.

IStrianorum hoc Numiſma eſſe,Goltzii Authoritas adſtruit,apud quem ΙΣΤΡΙΗΩΝ legitur, cùm in noſtro ΙΣΡΙΗ,& infra Delphinum A legatur. ΙΣΤΡΙΗ dicitur & Appiano, cui tria in Electorali Gaza Numiſmata

ſmata ſuffragantur ; Neque tamen ad Iſtriam extremam Italiæ, Illyricum verſus, Regionem retuleris, cùm res expreſſæ Thraciæ potiùs conveniant Urbi, quæ in Europæ extremis poſita ſitum ſuum eleganter duplici vultu, altero ortum, altero Occaſum verſus ſpectante præfigurâſſe credi poteſt. Averſa ad potentiam navalem, quâ mari vicina procul dubio præſtitit, referenda videtur ; Aquila enim potentiæ ſymbolum Delphino Maris incolę & roſtrum & ungues infigens quid aliud deſignet ? Unde potiùs eſt, ut PLINIO & AMMIANO MARCELLINO ſubſcribamus, quorum ille *pulcherrimam ejus tractûs*, Hic *potentiſſimam Urbem* appellat; quàm STRABONI, qui πολίχνιον *Oppidulum* vocat ; Quanquam STRABO ex diverſitate temporum ſari poſſit; Sunt enim & Urbibus ſua fata: Quæ olim magnæ erant, earum permultæ factæ ſunt parvæ : Rurſus quæ meâ memoriâ magnæ fuerunt, priùs fuerant parvæ, inquit HERODOTUS.

BYzantium retrogreſſi felicibus Auſpiciis Boſporum transmittimus, Aſiaticarum Urbium Numiſmata contemplaturi. Primam ſe nobis exhibet

CVI.

CHALCEDON.



NUmiſma indubitatæ antiquitatis eſt ; In eo apertè ΧΑΛΚΗΔΩΝ, (K in medio, X autem ab initio) exſtat. Idem & in Goltzianis obſervare eſt. In aliis ΚΑΛΧΗΔΟΝ legitur. Inde palam eſt, utroque modo hoc nominis ſcribi. Apollo, quem cernimus, Laureatus, & ejus in aversâ parte Lyra, vetuſtiſſimum hujus Dei apud Chalcedonenſes cultum indicant, de quo LUCIANUS in Alexandro : *Profecti*, inquit, *Chalcedonem in Apollinis Templo, quod eſt apud Chalcedonios vetuſtiſſimum, æreas defodiunt tabellulas* ; Sed illuſtriorem reddidit hanc Urbem celebratum in ea à 630. Patribus Concilium, quo ab erroneis Eutychi & Dioſcuri & Neſtorii opinionibus Domino noſtro JESU CHRISTO perfecta & hominis & DEI natura, absque ulla vel diviſione vel confuſione, vindicata fuit: Vide CEDREN. Ita Civitas, quæ ante animarum Solem fictitio Solis Deo honorem habuit, immensâ DEI Omnipotentis miſericordiâ eò claritatis pervenit, ut gratiſſimâ refractione ſurgentes contra æ-

ternum illum Solem errorum dispellere posset nebulas ; Quanquam hodie eodem cum reliquis Orientis Urbibus fato densissimâ rursus superstitionis involutâ nocte sub jugo Turcico nihil antiquæ magnitudinis, præter nomen retineat, cætera exiguus vicus, ut PETRUS GYLLIUS testatur.

PRopontidem navigantibus inter alias maritimas Urbes occurrit

CVII.

CYZICUM.

CYzicum & magnitudine & pulchritudine Principibus Asiæ Civitatibus par, Nomen à Cyzico accepit, quem Jason in Colchum navigans occidisse legitur, cujusque effigiem ex nummo exhibet Cl. SEQUINUS in selectis. Leonis rictus fronte in rugas contractâ, qui in nostro est, ad fortitudinem & potentiam Cyzicenorum pertinere potest; Tribus enim armamentariis arma, machinas & frumentum, præcipua belli asservabat subsidia. Maximum sui roboris documentum dedit, cùm Mithradatem maximis Asiæ viribus succinctum terrâ marique sustineret. PIERIUS VALERIANUS Leonem proprium Cyzicenorum Symbolum facere videtur, dum monetam Leone & Cybeles Capite insignitam eam putat, quæ ob sculpturæ elegantiam sub nomine Stateris Cyziceni celebris admodum fuit. Sed nescio an non aptiùs Leonem hunc ad Luculli honores, totumque nummum ad liberatam obsidione Mithradaticâ Cyzicum transferre debeam. Liberatam Urbem indicat Elogium Proserpinæ, quo ΣΩΤΕΙΡΑ in numismate nostro audit. Et ex historiâ constat, hanc Deam non tantùm Urbis Dominam, quòd eam in dotem à Jove accepisset, & præcipuè ibi cultam ; Sed & solvendæ obsidionis, missâ ad sacrificium vaccâ, prænunciam ; Lucullum autem, fugato Mithradate, liberatâque Cyzico etiam in Somnis Leonem vocatum esse :

Quid dormis ANIMOSE LEO, quum proximus adsit
Hinnulus ecce frequens?

Inquit Venus, cujus effato conjecturam nostram haud parùm stabiliri credimus.

dimus. Piſcem vel ad Situm, cùm in cervice peninſulæ conditam Mela teſtetur, vel ad Mithradatem devictum referre licebit, præſertim cùm appictus globus ſit. Mithradatem enim non Terrâ tantùm, ſed & Mari Urbem hanc obſediſſe, indeque pulſum legimus.

HElleſpontum emenſi celebratiſſima Homeri carminibus Trojæ ſubimus litora, in quibus

CVIII.

ALEXANDRIA.

ALexandriam à Paride dictam accepimus, quòd eo in loco Deas judicaverit. Numiſma noſtrum Imperatorum ætate cuſum Inſcriptio teſtatur; Ab Auguſto Coloniam factam Cl. PATINUS obſervat, qui & Equum vel ad libertatem refert, vel ad Equorum feracitatem & præſtantiam, adductis CLAUDIANI verſibus:

Delectus Equorum,
Quos Phrygiæ matres, Argæaque gramina paſtæ
Semine Cappadocum ſacris præſepibus edunt.

EX Troade deſcendendo in mediterranea deflectimus, Hîc ad Caycum eſt

CIX.

PERGAMUS.

PErgamum à Pergamo Achillis Nepote appellavit Antiquitas; Regionem olim Teutraniam dictam Cabiri incoluiſſe perhibentur, circa

Trojani autem belli tempora, cùm Arcades eò perveniſſent, mutatâ Urbis appellatione Pergameni appellati ſunt ; Nummus noſter Minervæ Caput galeatum, & in aversâ Æſculapium exhibet. Utrumque ad cultum referimus. Minervam enim Pergami in honore fuiſſe vel Pruſias apud Polybium docet, qui inter alias cauſas, cur Byzantiis iraſceretur, & hanc poſuit, *quòd ad Attalum PERGAMI REGEM MINERVÆ LUDICRUM CELEBRANTEM ſuos miſiſſent, rem divinam ſimul facturos ; Ad ſe verò Soteriorum Solenne agitantem nemo miſſus fuerit.* De Æſculapio legatur Appianus, ubi ad crudeliſſimas Mithradatis, quibus omnes Jtalici generis interfici jubebantur, per Aſiam emiſſas literas, cœptâ jam lanienâ, eos, qui Pergami degebant, in Templum Æſculapii ſe conjeciſſe, ſed nequicquam ſalute apud Salutis Deum quæſitâ, à Pergamenis confoſſos memorat. Lucianus Æſculapium in hâc Urbe Medicinam exercuiſſe, & Officinam habuiſſe tradit. Barbatus pingitur Æſculapius, qualis & Epidaurienſis fuit, cui Dionysius barbam auream ademiſſe legitur, cauſatus, cùm Apollo Pater ejus imberbis conſpiciatur, incongruum eſſe filio barbam relinqui ; Sed & imberbis Æſculapii ſigillum profert Laur. Pignorius in Symb. Epiſt.

De Baculo & Serpente vide quæ ſupra ad Coorum Nummos diximus: Alii ideò baculum huic DEO tribui exiſtimant, quòd medicina ſit fulcimentum humanæ vitæ ſenſim labantis, & anguis multis remediis ſit accommodatus ; Alii aliter.

In Æolidem deſcendimus, ubi

CX.

MYRINA.

Myrina maritima Urbs, quam ab Amazone conditam, indeque denominatam Diodorus & Strabo affirmant. Goltzius Numiſma primum ad Lemni Urbem refert; ſed non video rationem, cur Lemno potiùs tribuendum ſit quàm Aſiæ, præſertim cùm hâc viâ ejus explicatio planior ſit. Ad Apollinis cultum pertinere & Caput laureatum & Corona ramusq; lauri cum vittis dependentibus indicant, quæ omnia lucem ex Strabone mutuantur, haud procul à Myrina XII. Deorum & conſequenter

ter Apollinis etiam Aras, & paulò poſt apud Grynium, Apollinis fanum & Oraculum vetuſtiſſimum memorante. *Si à ſinûs faucibus in ſinu naviges* LX *ſtadia, ad Myrinam venies, Urbem Æolicam portu aptam. Inde Achæorum portus, ubi Aræ ſunt* XII *Deorum. Oppidulum deinde Myrinæorum Grynium, & Fanum Apollinis, vetuſque Oraculum, & Templum ſumptuoſum ex albo lapide, eousque ſtadia ſunt* XL. *Fuit hîc celebratiſſimus ille APOLLO, qui ſub Grynæi nomine innotuit.* Apud VIRGILIUM Æneas:

- - Italiam magnam GRYNÆVS APOLLO,
Italiam Lyciæ juſſére capeſſere Sortes.

Et SILENUS Ecloga 6.

His tibi GRYNÆI nemoris dicatur Origo,
Ne quis ſit lucus, quo ſe plus jactet APOLLO.

Secundum Numiſma Palladem & Minotaurum præfert, aperto teſtimonio, vel in Athenienſium honorem, vel ab Athenienſibus Myrinæ Dominis cuſum eſſe; Hos enim à Ponto ad mare Pamphylium usque, omnem maritimam oram per annos duo de ſeptuaginta tenuiſſe DIONYSIUS HALICARNASSÆUS teſtatur.

POſt Cumam aperitur

CXI.

PHOCÆA.

PHocæa à Phocenſibus Parnaſſi accolis condita, ingenioſam magis, quàm veram nominis ſui rationem, ſimul cum Urbis fato, hoc Numiſmatis typo propinatura videtur. Phoca Delphino ſimillimum animal exprimitur, Lupi, an alîus feræ, injuriis expoſita. Lupum animal rapax eſſe & injurioſum ſatis conſtat. Phocas in terra genitas undis ex diſciplina aſſuefieri, easdem in terrâ ſpirare & dormire, Authores memorant: Ita Phocenſes cùm maritimam Aſiæ Regionem occupâſſent, in terrâ quaſi geniti, Urbe conditâ, in eam paulatim aſſurrexêre potentiam, ut & maris uſu potirentur. Id apparet ex deſcriptione, quam apud LIVIUM hujus Urbis exſtantem huc tranſponimus. *Claſſis Romana ab Chio Phocæam trajecit. In ſinu maris intimo poſita hæc Urbs eſt, oblongâ formâ, duûm millium*

millium & quingentorum paſſuum ſpatium murus amplectitur : Coit deinde ex utraque parte in arctiorem velut cuneum , Lamptera ipſi appellant. Mille & ducentos paſſus ibi latitudo patet. Inde in altum Lingua mille paſſuum excurrens medium ferè ſinum velut nota diſtinguit. Ubi cohæret faucibus angustis, duos in utramque Regionem verſos portus tutiſſimos habet. Qui in meridiem vergit, Naustathmos ab re appellatur, quia ingentem vim navium capit : Alter propè ipſum Lamptera eſt. Hos portus tutiſſimos cùm occupâſſet Romana Claſsis &c. En duos portus, qui ingentem vim navium capiunt ! Ad quid portus, niſi & re navali potentes fuiſſent? Sed antiquitùs jam rei navalis ſe peritos oſtenderunt, quando ab Harpago fugati Jtaliam per tanta fluctuum ſpatia petere auſi ſunt. Hinc palam eſt, non nomen tantùm cum nomine, ſed & fortunam Phocæenſium cum hujus animalis natura convenire, aptèque ſub eo intelligi.

His ita adſtructis & cum præſenti Numiſmate collatis, conſequens eſt, ut Phocæenſes hoc typo crudelitatem & injuſtitiam alicui vel Populo vel Regi, cujus ſuperbiam experti erant, exprobrare dicamus. Quid enim Lupus Phocam pede conculcans & avidis appetens faucibus aliud deſignet ? Duas potiſſimùm Phocæenſium clades apud Hiſtoricos invenimus: alteram Cyri tempore, quæ crudelitatis, alteram Romanorum, quæ injuſtitiæ notam præ ſe fert. De poſteriore ne Romanus quidem Scriptor tacere poteſt, quicquid etiam ad excuſandum facinus adferat. Audiamus Livium : *Tum* inquit, *portas aperuerunt, pacti ne quid hoſtile paterentur. Cùm ſigna in Urbem inferrentur, & pronunciâſſet Prætor, parci ſe deditis velle, clamor undique eſt ſublatus : Indignum facinus eſſe, Phocæenſes nunquam fidos ſocios, ſemper infeſtos hoſtes, impunè eludere. Ab hâc voce, velut ſigno à Prætore dato, ad diripiendam Urbem paſsim diſcurrerunt. Æmilius primò reſiſtere & revocare, dicendo: Captas, non deditas, diripi Urbes ; Et in his tamen arbitrium eſſe Imperatoris, non militum. Poſteaquam ira & avaritia Imperio potentiora erant , Præconibus per Urbem miſsis , liberos omnes in forum ad ſe convenire jubet, ne violarentur.* En Romanorum in Phocæenſes injurias ! Quis Romanos ſub Lupo non intelligat ? Martium hoc animal primævis eorum Conditoribus ubera præbuit : Ut ita haud absque ratione Lupinam cum Lacte crudelitatem & Poſteris inſtillatam, Phocæenſes hoc typo videantur cavillati.

CXII.

CXII.

SMYRNÆORUM.

SMyrna nos vocat! Hanc Urbem quidam à Tantalo Jove orto, Alii à Theſeo & ipſo divinæ ſtirpis, Alii ab Amazonum unâ, teſte TACITO, conditam perhibent Amazonem præfert Numiſma noſtrum. Idem & SEGUINUS in Selectis exponit, Amazonique vindicat, & Leonem ad bellicam Amazonum virtutem refert, quæ tanta fuit, ut Herculi, JUSTINO narrante, Rex, cui XII. ſtipendia debebat, quaſi impoſsibile imperaverit, ut arma Reginæ Amazonum afferret. Notandus mos Amazonum, quo Securim, qualis & in nummo hoc conſpicitur, portârunt. Talem & Herculem Hippolytæ abſtuliſſe, ſuprà ad Hecatomni nummum ex PLUTARCHO diximus.

CXIII.

ALIUD SMYRNÆORUM.

IN numiſmatis hujus parte anteriore ZEYΣ AKPAIOΣ *JUPPITER, qui arci præſidebat*, exhibetur, cujus in honorem procul dubio Olympia facta ſunt, quæ Smyrnæ ab Jonibus celebrata, ALBERTUS RUBENIUS de Urbibus Neocoris ex PHILOSTRATO aliisque obſervat. De Jove Acræo videatur TRISTANUS, ubi Smyrnæorum tutelarem fuiſſe, latius probat. Pallas quæ dextrâ pateram ſuper arâ litantis habitu, ſiniſtrâ haſtam tenet, procul dubio ad Athenienſes Jonum Authores reſpicit, quorum peculiare fuit Numen. Crebra certè apud Joniæ Civitates hujus Deæ veneratio: Ejus Templum apud Phocæenſes erat mirandum aſpectu, apud Prienenſes viſu

volupe propter ſignum. Erythræi ædè Minervæ Poliadis gloriabantur, cujus è ligno ſimulacrum eximiâ magnitudine, in Solio ſedens, utrâq; manu colum, capite polum geſtabat, opus Endæi, uti ex PAUSANIA conſtat; Nec dubium eſt, quin & reliquæ Joniæ Civitates eodem cultu Metropolis ſuæ Præſidem dignatæ ſint.

CXIV.

TERTIUM SMYRNÆORUM.

NUmiſma hoc & magnitudine & Elegantiâ reliqua ſuperat, quanquam nihil adeò memorandum eo exhibeatur. De Capite turrito jam dictum. Corona an ex Smyrnio plexa ſit, de quo tanta inter Botanicos rixa, videant quibus hæc examinandi & otium ſuppetit & acies.

IN mediterranea digreſſi Lydiam intramus, cujus incolas primò Mejonas, poſt Mæonas, à Mæone Rege, Cybeles patre, appellatos, ex STRABONE & DIODORO conſtat.

CXV.

MÆONUM.

LYdia ante Mermnadas paruit Heraclidis, quorum Rex primus Argon fuit, Herculis ex Alcæo Pronepote abnepos. Sed ad hos Hercules, qui in nummo noſtro habetur, reſpicere non poteſt, cùm eorum tempore non ampliùs Mæonia, ut inſcriptio habet, ſed Lydia dicta fuerit hæc Regio. Potiùs eſt,

eſt, ut ad Herculis & Omphales amores referamus, præſertim cùm in aversâ figuram videamus clavâ quidem Herculis conſpicuam & Leonis pelle, ſed artus tenuiores habentem, quàm ut Herculis credi poſsint, pellucidâ amictam tunicâ, ferè qualiter Omphalem deſcribit Ovidius *Faſtorum* 2.

Ibat odoratis humeros perfuſa capillis
Mæonis, aurato conſpicienda ſinu.

Et paulò poſt:

Ipſa capit clavamque gravem ſpoliumque Leonis.

REgia Lydorum fuêre

CXVI.

SARDES.

SEcundum Sardianorum Numiſma figuram palliatam & barbatam exhibet, quam Jovem Carium arbitramur, de quo ſupra ; Ex Herodoto enim, ut ad Hecatomni nummum monuimus, Lydos Carum Germanos fuiſſe, eodemque Jovis fano uſos diſcimus. Primum numiſma ab unâ parte Venerem exhibet, refricatque memoriam libidinis Sardianorum, quos & filias ſuas proſtituiſſe, fœminas caſtrâſſe, Smyrnæorum Uxores ad concubitum poſtulâſſe legimus. De filiabus proſtitutis vide Herodotum, De Uxoribus Smyrnæorum Plutarchum. In aversâ parte figura nuda vaſi inſidet, dextrâ vaſculum, & ſiniſtrâ puerulum ſiniſtro pedi inſidentem tenet. Ad Bacchum hæc pertinere duplex vas abundè teſtatur. Crediderim figuram illam, quam ſenilem ex Calvicie & barba agnoſcimus, Silenum eſſe, à quo Bacchum educatum Poëtarum figmenta tradunt ; Niſi ipſum Bacchum contendas, ut hâc ratione Lydi ſe Bacchi beneficio nutritos teſtati credantur. Quicquid ſit, Vini & præſtantiam & abundantiam hoc typo præfigurari facilè perſuadebitur, cui illud Virgilii cognitum eſt:

Cape Mæonii Carcheſia Bacchi.

Scilicet in Tmolo monte Sardibus vicino celeberrima Vina fuiſſe, teſtatur Strabo. *Quin*, inquit, *& Epheſium & Metropolites vina præſtantia ſunt, & Meſogis, TMOLUS, Catacecaumene, Cnidus, Smyrna, aliaq;*

obſcuriora loca vino excellunt, ſive ad jucunditatem, ſive ad uſus Medicos requiras. Inde & Ovidius :

Jam Bacchêa, nemus TMOLI, vineta tenebat
Heſperus.

PRopè Sardes occurrit

CXVII.

PHILADELPHIA.

PHiladelphiæ hoc numiſma explicat Cl. Patinus. Effigiem Diadematam Populum exiſtimat non Philadelphenſem, ſed Romanum. Idem & ait, Averſæ Dianam præcipuum Lydorum Numen eſſe, quod facilè damus, cùm non tantùm Deæ ſignum numiſmatibus impreſſerint, ſed & Neocororum appellatione veniant, ex quâ palàm eſt, Philadelphenſes non tantùm Deam hanc coluiſſe, ſed & ejus templum in terris eorum Solenni Lydorum cultu frequentatum extitiſſe; hoc enim vocem Neocororum ſibi velle, latiùs probat Albertus Rubenius in doctiſſima diatribe de Urbibus Neocoris.

AD mare regreſſis propè Cayſtrum occurrit

CXVIII.

EPHESUS.

EPheſus celeberrimum olim totius Aſiæ citerioris Emporium fuit, cultuq; & templo Dianæ imprimis nobile, quod poſterius inter orbis miranda connumeratum Heroſtratus quidam eodem die, quô Alexander M. natus eſt, ut ſibi famam hôc factô conciliaret, incendiſſe legitur. Numiſma noſtrum in Symbolis Epiſtolicis Doctiſſ. Laur. Pignorius expoſuit, ſed cum diversâ inſcriptione, quæ ibi APIΣTAΓOPHΣ habet, cùm in noſtro

noſtro legatur ΜΕΝΕΣΙΠΠΟΣ, quæ voces vel ad Magiſtratuum quosdam pertinent, vel ad Androcli poſteros, quos Jonum Reges fuiſſe, Regiamque ſuam Epheſi habuiſſe, purpurâ & ſcipione uſos, primumque in conventibus locum obtinuiſſe, STRABO teſtatur. Palma & Cervus Dianæ Symbola ſunt; De Cervo res clara eſt; De Palma verò obſcurior. Lucem fortè commodabit HOMERUS, cujus, in Hymno Apollinis, interprete Didymo, hæc ſunt:

Salve ô beata Latona, quoniam peperiſti præclaros liberos,
Apollinemque Regem, & Dianam ſagittis lætam;
Hanc quidem Ortygiæ, illum verò aſpera in Delo
Inclinata ad longum montem & Cynthium collem,
Proximè PALMAM ſub Inopi fluentis.

Et paulò poſt:

Circa autem PALMAM ejecit manus, genua autem fixit
Prato in molli, ſubriſit autem Terra ſubtus.

Epheſii apud TACITUM memorant: *Non, ut vulgus crederet, DIANAM atque APOLLINEM Delo genitos: Apud ſe Cenchrium amnem & locum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam, & Oleæ, quæ tum etiam maneat, adniſam edidiſſe ea Numina: Deorumq; monitu ſacratum nemus.* Hæc narratio nobis favorabilior foret, niſi Latonam pro Palma Oleæ adnixam aſſereret. STRABO omnis generis arbores in luco Epheſio fuiſſe teſtatur; Quidni fuerit & Palma? Credibile ſanè eſt, Epheſios, ut ad Claritatem Templo & Urbi ſuæ conciliandam fabulam de Latonæ partu à Delo in ſuas terras traducerent, Poſterisque fidem facerent, pleraque obſervâſſe, quibus fabulæ ſeries conſtabat; neque enim Jupiter Amphitruonis felicitate faciliùs potiri poterat, quàm Perſonam ejus induendo.

Averſa Numiſmatis Apem exhibet, quam eruditè, ut ſolet, explicat prælaudatus PIGNORIUS Epiſtolâ 48. cujus propterea verba hîc adſcribenda ducimus. *Athenæ Atticæ, illæ frugum & humanitatis parentes, ex reſpõnſis Apollinis Delphici tredecim Colonias uno tempore in Aſiam deduxerunt, Duce Jone Xuthi & Creuſæ filio, uti Vitruvius Lib. 4. cap. 1. teſtatum reliquit, cui adſtipulatur & Vellejus Paterculus lib. 1. Hiſt. Claſſis autem Duces fuerunt MUSÆ SUB APUM SPECIE, ut inquit Philoſtratus in Melete. Coloniarum verò illarum primaria fuit Epheſus, Vitruvio & Paterculo teſtibus, celeberrima illa Chriſtianorum primitivo conventu Act. Apoſt.* XX. *& Johannis Evangeliſtæ morâ & morte; maximum illud Aſiæ Emporium, ut ait L.*XIV. *Strabo, quod attingere Proconſuli in Aſiam proficiſcenti neceſſarium fuit, ut ſcribit Ulpianus* L. IV. *de*

Offic. Proc. & Leg. quodque frequens eſt apud Ictos in facti, ut appellant, ſpeciebus. Ideò Epheſii Apis imagine nummos ſuos ſignârunt, & celeberrimis Dianæ Symbolis. Voluerunt quippe rependere beneficium Muſis illuſtri hâc & diu manſurâ teſtificatione. Quænam verò fuerit hæc ſpecies Apum, neminem vidi, qui explicaret. Ego ſanè arbitror, fuiſſe examen, ut vocabant, quod contra Haruſpicum vanitatem proſperum etiam aliquando fuiſſe teſtatus eſt PLINIUS Lib. XI. cap. XVII. *Erant enim apes Coloniarum èmiſſarum notæ, ut ex* PLATONE *&* ÆLIANO *à Viris eruditis pridem annotatum eſt.* Et paulò poſt : *Verùm hæc omnia conniſus eſt oppugnare vir doctiſſimus & accuratiſſimus J. Lipſius ; Is enim in notis ad Vellejum Paterculum negat diſertè, Jonem Xuthi fuiſſe conditorem Urbium Jonicarum. Hanc enim migrationem ſpectare ad Nileum & Codridas. Hoc ille probat authoritate Strabonis, Pauſaniæ, Plutarchi, Tertuliani, Ammiani, quos ego ſanè omnes præ Nummis veteribus, Herodoto, Vitruvio & Vellejo, parvifacio.*

EPheſiorum vicini fuére

CXIX.

HIERAPOLITANI.

NUmiſma primum an huic, an alii cognomini tribuendum Urbi, dubium eſt ; Neque enim vel ex Capite, quod Veneris auguror eſſe, neque ex impreſſo raptu Proſerpinæ certi quid apparet. Secundum Hierapolitanorum cum Epheſiis concordiam celebrat. Caput velatum & laureatum fœderis ſanctitatem indicat, Averſa ſperatam ex concordiâ Victoriam, niſi mavelis ad Victoriæ cultum reſpicere, quem vocabulo ΝΕΩ-ΚΟΡΩΝ Sibi vindicent Hieropolitani.

Cariâ

CAriâ ad Dextram relictâ, Lyciâque transmiſſâ in Pamphyliam pervenimus, cujus Oppidum inter Ceſtrum & Cataracten fluvios fuit

CXX.

PERGA.

Dlanæ vides hinc Simulacrum, illinc Effigiem, utrinque venatricis, non tamen qualis feras ſolet inſectari, ſed qualis venatione peractâ Victoriam jactare. Additum eſt & Nomen, & ex Cultoribus honos. Pergæa dicitur, quam Vossius ex STEPHANO etiam Pergaſiam vocatam aſſerit. Hanc Pergæ ſingulis annis ſacro celebratam Conventu, STRABO ait. Templum ſanctiſſimum ponè Urbem in loco ſublimi ſitam, CICERONIS teſtimonio patet.

CIlliciâ peragratâ Syriam ingredimur, ubi ad Orontis Oſtium occurrit

CXXI.

SELEUCIA.

SEleucia à Conditore Seleuco denominata eſt, cujus & cineres ibidem conſecrâſſe legitur Antiochus Filius. Numiſma noſtrum etiam CHOULIUS dedit, ſed absque inſcriptione; Averſa tamen clara nobis eſt, ſed averſam circa Cybeles Caput, aut ſi mavis Urbis typum, nondum aſſequimur; Illa talis eſt ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ *Seleuciæ Sanctæ & ſuis legibus viventis.* Alia apud SPANHEMIUM Ἐλευτεραν *Liberam* vocant; Sed hæc diverſa eſſe, inde colligitur, quòd Seleucia Αὐτόνομος facta ſit 43. ferè annis antequam *Libera.* Utrumque notat Cl. VAILLANT *de Regibus Syriæ*; Illius tempus annum 4. Olymp. 167. ſive 204. Seleucidarum determinando hujus annum Seleucid. 249.

Fulmen

Fulmen, quod ſellæ impoſitum cernimus, primam Urbis conſecrationem nobis in memoriam revocat, quâ Seleucus Fulmini, cujus in condendâ augurium ſecutus erat, eam dedicâſſe legitur. Teſtatur id APPIANUS: *Ajunt in condenda ad mare Seleuciâ, ſecutum augurium fulminis, ideoq; IBI FULMEN TANQUAM NUMEN CONSECRATU Mhodieq; coli hymnis propriis ac ceremoniis.*

AD eundem Fluvium ſita eſt

CXXII.

ANTIOCHIA.

ANtiochiam præcipuam Syriæ Urbem, unde & in Nummis noſtris Μητρόπολις dicitur, tertium in Romano Orbe locum obtinuiſſe PATINUS ad Nummum Veſpaſiani æreum, ex Egeſippo & Joſepho docet. Ara procul dubio Seleuci Nicatoris conditoris ſui cultum deſignat, de quo STRABO: *Antiochenſes Seleucum ut Heroem colunt, & in Caſio Monte apud Seleuciam feſtum ei diem agunt.* Literæ adjectæ annum æræ Seleucidarum deſignant, ſic ET. EP. 105 ET ΔIP. 114. ET AKP. 121. anno cuſum Numiſma oſtendunt.

CXXIII.

ALIUD ANTIOCHIÆ.

IUppiter ſecundi Numiſmatis ejus DEI cultum deſignat, quem Antiochiæ

chiæ ſummum fuiſſe, ex JUSTINO colligimus, cujus hæc ſunt : *Fit denique inter Reges prælium, quò victus Alexander Antiochiam perfugit : Ibi inops pecuniæ, cùm ſtipendia militibus deeſſent, TEMPLO JOVIS ſolidum ex auro VICTORIÆ SIGNUM tolli jubet, facetis jocis ſacrilegium circumſcribens; Nam VICTORIAM COMMODATAM SIBI AB JOVE eſſe dicebat : Interjectis deinde diebus, cùm IPSIUS JOVIS SIMULACRUM infiniti ponderis tacitè evelli juſſiſſet, deprehenſusque in ſacrilegio, concurſu multitudinis eſſet, in fugam verſus, magnâ vi tempeſtatis oppreſſus, ac deſertus à ſuis, à latronibus capitur, perductusque ad Grypum interficitur.* Quid concinnius ad Nummum dici poteſt, JOVIS Statuam cum victoriolâ exhibentem.

AD mare regreſſis occurrit

CXXIV.

BERYTUS.

HUjus Urbis parvâ admodum ante Imperatores in Hiſtoricis memoria, quanquam antiquiſſimæ. Nomen vel à *puteo*, vel à *robore* deductum arbitratur BOCHARTUS. Nummus noſter vexillo inſignis eſt, inter duos pileos erecto, quod procul dubio ad libertatem Urbis pertinet ; Sed in tantâ hiſtoriæ caligine difficile eſt certis eam temporibus addicere.

CXXV.

SIDON.

SIdonem in ſacris ob amplitudinem *Magnam* appellari ſcimus. Nomen JUSTINUS à *Piſcium ubertate* deducit: Alii à *Sidone Chanaanis Filio*,

cujus Gen. 10. ℣. 15. mentio extat. Sed JUSTINI ſententiam præferendam cenſet BOCHARTUS. Nummus præter Caput turritum Cybeles, aut Urbis potiùs, Aquilam in averſa habet, Navis proræ & Fulmini inſiſtentem, ex quibus Palmæ ramus excreſcit. Procul dubio hæc Imperium & potentiam navalem Sidoniorum, indeque orientem vel ortam victoriarum ſignificant gloriam. Conſtat Phœnices antiquitùs omnia Maris Mediterranei litora pervagatos, & non Inſulas tantùm Coloniis ſuis impleviſſe, ſed & Aſiam, Europam Africamque vallâſſe: Vide doctiſſimum BOCHARTI Tractatum, quem *Chanaan* ſive *de Coloniis & ſermone Phœnicum* inſcripſit. De potentiâ navali teſtatur & DIODORUS: *Phœnices*, inquit, *à vetuſtiſſimis inde temporibus frequenter crebras mercaturæ gratiâ navigationes inſtituerunt; Quo factum, ut multarum in Africâ Coloniarum, nec paucarum in his Europæ partibus, quæ ad occidentem vergunt, auctores fierent. Cùmq; incepta ex animi ſententiâ cederent, magnis ditati opibus, extrà quoq; Columnas Herculis in Mare, quod Oceani nomen habet, excurrerunt. Ac primum juxta ipſum ad Columnas fretum, in Europæ peninſulâ Urbem poſuére, Gades nuncupatam.*

CXXVI.

ALIUD
SIDONIORUM.

CAput fœmineum hîc eſt, Coronâ cinctum nobis hactenus incognitâ. Averſa eandem Coronam exhibet, & in eâ aram cum ſubſcriptione ΣΙΔΟΝΟΣ ΘΕΑΣ. Aſtarte apud Sidonios colebatur. Ea aliis Venus putabatur, aliis Juno, aliis alia: Vide latiùs SELDENUM *in Tractatu abſolutiſſimo de Diis Syris.* Europam hoc nomine eis cultam LUCIANUS ait, quod Nummo etiam Trajani confirmatur apud Cl. PATINUM. Eandem huic Numiſmati impreſſam credi debere, quidam arbitratus eſt; Sed dubium movet inſcriptio, quæ potiùs Urbem ipſam divinis honoribus innuit cultam.

In

IN Ægyptum trajicimus Cyrenen revisuri

CXXVI.

CYRENE.

A Batto hanc Urbem & conditam,& à Cyrene Nympha denominatam suprà ad Caput, quod etiam in hoc Nummo apparet, turritum diximus. Aversa Caput, non Regis cujusdam exhibet, sed Minervæ. Minerva remotiorem Urbis hujus Originem ostendit, uti Caput turritum proximiorem. Audi PAUSANIAM : *Est ejusdem Minervæ ædes altera,in viâ, quæ è Dromo ad lævam fert. Dicatam tradunt à Therâ Autesionis Filio, Tisameni Nepote, Pronepote Thersandri, quo tempore Coloniam deduxit in eam Insulam,quæ de ipsius nomine Thera nuncupatur, priscis verò temporibus Callistè fuit.* En ! Minervæ Ædem condidit Thera in Callisten navigaturus. Minervæ, cujus Caput in Cyrenæorum Nummo. Quis ex his non colligit, Minervæ cultum à Therâ in Theram , à Batto autem ex Therâ in Cyrenaicam simul cum Colonis translatum, & ità utramque Cyrenæorum Originem hoc Nummo præfiguratam esse ?

CXXVII.

ALIA CYRENÆORUM.

CAput imberbe & cornutum , quod his in Numismatibus est Cl. LE POIS Jovis Ammonis interpretatur , quem barbatum & imberbem

berbem finxerint Antiqui. Alii Batto tribuunt Conditori. Averſa Sylphium exhibet, quod *Laſerpicium* dici & in Cyrenaica Regione tantùm, & ſpontè creſcere, magnificumque in uſu medicamentisque eſſe, PATINUS ex PLINIO probat. CATULLUS:

Quàm magnus numerus Lybiſſæ arenæ
LASERPITIFERIS jacet CYRENIS.

In primo duo Soles appoſiti ſunt, quos ad Apollinis cultum referimus, cujus Sacerdotes fieri nec Reges aſpernati ſunt. De Ptolomæo Evergete teſtatur ATHENÆUS. Concurrit & Urbis Origo, cùm Cyrenen Apollo, Theſſaliæ Monte Pelio raptam, perlatamque in ejus montis juga, quem poſteà Battus occupavit, dicatur repleviſſe. Serpens ſecundi Numiſmatis Lybiam his abundâſſe innuit. Fabuloſam eorum generationem à guttis Meduſæi Capitis à Perſeo reſecti confinxit OVIDIUS: *Cùm*, inquit:

Super Lybicas Victor penderet arenas
Gorgonei capitis guttæ cecidére cruentæ,
Quas humus exceptas varios animavit in angues,
Unde frequens illa eſt, infeſtaque terra colubris.

CXXVIII.
ALIUD
CYRENÆORUM.

EXiguum eſt hoc Cyrenæorum numiſma, ſed elegantiâ & raritate præſtantiſſimum. De Sylphio modò diximus. Diximus & de Sole. Eques Regionem hanc Equitatu nobilem indicat. Juvat aſſertum PINDARUS, qui Cyrenen Εὐίππου appellat

Σάμερον μὲν χρή σε παῤ ἀνδρὶ φίλῳ
Στάμεν Εὐίππᾳ βασιλῆι Κυρήνας.

Hodie quidem oportet te apud virum Amicum
Siſtere, EQUESTRIS Regem CYRENES.

CXXIX.

CXXIX.

CARTHAGINENSIUM.

HUnc Nummum eundem videas apud Cl. PATINUM, nisi quòd ille Figuram stantem Jaculo innixam præferat, hic autem Clavæ. PATINUS virtutem Militarem agnoscit, Nos si non Herculem, certè egregium quendam Carthaginensium Ducem, Herculis æmulum, auguramur. Herculem Tyriorum, à quibus Carthago, peculiare numen fuisse, nemo ignorat. Caput Equi ex notis VIRGILII versibus lucem mutuatur :

Lucus in Urbe fuit mediâ, lætissimus Umbrâ,
Quò primùm jactati undis & turbine Pœni
Effodére loco signum, quod Regia Juno
Monstrârat, CAPUT ACRIS EQUI; Sic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per sæcula gentem.

IN Hispaniam trajicimus : Hîc in Sinu Gaditano aperitur

CXXX.

TARSIS.

HÆc creditur illa Tarsis, per quam Classis Salomonis deferebatur in Ophir, & cujus apud Jonam mentio est; Quanquam Alii aliter. Nu-

miſma quid ænigmatis contineat, nondum perſpicio. Conjectura tamen eſt, Capionis Turrim & Oraculum Meneſthei hîc nobis repræſentari. Id ex Turri ſaxo impoſitâ, quæ ſecundo in Numiſmate eſt, videtur adſtrui poſſe, cùm STRABO apertis verbis dicat : *His in locis* (ſcilicet Bætis fluvii Oſtiis) *ORACVLVM MENESTHEI eſt & CAPIONIS TURRIS SAXO IMPOSITA, quod mari cingitur, opus mirabile, Phari inſtar, ſalutis navigantium gratia factum.*

ANACEPHALÆOSIS.

PEractum eſt iter. Plurium cum Ulyſſe Populorum & Mores vidimus & Urbes. Quid inde commodi ? Ne ſteriles nos arenas legiſſe arbitreris. Ex his naſcitur uberrima Seges, quam Summa cum utilitate hodiénum protuleris. Bœotii Situm Regionis ſuæ per Tridentem indigitârunt , Urbes maritimæ ſuum per Cancros & Piſces , Alii aliter. Syracuſani obſervârunt Urbis ſuæ Partes, Ægienſes partes Regionis. Structuras celebrârunt Corcyrenſes, Dyrrhachienſes, Apolloniatæ, Gnoſſii & Tarſenſes : Tarſenſes Capionis Turrim , Gnoſſii Labyrinthum, Corcyrenſes , Dyrrhachienſes & Apolloniatæ Hortos Alcinoi. Temperiem cœli laudârunt Rhodii , Fertilitatem terræ Metapontini & Leontini , Cyrenæi Sylphium , Euboei & Epirotæ Tauros , Inſulæ Maris Ægæi præſtantiam vini , Legum Sanctitatem Tenedii , Magiſtratuum Majeſtatem Coſani , Fœdera cum vicinis Herapolitani. Agrigentini iniquiore vitiorum eventu ſubditos correxére. Meſſanenſes & Thebani æternâ famæ celebritate virtutem remuneravêre. Omnia hæc Prudentiæ opera ſunt!

ſunt! Prudentiæ ſe famulam adjungit Fortitudo. Hinc Segeſtani Palæſtram jactant, Cyrenæi & Theſſali Equitatum, Potentiam navalem Sidonii, Corcyrenſes, Leucadii, Iſtrii. Ex fortitudine victoria exſurgit, qualem Himerenſes numiſmatibus ſuis impreſſére. Victoriam ſequitur Reipublicæ Libertas, quâ gloriantur Panormitani.

Quisquis es, qui Patriæ felicitati curas tuas devoves, ſive Princeps, ſive Principis pars, æmulare Prudentiam Antiquitatis; Sive Dux ſive Miles, æmulare Fortitudinem. Princeps Urbis Regionisque & Situm contempletur & Partes, non ut ſterili contemplatione oculos paſcat, ſed ut in hoſtilem terrorem convertat, Civiumque cuſtodiam, quodcunq; vel naturâ munitum vel munitionibus aptum eſt. Princeps Legum Sanctitatem tueatur, Magiſtratuumq; Majeſtatem: Vitiorum turpitudinem oſtendat, virtutumque venuſtatem, ut utrisque & à malitiâ abſterreantur homines & ad virtutem alliciantur. Princeps Regionis ſuæ decora celebret, Elegantiores ſtructuras erigat, Temperiem cœli laudet, Terræque fertilitatem, ut ſuos earum dulcedine & permulceat & augeat. Contrà hoſtes, ſi & hi earum cupidine capiantur, ſe & Fœderibus muniat, & propriis viribus. Dux Militares inſtituat Palæſtras, Copias foveat & Navales & Terreſtres, non Belli tantùm tempore, ſed & tempore Pacis; Hôc cuſtodiæ Civium, Illô & offenſæ Hoſtium.

Crotoniatæ, inquis, licet ingenti exercitu in aciem pergerent, à paucioribus tamen victi ſunt. Quid his vel Prudentia vel Fortitudo? Vel ex uno hôc palam eſt, quod ab initio hujus Capitis diximus, à ſolâ hominum ſolicitudine felicitatem humanam non dependere. Vana enim eſt mortalis cura, niſi Divinâ benedictione juvetur; Prout nec laudaverim eos, qui contrà Creatoris intentionem omnem rerum humanarum adminiſtrationem cœlitùs exſpectant, ipſi interim otioſi.

Locri Crotoniatas vicére Diis adjuvantibus; at Petelini cùm humanis viribus carerent, vanam experti ſunt vel in Jove fiduciam. Quanto melius Teatini & Brutii qui Deas æmulantes illuſtrem ſibi & Prudentiæ & Fortitudinis circumpoſuére gloriam: Maſſilienſes, qui Minervæ cultu & bellicas artes didicerunt & Eruditionis famam meruére.

Quid

Quid Paucos? cùm Plerique ex primis Gentis ſuæ incunabulis Numina ſua ad ſeram poſteritatem produxerint, Horumque venerationi ſuam ſuperſtruxerint induſtriam. Sic vel ab Ethnicis diſcas, ad felicitatem publicam junctis opus eſſe & Cœli & Terræ viribus, optimamq; ejus & procurandæ & conſervandæ viam non in Prudentiâ & Fortitudine conſiſtere, ſed in Prudentiâ, Fortitudine & Pietate.

SECTIONIS SECUNDÆ

Cap. III.

CONTINENS

NUMMOS QUOSDAM IMPERATORIOS

HISTORICA SERIE

INTER SE

CONNEXOS.

Minimis creverunt, quæ Maxima in orbe ſunt; Quæ maxima ſunt, ſuâ mole ruunt, donec ad minima reducantur & evaneſcant; Aſpice Romam Triumphantem! Hæc ea eſt *Terrarum Domina, Gentiumque Dea*, quæ modicis ab initiis eò potentiæ ſurrexit, ut omne ferè Regnorum robur, quodcunque Ortus, quodcunque vidit Occaſus, Victoriis ſuis contereret. Hæc ea eſt, cujus benignitate Artes tantùm excrevére in ſplendorem, ut Deorum putares Opera, quæ Triumphans Roma adſpexit. Noli ſpiritus attollere fœcundiore felicitatis inflatos aurâ! Eadem hæc Roma, ſocordiâ dicam, an diſcordiâ? quorundam Imperatorum eò calamitatis

recidit, ut non tantùm prętioſiſſima quæque hoſtilibus armis in prædam cederet, ſed & ipſa Barbaris ſerviret. Ejusdem hujus cum ruinâ omnis Artium evanuit nitor; adeò ut Romam in ipsâ Româ quæreres, nec tamen invenires. Utriusque Sortis & teſtes & monumenta antiquis in Numiſmatibus præſtò ſunt : Eorum Selecta hîc dare, inſtituti ratio poſtulat; Parebimus, ſed duplici cum moderatione, quam Benevolo Lectori arbitramur haud fore ingratam. Cùm tantus ſit in Electorali Cimeliarchio Romanorum Numiſmatum ex omni metallo numerus, ut hiſtoricam ex iis ſeriem publicæ utilitati paret induſtria, haud opus erit, quod in Græcis actum, ut omnia hîc proponantur, quæcunque vel elegantiora videntur, vel rariora. Cùm Romanum Splendorem intueri placeat, placeat & illacrymari ruinæ, id nobis juxtà cordi erit, ut, ſi non copioſo Numiſmatum faſtu, continuo tamen procedamus filo. Hoc facientibus, Si communia quædam irrepant, Ea ut arenæ vicem ſuſtineant aut calcis precor, quæ compagem ſtructuræ, ſi non ornant, at conglutinant. Solas elegantioris notæ ſtatuas qui coacervat, Architectus non eſt. Non omnium idem poteſt eſſe pretium. Ego continuam Imperatorum ſeriem plus emolumenti daturam confido, quàm interruptæ decora, quæ tamen nec ipſa hîc negamus Peritioribus. Habebit Lector, quo interim, donec reliqua prodeant, & oculos paſcat & animum. Habebimus & nos, quo certos huic volumini ſtatuamus limites.

CONcuſſâ Romanorum Libertate Imperatoriæ Majeſtati prælúſit

I.

C. IUL. CÆSAR.



HOC CÆSARIS Numiſma elegantiſſimum ſanè & rariſſimum Nobiliſſ. MONCONYS, qui perperam in eo duos captivos agnoſcit, Sereniſſimo CAROLO LUDOVICO Glorioſæ Memoriæ Electori Palatino quatuor millibus Thalerorum æſtimatum aſſerit ; Id pretium affectionis quibusdam videtur ; Sunt tamen præter elegantiam & alia, quæ raritatem intendunt. Conſtat, non aliud Cæſarem aut recepiſſe aut uſurpâſſe libentiùs, quàm *Jus Laureæ perpetuò geſtandæ* ; At in noſtro Nummo Laurea abeſt;

abeſt ; Deformitas Calvitiei, quam iniquiſſimè tuliſſe dicitur, ad oculum patet. Averſa Victoriarum teſtis eſt. Ipſe ſedet, juxta ſedentem & Haſta & Clypeus & Galea viſuntur, bellicorum ſudorum indices. Sedenti Barbarus à Romano milite vinctus adducitur; Barbaro neſcio quid exprobraturus dextram verſus frontem attollit. An hæc de Gallis, an de aliis Gentibus devictis intelligere velis, liberum eſto. Senatûs Conſultô cuſum, ſubjectæ Literæ S.C. indicant. Ex Calvitie & Inſcriptione DIVI poſt ejus mortem id factum forſan collegeris, quanquam & conſtet DIVI nomen non tantùm ob conſecrationem, ſed adulatorio ſtylo etiam ob res geſtas datum eſſe. Eo ſenſu Horatius de Auguſto :

--- Præſens DIVUS habebitur
AUGUSTUS, Adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Perſis.

II.

ALIA
C. IUL. CÆSARIS.

NUmmi propoſiti, ſi non raritate fulgeant, fulgent tamen elegantiâ. Alter exhibet Caput Cæſaris laureatum ; Alter præfert idem Caput, cum Stellâ & Inſcriptione CÆSAR IMP. De Laureâ jam dictum eſt. Stella Veneris putatur, de quâ ſuprà ad Gemmas. Averſa primi felix Cæſaris Imperium propinat. Globus Mundi Symbolum eſt, Temo Imperii, Apex Religionis; Ex religioſo mundi Imperio Pax exſurgit, cujus Hieroglyphicum eſt Caduceus ; Ex Pace rerum ubertas, quam indicat Cornucopiæ globo circumvolutum. Ita L. Hic MUSSIDIUS quicunque ille fuerit, egregio in vulgus monumento Cæſaris partes fovit; Quid enim publicâ felicitate gratius ? Si hæc conſervetur Tyrannis, non Tyrannis eſt, ſed dulcis quædam adumbratio Magnitudinis Divinæ, ex quâ Cæſar & Originem deduxit & victoriarum Gloriam. Id quod in altero Numiſmate effinxit P.SEPULLIUS MACER, dum non nudam Venerem Numiſmati impreſſit, à quâ Cæſar per Julum repetebat Genus, ſed Venerem Victricem, quaſi ejus favore ſuis in bellis & felix fuiſſet, & ſuperâſſet.

CÆSaris Fortunæ Imperiale faſtigium ſuperſtruxit

III.

AUGUSTUS.

AUGUSTI ex plurimis Numiſmatibus quatuor hîc exponimus: Tria quidem, niſi metalli pretium conſideres, notiora ; Ultimum autem rariuſculum : In primô contemplamur Cajum, Auguſti Nepotem, in Armeniam proficiſcentem. In ſecundo Victoriam Orbis Terrarum, quam Auguſtus variis præliorum conatibus obtinuit : In tertio Statuam Equeſtrem Auguſti honori poſitam : In quarto Pacem. Pacem ſub Auguſto cum Figurâ ſtante & Caduceum tenente deſcribit Cl. VAILLANT; Sed noſtra præter Caduceum etiam Caput Papaveris & duas Spicas habet. Ea in hoc Nummo ſingularia videntur, licèt eandem interpretationem recipiant cum Cornucopiæ, cujus locum occupant. Rerum Abundantia iis indigitatur. Rerum Abundantia ex Pace Univerſali exoritur, qualem Auguſtum Mundo intulerat, cùm Janum clauderet. Hanc præſenti Numiſmate celebrari, nihil dubitem aſſerere, quamquàm poſt mortem Numiſma cuſum, oſtendat & Inſcriptio DIVUS & Corona radiata ; Niſi vel illam, ut modò dictum, adulatoriæ ſervitutis ſtylum arbitreris, vel hanc ad Apollinem referas, cujus ſe filium Auguſtus ambitiosè jactabat.

Partàm

PArtam bellicis Auguſti Sudoribus Majeſtatem, eô defunctô, ſuſcepit

IV.

TIBERIUS.

TIBERII in Auguſtum Pietatem & Oratio mentitur, quâ mortuum publicè proſequutus eſt, & primum, quod hîc proponimus, Numiſma. Utrinque ſideribus Eum aſſerit : Utrinque ejus ſe filium vocat. Filius erat Auguſti, ut Auguſtus Cæſaris, jure ſcilicet Adoptionis, non generationis. Adoptio Beneficium eſt omni Gratitudinis ſenſu demerendum; Unde non culpanda hæc gratitudinis demonſtratio, ſi fuiſſet ſincera. In Tiberio ſuſpectam facit ſubdola animi ſimulatio, quâ pleraque Imperii peregit, quâ pleraque vitæ. Imperii arcanis hîc abſtinemus ; At vitæ ut inquiramus, ſecundum Numiſma jubet. Id inſcriptione quidem caret, ex collato tamen Cupidine cum ſeceſſu Capreenſi, quô Sellariam excogitavit, Cubiculaque plurifariam diſpoſita tabellis & ſigillis laſciviſſimarum picturarum & Figurarum adornavit, facilè collegeris, laſcivum hunc Cupidinem figurarum earum ſeptimam fuiſſe, qui numerus intrà Lauream adſcriptus eſt, fortè quòd ſtrenuæ hæc militiæ brabeum fuiſſet iis, quos Spintrias appellavit, & eum in finem conquiſiverat, ut triplici ſerie connexi coram ipſo, ut SUETONIUS loquitur, ſe invicem inceſtarent. En egregium perditiſſimorum in ſeceſſu facinorum monumentum!

TIberii Frater erat

V.

DRUSUS.

DRUSI Nummum æreum, primæ magnitudinis, cum Figurâ Sellæ, globo

inter arma impoſitæ inſidente, *ad Suetonium* exhibet Cl. PATINUS. Idem *in Theſauro* etiam aureum, quem hîc damus, cum Arcu de Germanis Triumphali. Non obvium judicat Cl. VAILLANT; In Electorali tamen Cimeliarchio ter viſitur, ejusdem & mallei & metalli. De Germanica Druſi Expeditione & Arcu poſt mortem cum tropæis in viâ Appiâ poſito, datoq; & ipſi & Poſteris Germanici cognomine, nota ſunt Suetonii verba: *Druſus*, inquit ille in CLAUDIO, *in Quæſturæ Prætura*que *honore Dux Rhætici, deinde Germanici belli, Oceanum Septentrionalem primus Romanorum Ducum navigavit, transque Rhenum foſſas novi & immenſi operis effecit, quæ nunc adhuc DRUSINÆ vocantur. Hoſtem etiam frequenter cæſum, ac penitus in intimas ſolitudines actum, non priùs deſtitit inſequi, quàm ſpecies Barbaræ mulieris humanâ amplior victorem tendere ultrà ſermone latino prohibuiſſet, quas ob res ovandi jus & Triumphalia ornamenta percepit, ac poſt Præturam confeſtim, inito Conſulatu atque Expeditione repetitâ, ſupremum Diem morbo obiit in æſtivis Caſtris, quæ ex eo ſcelerata ſunt appellata. Corpus ejus per Municipiorum Coloniarumque Primores, ſuſcipientibus obviis ſcribarum decuriis, ad Urbem devectum, ſepultum eſt in Martio Campo. Cæterum Exercitus honorarium ei Tumulum excitavit, circa quem deinceps ſtato Die quotannis miles decurreret, Galliarumque Civitates publicè ſupplicarent. Præterea Senatus inter alia plura, MARMOREUM ARCUM CUM TROPÆIS viâ Appiâ decrevit, & GERMANICI cognomen Ipſi, Poſterisque ejus.*

TIberium ſequutus eſt

VI.

CAIUS.

TRes hi Caji Nummi & raritate excellunt, & elegantiâ. Primus Auguſtum

Auguſtum celebrat jam inter ſidera radiantem. Secundus Patrem Caji Germanicum : Tertius Matrem Agrippinam. De Pietate Caji in Patrem & Matrem audiatur SUETONIUS : *Matri*, inquit, *Circenſes inſtituit, Carpentumque, quo in Pompa traduceretur*; *At in memoriam Patris Septembrem Menſem GERMANICUM appellavit.* De Auguſto aliquis dubitare poſſet. DIO CASSIUS ait, *Cajum ab Antonio potiùs, quàm ab AVGVSTO, genus trahere voluiſſe videri.* Id cùm verum, mirari poſſes, quid Auguſti facies ſideribus illata in Caji Numiſmate? Tempora diſtingue, ratio conſtabit. Poſteriorum ea inſania fuit, quæ & Matris Agrippinæ & Patris Germanici honores evertit. Ab initio Imperii, quòd Auguſtum coluerit, vel colere voluerit videri, hôc ſolô teſtimoniô conſtat, quòd non tantùm Aviam Auguſtam vocavit, Auguſtique fecit Sacerdotem, ſed & ipſe *Templum ejus*, ut idem DIO ait, *dedicavit, nobiliſſimis pueris, & virginibus ejusdem ordinis, hymnum concinentibus.*

CAji & Patruus & in Imperio Succeſſor fuit

VII.

CLAUDIUS.

PRimus eorum, quos hîc proponere libuit, Agrippinam celebrat Claudii & Uxorem, & ex fratre Germanico Neptem. Alter Neronem Claudii Privignum, quem Agrippina ex Domitio natum, fatali ſibi ambitione, Imperatorio intulit faſtigio. Tertius Arcum de Britannis. Quartus Arcum Triumphalem de Germanis. De hoc Nummo ob eroſum Nomen dubitat Cl. PATINUS, cui tribuendus? Druſo an Caligulæ. Claudio an Germanico? Præſentem GAZÆ PALATINÆ ideò potiſſimùm inſerendum putavimus, quòd omne dubium diſpellit. Claudio tribuen-

tribuendum clamat Inſcriptio clarior, quàm ut lis moveri poſſit. Fateor faciem vix Claudio convenire, ſed ſubæratus eſt, omniaque genuinæ antiquitatis κειτήρια præfert. Eundem deſcripſit & Occo p. 109. Ed. Auguſtanæ. Bellum contra Germanos Claudius nullum geſſit; Sed Senatus propter res, non modò ab ipſo non geſtas, ſed ne ſub ipſius quidem Imperio geſtas, ut Triumphales honores acciperet, ei perſuaſit. Poterit igitur Arcus Triumphalis ad Sulpitii Galbæ victoriam de Chattis, vel ad Publ. Gabinii de Martis pertinere, qui inter alia & militarem Aquilam recuperavit, quæ ſola à Varianâ Clade adhuc deſiderabatur. Ab utrisque Claudio verum Imperatoris Nomen partum, Dio teſtatur.

CLaudium excepit

VIII.

NERO.

NERONIS Numiſmata trita ſunt ex omni metallo, & niſi typi elegantia raritatem inducat, vix inter Selecta numerabis. In propoſitorum primo exhibetur Congiarium; non quidem illud primum aut tertium, quæ raritate præſtant, ſed ſecundum, cujus typus licet pluribus vulgatus, à plerisque tamen differt. Proximus eſt quem dedit Archotanus, nec tamen in omnibus reſpondet. Omnes fœminam quandam Neroni adſtantem pingunt; In noſtro Numiſmate apertè Pallas ex Ægide agnoſci-

agnoſcitur, & noctua quam prætendit. De Congiario Neronis jamdudum obſervata ſunt verba Taciti : *Plebi*, inquit, *CONGIARIUM quadringeni Nummi viritim dati, & ſeſtertiûm quadringenties ærario illatum, ad retinendam Populi fidem.* In ſecundo Numiſmate Portus Oſtienſis eſt, de quo verba Suetonii hæc ſunt : *Portum* inquit ille, *Oſtiæ exſtruxit* (Claudius) *circumdato dextrâ ſiniſtrâque brachio, & ad introitum, profundo jam ſolo, mole objectâ, quam quò ſtabiliùs fundaret, navem antè demerſit, quâ magnus Obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus, congeſtisque pilis ſuperpoſuit altiſſimam Turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes curſum navigia dirigerent.* Figura jacens Portumnus eſt. Statua Columnæ impoſita Neronis; Ideoque Nummus ſignatus creditur, quòd ipſe Portum à Claudio ædificatum ſuâ effigie fuerit dignatus exornare. Tertium Numiſma *in omnia Collegia Sacerdotum extra ordinem cooptatum* aſſerit. Quartum fictam Pietatem in Matrem oſtendit, *cum quâ Eum lectică ſæpè per publicum vectum*, Suetonius ait. Quintum Eidem ſuffragatur, cui *Janum clauſiſſe memoratur, tam nullo, quàm reſiduo bello.* Sextum *QUINQUENNALE CERTAMEN* in memoriam revocat, quod *primus Romæ more Græco triplex MUSICUM, GYMNICUM, EQUESTRE, legitur inſtituiſſe, appellâſſeque NERONIA.*

NEronem ad mortem adegit

IX.

GALBA.

TRia hîc Galbæ Numiſmata ! Primum Hiſpaniam, ſecundum Galliam continet. Galliæ tres erant: Belgica, Celtica & Aquitanica. Eæ laureatis capitibus præfigurantur, ob florentem, quâ celebres erant, victoriarum Gloriam. Sic & Hiſpania fertilitatem jactat & forti-

tudinem in Spicis, Cetra & Jaculis. Fertilitatem? *Cùm tamen*, ut PATINI verbis utar, *hodie ſterilem eſſe nemo ſit, qui dubitet.* Cauſam cur & Hiſpania & Galliæ in Galbæ Numiſmatibus occurrant, in primis Ejus inveneris motibus. In Hiſpania erat natus, Hiſpaniæque præerat, cùm contrà Neronem inſurgeret. Gallias adminiſtrabat Vindex. Hic Galbam literis hortatus eſt, ut ſe *Aſſertorem Ducemque humano generi accommodaret*, id quod tertium Numiſma explicat. Nec hortatus eſt tantùm, imò & Gallicas pollicitus eſt vires. Utilia hęc Galbę fuére, ſed damnoſa Populis. Galba, quid contrà Imperiale faſtigium florentiſſimę Nationes poſſent, vel ſuo exemplo edoctus, gravioribus eas tributis vexâſſe, interdum & deſtructione murorum legitur puniviſſe.

TRucidato Galbâ Imperiô potitus eſt

X.

OTHO.

CUm ærei Othonis deſint, Argenteos damus: Aureos dediſſemus, niſi hos elegantia ſuſpectos redderet. In propoſitis abſolutiſſimum Schema cernis graduum, quibus ad felicitatem aſcenditur. Primus Victoriam exhibet: Ex Victoriâ Pax, quę in ſecundo: Ex Pace Rerum Abundantia & Securitas, quę in reliquis. Vicit Otho Vitellium tribus, ſed mediocribus prœliis. Inde nec Pacem terræ dedit, nec ſibi ſecuritatem. Apud Betriacum victus & impetum moriendi cepit ipſe, & poſt Ejus mortem adhuc civilibus bellis diſſedit Terra.

Quis inter hęc rerum abundantiam
fuiſſe credat?

Othone

OThone dejecto Imperiale culmen conſcendit

XI.

VITELLIUS.

QUòd nullum Vitellii Nummum cum Coloniarum inſigni pulcherrimo ſuo Operi inſeruerit Cl. PATINUS, cauſam in brevitate Imperii & Imperatoris Incuria ponit : Eas tantas, ait, ut mirum videri poſſit, aliquos hodieque ſupereſſe. Noſter indubitatæ Antiquitatis eſt, ſed Inſcriptionem vetuſtas vel abſtulit vel mutilavit. A Laodicenſibus percuſſum aperta lectio evincit. Vitellium, cujus nomen ærugo ſuppreſſit, prodit facies clarior, quàm ut dubitari poſſit.

XII.

EIUSDEM.

SEptem hîc Vitellii Nummi ſunt. Primus celebrat Imperatoris Pa-

rentem, quem Censorem fuisse ex Suetonio constat : Secundus Josephum rejicit, qui Vitellium Ἀπαιδα discessisse memorat : Tertius Cives servatos mentitur, cùm tamen omni cruciatuum genere sub Vitellio perierint : Quartus Consensum : Quintus Fidem Exercituum celebrat.

Quin consenserint in Vitellium Exercitus, dubium non est; At fides quàm fragilis fuerit, exitus docuit. Jovem Victorem ad Betriacensem Victoriam referimus, de quâ Vitellius audiit, cùm adhuc in Galliâ esset. Eam quòd ipse non quæsivit, piè Jovi adscripsisse videri posset, nisi & perversa ejus impietas æquius judicium cohiberet, & Septimi typus Ipsi vindicaret, quod in Sexto adscribitur Jovi.

VItellium, ut Crudelitate & Sordibus meruerat, sordidâ morte sustulit

XIII.

VESPASIANUS.

GRæcus ex Majori modulo Vespasiani Nummus Clarissimo Patino omnes alios & raritate & dignitate superare videtur. Alium exhibet Cl. Sequinus ejusdem typi. Hic ejusdem quidem est moduli, sed typi diversi. Illi, præter laureatam Vespasiani Effigiem, Jovem ostendunt. Hic Aquilam Jovis Ministram; Aquila Κεραυνοφόρος est: Rostro lauream præfert: Inscriptio Annum novi Templi primum indicat. De Jovis Capitolini Templo, quod Vespasianus exstruxit, eam intelligi debere, contra Erizzum pulchrè deducit Cl. Sequinus. Quidni ex hâc suâ in Jovem Pietate Vespasianum fiduciam Divinæ Potentiæ, & ex Potentiâ Victorias sperâsse credideris?

XIV.

XIV.

ALIA
VESPASIANI.

SPeravit Veſpaſianus Victorias ſuas à Potentiâ Divinâ, & à Potentiâ Divinâ accepit. Victoria Judaica, quam in primo Numiſmate prodit Palma Paleſtinæ filia, rem extra dubium ponit. Ex Victoriis Æternitas Nominis pullulat, non Imperii. Æternitatem Imperii per Liberos affectant miſeri mortales. Hinc Titum & Domitianum in ſecundo Numiſmate vides Capiti oppoſitos Veſpaſiani, qui aliam Æternitatem effinxit in Tertio, in quo Figura ſtolata Caput Solis & Lunæ præfert.

Sol & Luna temporis Periodos deſcribunt. Tempus Æternitate continetur. Hæc Æternitas nec Nominis eſt, nec Imperii ; Sed ea, quæ absque vel principio vel fine, omnem intellectum ſuperat. Eam homines pietate conſequuntur ; Inde eſt, quòd & Ethnici, jucundiore Metamorphoſi ; ſe poſt mortem Deos induere crediderunt. Id in quarto Numiſmate Ejusdem hujus Veſpaſiani, Uxorisque Ejus Domitillæ exemplo adſtruitur, cùm uterque DIVI cum Encomio, Alter & radiatus appareat.

POst Veſpaſianum Imperii habenas rexit Filius Veſpaſiani XV.

TITUS.

GEneris humani delicias in Tito veneratur Orbis; Nos non Victorias tantùm, ſed & Pacem, deliciarum in Populo Victore fontem. Tertius Nummus Quinarius eſt, & vel hâc de causâ memorandus. De Victoriâ nihil addimus; Notior eſt, quàm ut pluribus eam inculcare operæ pretium ſit. Primus Nummus Columnam roſtratam exhibet cum impoſitâ Statua. Hæc ob Victoriam quandam Navalem, quæ & ipſa in Nummis occurrit, Tito decreta putatur. De pugnâ in Lacu Genneſareth intelligunt Docti, quod tamen Arſchotani Interpreti non ſatisfacit; Quamquam dubium haud videatur ex adductis Tristano Apollonii verſibus, qui ita habent :

Jam de tot lembis nullum ſupereſſe videres,
Partem ignis, partem gurges abſumſerat altus:
Romanæ plauſit VOLITANS VICTORIA Claſſi.

Secundum Numiſma Pacem exhibet cum Caduceo & Olivæ ramo, ante Tripodem, , cui, neſcio quid, impoſitum eſt. Tristanus partem Hoſtiæ arbitratur, expreſſamque ait ob morem tam Græcis, quàm Romanis obſervatum, quo nefas erat, aras hujus Deæ ſanguine contaminare, ſed ſolitum, victimas extra Templum mactare, ex iisque ſola Crura Altaribus imponere. Id Tristanus latiùs probat ex Ethnicis Scriptoribus, demonſtratque ex ipſo ſacro Codice, morem à Judæis ortum : Nec tantùm in Sacrificio Pacis obſervatum ait, ſed in Fluviorum etiam, eò quòd horum tranquillitas cum tranquillitate temporum conveniret aptiſſimè.

Titum

Titum excepit Frater

XVI.

DOMITIANUS.

Aurei Domitiani, ut & Reliquorum plerorumque, in Electorali Cimeliarchio abundant. Statua Equestris, quæ apud Arschotanum inscriptionem habet, in nostro inscriptione omninò caret. PRINCIPIS JUVENTUTIS Spes, & COS IIII. Cornucopiæ, JOVIS item CONSERVATORIS Aquila, & alia. Argentei ad septuaginta exsurgunt, nec parvus est numerus Æreorum. Ex omnibus hos Tres seligere placuit, quorum Primus ex auro Vestam exhibet Palladium porrigentem, cum inscriptione: PRINCEPS JUVENTUTIS. Procul dubio ad Palladis hæc cultum pertinent, quòd in Ea felicitatis suæ fiduciam poneret Domitianus, ut Roma in Palladio, quod Imperii pignus fuisse, nemo nescit. Secundus Nummus & Tertius Quinarii sunt. Alter Sæcularium memoriam revocat, quæ fecisse memoratur, non ab anno, quo Claudius proximè, sed quo olim Augustus ediderat; Alter exhibet Victoriam gradientem, qualem & superior Titi. Cl. Patinus *in Thes.* itidem ex Quinario Victoriam Domitiani protulit, sed sedentem. Si rem ad veritatem æstimes, Victoria Domitiani nec sedit, nec gradum ad ulteriora tulit; Nulla enim fuit. *Expeditionem in Galliam Germaniasque, neque necessariam & dissuadentibus Paternis amicis inchoavit*, inquit Suetonius. Inchoavit, at quomodo perfecit? *Auro redemit* non Victoriam, sed *Pacem*.

Si Victoriam redemisset, excusandus forsitan esset Triumphus,
excusanda Laurea; Quid enim interest quibus armis
vincas? At Pacem redimere non Victoris est,
sed Victi.

Perdi-

PErditiſſimo Imperatori ſuccedit Nobiliſſimus, omnique Virtutum genere ſpectabilis

XVII.

NERVA.

PIetatem & Juſtitiam vel propoſita Numiſmata teſtantur. Alteram Nerva in Deum, alteram in homines exercuit, tum maximè, cùm acerrimas, quibus Chriſtiana Cohors lacerabatur, inhiberet perſecutiones. Hæc duo Numiſmata ex pluribus utriusque Metalli ſufficiant, neque enim iis immorari convenit, quæ Peritioribus nota.

NErvæ & ex adoptione filius, & in Imperio Succeſſor fuit

XVIII.

TRAIANUS.

LÆtiſſima Trajani facies, oris dignitas & ornata cæſaries longè latèque Principem oſtentant. Hic domi ſanctus, in bello fortis, utrobiq;

trobique prudens eò meritorum ſuorum ſubvectus eſt alis, ut non facilè Romano in faſtigio inveneris, quem præferas. Trophæis onuſtum repræſentant Numiſmata, tanquam Martem aut Romulum quendam Jovi Feretrio opima ab hoſtibus reportantem ſpolia. In Titulis Germanicus audit, audit Dacicus & Parthicus, â ferociſſimis, quas domuit, Gentibus. Gradientem Victoriam agnoveris in factis, quam contemplaris in Nummo eorum, quos exponere libuit, Quinto. Quintus eſt, & eſt Quinarius, cujus generis inter rariores ſolent numerari. Victorias ſequuntur Victoriarum Præmia, & rerum conſervandarum Curæ. Quadrigæ Quarti Triumphales ſunt, fortè de Dacis, quos à Trajano Quintùm Conſule devictos, aliis ex monumentis conſtat: *En præmium!* In Tertio vel ſubactum bellicâ virtute orbem tanquam alter ſive Hercules ſive Atlas ſuſtinet, vel Clypeum, qui verius arbitror, captivo impoſitum, Victoriarum teſtem jactat: *En Curas!* In Primo & Secundo Numiſmate Pietatis Præconia radiant, vel in Patrem, cujus effigies in primo æternitati ſacratur, vel in Jovem, qui *Conſervator* dicitur. Dicitur *Conſervator*, non Tyranni alicuius, ſed *Patris Patriæ*, qui togatus fulmini, id eſt, Providentiæ Divinæ ſe ſubmittit, Oleamque prætendit, tanquam ſub hoc Conſervatore ſuo toti terrarum Orbi Pater futurus, florentemque communicaturus Pacem.

TRajani Uxor fuit

XIX.

PLOTINA.

Pietatem Trajanus in Patrem exercuit, in Maritum Plotina, eodem uterque modo ad Poſteros eam teſtatus. Trajani modò vidimus, Plotinæ contemplamur in præſenti. Hæc ſingulare Matronarum decus ſingulare Matronis dedit hoc in Numiſmate & Exemplum & Documentum. Ipſa Vidua non Titulorum tumore ſuperbit, non ornatuum faſtu; In Titulis vix Auguſtam agnoſcis, in ornatu vix elevatos Capillorum ordines; Si Averſam ſpectes, non vel Venerem, vel Hilaritatem, aliave, quibus Viduarum plebecula Maritorum Cineres proſequi ſolet; Sed quem in vivis unicum habuit, Eum deſideratiſſimum etiam inter Divos veneratur.

UXori ſubjicitur Soror Trajani

XX.

MARCIANA.

AQuilam in Conſecrationibus Imperatorum, in Auguſtarum autem Pavonem ſignari, in vulgus patet. Cauſam à Jove & Junone deducunt: Jovi Aquila, Junoni Pavo datur. Ut Juppiter Rex Cœli, ſic Imperatores Terræ. Ut Juno Regis cœleſtis Conjux, ita & Auguſtæ Conjuges Regum Terreſtrium. Hæc eleganti ratione nixa, minùs tamen obſervata ſunt in præſenti Numiſmate. Hîc Aquila non Imperatoris conſecrationem denotat, ſed Auguſtæ; Imperialis non Conjugis, ſed Sororis. Imperioſæ hoc Symbolum ambitionis diceres, niſi ſuſpicionem amoveret Hiſtoria. Trajani æmulam ſe geſſit, non in Imperio, ſed in virtutibus. Concordiam cum Plotinâ ſervavit tam conſtantem, ut, quod rarum hoc in genere, ne minimâ quidem diſſenſionis umbrâ diffluëret. His moribus utrinq; & amorem meruit & honores. Auguſta vocatur in Numiſmate; ab ejus nomine *Marcianopolis* Urbs condita eſt in Myſia. Quidni & mortuæ decerneretur Aquila? Majore id factum Fœminæ hujus meritô, quàm Junioris Fauſtinæ; Huic adulteriis famoſæ Dos Aquilam obſtrinxit animæ Miniſtram, at Marcianæ Virtutis Splendor. In vultu legitur circumtuliſſe Trajani ſimplicitatem, Veritatem, Candorem!

TRajanum ſecutus eſt

XXI.

HADRIANUS.

PRimum Numiſma elegantiſſimum eſt, ſed pluribus jam vulgatum. Parentes Hadriani eô celebrari, ex inſcriptione patet. Dubitari tamen

tamen poteſt, an Adoptivi an Naturales? Hos Hadrianum Senatorii Ordinis virum, & Domitiam Paulinam, Illos Trajanum novimus & Plotinam. Pro Naturalibus ſtat ſententia TRISTANI; Pro Adoptivis Cl. VAILLANT & Alii. In facierum lineamentis eadem incertitudo: Virilis Trajano favet, at muliebris ſucculentior eſt, quàm ut Plotinæ tribuatur jam inter ſidera fulgenti. Si hinc argumentum ducas, forſan TRISTANO non deeris. Quicquid ſit, Rara virtus Filialis in Parentes Amor; Quò tamen rarior, eò illuſtrior, & majore ſtudio colenda. Stimulum animis ſuo exemplo vel Imperator addit, dum non viventes tantùm honore debito dignatus eſt, ſed & mortuorum Effigies ſideribus addidit, & æternitati ſacravit. Quis ex tam pio facto filii, non Patrem ſperet Patriæ? Talem celebrat Averſa ſecundi: Tali, quæcunque fuit Urbs, quæ Numiſma ſignavit, Statuam poſuit, non in convallibus, ſed juxta ſtellas in Montis culmine: Non vacuam, ſed dextrâ Globum, id eſt Mundum, ſuſtinentem, ſiniſtrâque Haſtæ innitentem, ut & potentiam tanti faſtigii agnoſcas, & potentiæ ſtabilitatem. Additur cuſi Numiſmatis tempus, Conſulatus ſcilicet III. De Monte certi quid ſtatuere noſtrum non eſt: Cæſareæ in aliis addicitur, de quo paulò poſt dicemus plura.

HAdriano ſubjicitur Uxor

XXII.

SABINA.

DUo hæc Sabinæ Numiſmata ab Amiſo Ponti Civitate ſignata eſſe, inſcriptio teſtatur. Non Sabinæ tantùm, ſed & Hadriano & Hadriani Catamito id Honoris Amiſenos habuiſſe, indubitatis ex monumentis conſtat. Cauſam in libertate collocant, quam à Lucullo primùm, & deinde ab Auguſto Amiſenis conceſſam Trajanus reſtituit. Mercurius quò pertineat haud facilè dixerim. Juno procul dubio ipſam Sabinam refert, quæ Regina Teriæ, ut Juno Cœli.

Subjiciatur &

XXIII.

ANTINOUS.

INcredibilis venuſtatis hoc Numiſma judicat Illuſtris SPANHEMIUS. Nobiliſſimus MONCONNYS in *Itinerario* id Aureo Cæſaris præferendum putavit. Quid de eo ſtatuendum ſit, nondum convenit Eruditis; Duplex controverſia eſt, vel de artificio, vel de effigie. Sunt quibus ex veteri gemma expreſſum videtur. In effigie Alios Cæſarionem agnoſcere Julii & Cleopatræ filium, Alios Antinoum, Alios quem fingunt aut volunt, jam Ill. SPANHEMIO memoratum eſt. Antinoo ut tribuatur, ipſa lineamentorum convenientia ſuadere poterit. Figura averſæ & ipſa conjecturam firmare videtur. Victoriam Alæ demonſtrant. In aviculâ, quàm manu prætendit, Columbam agnoſcimus. Columbam Veneri ſacram etiam ex Nummis conſtat. Quidni igitur ſub Columba Antinoum, ſub Victoria Hadrianum, ſub utroque nefandos intelligamus amores, quibus laudatiſſimus aliâs Imperator poſt victorias ſe delectare dicam, an inquinare ſolebat?

CÆſaris dignitate ſed ſpe fragili, ſub Hadriano fulſit

XXIV.

L. ÆLIUS.



COncordiam celebrat hoc Ælii Numiſma. Concordia rerum in orbe maximarum & fons eſt & Columna. Cornucopiæ, cui innititur,

nititur, id ad oculum demonſtrat. Patera, quam prætendit, & Originem Concordiæ & fidem oſtendit. Deus omnia

Concordi Pace ligavit.

Ad Deum reſpiciunt, quibuscunque dulciſſima hæc virtus cordi eſt. Quis fructus ? Rerum Abundantia & ſecura Tranquillitas. Illam ſub Cornucopiæ expreſſam diximus, hæc habitu ſedentis præfiguratur. L. Ælius, utut Concordiam coleret, tam maturè tamen & Abundantiæ & Quieti terreſtri exemptus eſt, ut Hadrianus, qui eum ſucceſſioni deſtinaverat, tritum illud non ſemel protulerit : *In Caducum parietem inclinavimus, quater millies Seſtertiûm perdidimus.*

ÆLii vices in ſubeunda poſt Hadrianum Imperii mole explevit

XXV.

ANTONINUS PIUS.

ANtoninus Pius Pietatem Genii non factis tantùm demonſtravit, ſed & vultu prætulit. Eam in utrisque cum voluptate hodiénum contemplamur ; Favor Numiſmatum tantum nobis, ut & in reliquis, beneficium indulget. Eorum pauca hîc protulimus, ſed quorum vel elegantia vel raritas locum inter ſelecta meretur. In primo exhiberi creditur Argæus Mons Cappadociæ, juxta quem Mazaca ſive Cæſarea jacebat.

Hunc omnium excellentiſsimum, nivalibus jugis arduum, ne æſtivo quidem torrente prumis caruiſſe, Deoque habitatum, Authores teſtantur. Si Opinio vera, fortè ſub Deo hoc Urbis cuſtode ipſum Imperatorem intelligas. Niſi propter exſtantes utrinque radios Veſuvium agnoſcere mavelis, id quod per nos licet, quum & ipſe paſſim in Numiſmatibus occurrat. Propoſitorum ſecundum, ut rariſſimum, ita propter ſubtractas vetuſtate literas maxima ex parte ignotum eſt. De Capite Antonini & Palladis conſtat; Reliqua integrior Nummus explicet neceſſe eſt. In Tertio Aurelii effigies eſt, Antonini Adoptivi, qui poſt eum Imperiale faſtigium tenuit. In Quarto Genius Senatus & ſceptrum tenet, & ramum protendit, ad indicandum pacificum Senatus Imperium. Idem typus in Electorali Cimeliarchio etiam ex Ære Magno viſitur. In quinto eſt Apollo Auguſtus, aut ſi mavis Antoninus Auguſtus, ſub Apollinis habitu: Pateram prætendit ad exprimendum ſacrificii ritum, quo de paterâ effundebat liquorem Sacerdos, ſecundùm illud Horatii:

Quid dedicatum poſcit APOLLINEM
Vates? Quid orat de PATERA NOVUM
FUNDENS LIQUOREM?

Niſi cum aliis ad Clementiam hanc Pateram referas, quod ſupplicibus Antoninus facilis fuerit. Lyra univerſalis Harmoniæ Symbolum, quidni Pacem Orbis Romani deſignet hoc ſub Principe florentiſſimam.

UXor Antonini Pii fuit

XXVI.

FAUSTINA.

QUatuor hîc Fauſtinæ Numiſmata damus. Præter effigiem, quæ ubique venuſtiſſimis Capillorum nexibus ornata radiat, in aversâ primi

primi ipſa Auguſta viſitur, Capite velato, quod Veſtæ inſigne eſt: Dextrâ Facem protendens, quod vel Lunæ vel Cereris: Siniſtrâ Sceptrum, quod Junonis. En Ternæ Deitatis attributa Fauſtinæ vindicantur: An jure? De eo videant Alii. Illud conſtat, genium Veneris, quæ in ſecundo exprimitur, eam abundè expleviſſe. Nimia libertas & facilitas vivendi, quæ & ſuo tempore carpebant Romani, quid Judicii exprimunt? Et tamen hæc cum Marito concors fuit? Fuit, quanquam non ſuô, ſed ipſius Antonini meritô. Hic Prudentiâ dicam, an bonitate? Conjugis vitia & ſuppreſſit & tulit: In eo felix, quòd poſt ſtabilitum Imperium, Ejus Conſuetudinem Dii ademerunt. Dii ademerunt Conjugem, at Ille, ut minimum tranſigeret, omni Eam honorum cumulo poſt mortem dignatus eſt. Ædes in quarto Numiſmate aſſertũ teſtatur; teſtatur & Julius Capitolinus: *Tertiô*, inquit, *Imperii ſui annô FAUSTINAM Uxorem perdidit, quæ à Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus atque TEMPLO & Flaminicis & Statuis aureis atque argenteis, quum etiam ipſe hoc conceſſerit, ut imago ejus cunctis Circenſibus poneretur.*

ANtoninum Pium excepit

XXVII.

M. AURELIUS.

UT ſeries conſtet, & hos Nummos interſpergere liceat. In iis perfecta Principalium Virtutum idea fulget, fulget Virtutum Principalium fructus. Pallas quæ Noctuam prætendit & Haſtâ nititur, robore militari nitendum monet, monet Prudentiam futuris caſibus eſſe opponendam. Hæc duo tantô ſtudiô ſervavit Aurelius, ut non dubitaverit in Scholis bellicas meditari expeditiones, in bellis Philoſophorum diſquirere placita. Inde non domi tantùm felix, ſed & foris fuit: *Victorias Parthicam & Germanicam* Numiſmata noſtra profitentur.

M. Aurelii

M. Aurelii Uxor fuit

XXVIII.

FAUSTINA.

PLures Græcarum Urbium Fauſtinam Numiſmatibus ſuis celebrârunt; Nullæ tamen pluribus, quàm Amaſtrianum, Oppidum Paphlagoniæ, Colonia Smyrnæorum. Septem diverſa jam vulgavit Cl. PATINUS. Iis accedit hoc noſtrum, integritate ſuâ commendatiſſimum. In adversâ præter effigiem Inſcriptio conſideranda venit, quæ non ΣΕΒΑΣΤΗΝ, ſed ΝΕΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ *Novam Auguſtam* appellat. Averſa Venerem exhibet cum pomo. Pomum Veneri ſacrum eſſe, nemo dubitat. Quod à Paride accepit, venuſtatis ei adjudicavit Gloriam : Gloriam venuſtatis Fauſtinæ tribuendo, nonne egregiè adulatur Amaſtrianum? Venus in Numiſmatibus Fauſtinæ frequentiſſima, Genium Auguſtæ exprimit. Famoſiſſimam hujus Deæ non ſemel deſcendit in militiam, tantâque militavit cum audaciâ, ut & Maritus ultricem armaſſet Zelotypiam, niſi Dos cohibuiſſet ſurrecturum.

A Marco Aurelio aſcitus, Romanum participavit Imperium

XXIX.

L. VERUS.

NEc *Mundum duobus Solibus, nec Orbem duobus Regibus regi poſſe*, ambitioſæ ſtoliditatis effatum eſt. Prius Naturæ genio negavit Conditor, at

tor, at posterius humanæ permisit sive fortunæ sive voluntati. Concordia est, quæ Duos non in Orbe tantùm, sed in uno Solio collocat. Exemplum exhibet Numisma propositorum Primum, in quo M. Aurelius & Lucius Verus uterque Augustus pacificâ declaratione dextras jungunt. Jungunt Dextras in tutelam suorum & offensam hostium; Id in Nummo secundo exprimitur per Herculem, qui Dextrâ Oleam elevat, Pacis Symbolum, Sinistrâ Clavam tenet & Leonis Pellem, fatalia Pacis turbatoribus arma. Armenicus Tropæo assidens effati testis est, Testes sunt Parthi, quos devictos in quarto Numismate affixo palmæ clypeo ipsa adstruit Victoria.

VEri Uxor fuit

XXX.

LUCILLA.

SEguinus, qui hunc Nummulum in Selectis vulgavit, à Manno quodam Arabiæ Regulo, arbitratur cusum: Ejus scilicet Manni vel Filio vel Nepote, quem, Dione teste, Trajanus suspectum habuit, tum quòd vocatus ad Imperatorem non accessisset, tum quòd auxiliares copias Adiabenæ Regi Mibarsapi, Romanorum hosti, suppeditâsset. Ultra Euphratem is, ex adverso Comagenes inter Osrhoënos seu Edessam & Armeniam Majorem imperitabat. Dio Manum vocat; In Nummo Mannus dicitur, nomine Gentili, ut in plerisque Orientis Regibus. Ceres spicas porrigens Regem ostendit Annonam suppeditaturum, eoque Romanis sinceri amoris daturum documenta. Id appositè, cùm L. Verus, dimisso contra Vologesum Avidio Cassio, Antiochiæ cum Lucilla substiterit, eô in speciem fine, *ut Exercitui commeatum compararet*; licèt reverâ, ut otio & Genio indulgeret.

MArcum Aurelium excepit Filius

XXXI.

L. AUR. COMMODUS.

NObilitas fulgentiſſima res eſt; Imagines præfert, non ſuas tantùm, ſed & Majorum, quicunque ſupra vulgus eminuére. Imagines præfert & harum phaleris merita ſua elevat, tacitamque plebi incutit venerationem. Utrumque ad honeſtæ rationis normam, modò virtus Nobilitatis baſis ſit, & Majorum merita Nepotum factis extollantur; Si deprimantur, jam Nobilitas non Nobilitas eſt, ſed vanum quoddam indoctæ plebeculæ phantaſma, cujus omnis umbra ad Doctiorum fulgetra evaneſcit. Veritatem effati contemplare in Commodo; Hic nobili proſapiâ, ut videbatur, prognatus Nobilitatem etiam in Nummis jactavit. Ex Nobilitate ſibi ſecuritatem ſpopondit; At Virtutem paternam dum deſerit, eô contemtûs & inſidiarum devolutus eſt, ut tanquam vile ſtramentum per medios Prætorianos exportaretur. En lacrymandum vanæ Nobilitatis Exitum!

SUblato Commodo Imperium adeptus eſt

XXXII.

P. HELV. PERTINAX.

LAudatiſſimus Imperator Pertinax, in Numiſmatibus quid aliud exhibeat,

hibeat, quàm eas virtutes quibus præstitit ipse? Æquitatem dico & Pietatem. Æquitatem, cujus adeò tenax fuit, ut quæcunque corrigeret, quæ sine ordine fierent aut modo. Pietatem, quâ & Imperii sui momenta, & felicitatem Subditorum Diis accepta tulit. Illam in primo Numismate contemplamur, hanc in secundo: Illam sub æquitatis Simulacro, hanc sub Cerere spicas protendente, inscriptâq; OPI DIVINÆ. Quis pro tali Imperatore non vota conciperet? Id in decennium esse factum, ex Numismate tertio patet. Factum, sed à Bonis. Malitia militum, quibus sub Commodo largior potestas, & Æquitatem Pertinacis exosa & Pietatem, in Palatio eum confodit, exemplum Posteris futurum: *Civiles Rerum publicarum morbos non rigidè sanari, nec simul, sed Ratione & Morâ.*

OCciso Pertinace, venalis Imperii molem mole pecuniarum mercatus est

XXXIII.

M. DID. IULIANUS.

IUlianus cùm nec legitimâ viâ Solium ascenderet, nec aliâs ad Imperiales curas vel sobrius accederet, vel sufficientibus instructus virtutibus; ubi magnitudinis suæ collocaret basin? si non in Fortuna, quam & in Numismate expressit. Stultè! Fortuna Dei Providentia est. Non juvat ignavos in Imperio, qui ignavos Imperio subdidit. Juliani Socordia graves in Imperio motus dedit, Niger in Oriente fasces rapuit, Albinus in Occidente, utrumque devicit Severus.

XXXIV.

D. CLOD. ALBINUS.

Effatum vulgare quidem, sed futile non est:

Regis ad Exemplum totus componitur Orbis.

Veritatem non exemplo Regis Martii, non Pacifici, non Literati demonſtramus : Alius eſt, non Rex equidem, ſed Imperator : Imperator, quem Agricolam rectiùs diceres, *adeò* enim, ſi JULIUM CAPITOLINUM audis, *Agriculturæ peritus fuit, ut & Georgica conſcripſerit.* Hic in Numiſmatibus non tam Victorias jactat, quàm Fœcunditatem Sæculi, quàm Sæculum frugiferum; Noverat Albinus Annonæ largitione Divinos quondam honores obtentos ? Sperabat ſui æmulum fore vulgus : Inde & Sæculum frugiferum præſumebat, ejusque oſtentatione tutum ſibi Imperium pollicebatur. Exſtat Nummus apud TRISTANUM, in quo Deus quidam attributis Mercurii, Solis & Neptuni ornatus, eâdem inſcriptione inſignitur. In noſtro Cybele eſt, ſellæ inſidens, inter duos Sphynges ; Per Cybelem terram intelligi tritum eſt. Sphynges Solis ſunt ænigmata, id quod jam ſuprà demonſtratum dedimus. Terra Solari vi ab intemperie ingruentis aëris defenſa fruges producit, à quarum ubertate ſæculi fœcunditas dependet.

DEjectis Juliano, Peſcennio, & Albino, priſtinam in militia diſciplinam reduxit

XXXV.

L. SEPT. SEVERUS.

SEverus Imperium, quod menſibus Prædeceſſores metiebantur, Filiorum flore ſibi æternum ſpopondit; Forſitan non absque ratione. Virtutem in iis Patris æmulam jactat Numiſma ſecundum. Pater Militari Laude

Laude claruit, & ſi non in omnibus laudandus, in plerisque tamen Reipublicæ utilis fuit. Reſtitutorem Urbis Numiſma tertium celebrat. Id de reſtitutis ædibus publicis, quæ vitio temporum corruerant, intelligit ARCHOTANI Interpres. Indulgentiam in Carthaginem memorat Nummus quartus per Cœleſtem Deam, quam deſcribit APULEIUS. *Carthaginenſibus plurima eum indulſiſſe*, SPARTIANUS Author eſt. Et tanta fuit rerum geſtarum Gloria, ut & Aſiatica Civitas venerationem Severo teſtata fuerit. Ea Cæſarea eſt Cappadociæ, quæ montem Argæum cum ſtellâ expreſſit, ſignificatura: Severum in Imperiali Culmine, velut in altiſſimo Monte Solem quendam aut Phoſphorum, Romani Territorii molem illuſtrare. Quis inter hæc merita & laudes non eadem & de filiis ſperaret? in caſſum! Æternitatem diſcordia diſcuſſit: Getam fraternæ impietatis facinus turbavit: Antoninum Crudelitas transverſum rapuit. Non dubito, quin Nummus ſecundus in memoriam expeditionis cujusdam bellicæ cuſus ſit, cùm Severus ubique ferè Filiis ſuis comitatus in eas perrexerit.

UXor Severi fuit

XXXVI.

IULIA.

ÆTernitatem Imperii Severus in Filiis poſuit: Julia in Filio majore ponit & Marito. Id ex primo Numiſmate patet; Eſt tamen & aliud, in quo non Severi, ſed utriusque Filii capita ſpectantur. Unde ſimul dilucidatur error eorum, qui Caracallam non Juliæ, ſed Marciæ, quam Severus ante Juliam in Matrimonio, privatus adhuc, habebat, filium arbitrantur, quod tamen nec HERODIANO nec DIONI placet. In ſecundo Numiſmate ambitiosâ titulorum ſerie *Mater Auguſtorum*, *Mater Senatus*, *Mater Patriæ* vocatur. Quid mirum? cùm & *Mater Caſtrorum*, & *Mater Deûm* non tantùm dicta ſit, ſed & ficta. Eò Adulationis tunc Romana devenerat Ratio!

MAjor Severi Filiorum fuit

XXXVII.

M. AUR. ANTONINUS.

CEcidiſſe videbatur Romanorum felicitas ſub Commodo: Omnia cædibus tunc inquinabat Principis veſania. Commodo ſublato Militaris furor quid reliquit intemeratum? Conſenuerat Roma, niſi ſub Severo diſciplina militaris reſurrexiſſet,& Auguſtum Imperatoris Solium firmâſſet. Ita *ſub hoc Principe*, ut Florus de Trajano loquitur, *Imperium denuò movit lacertos, & quaſi redditâ Juventute reviruit.* Heroici Pectoris ea Fortuna fuit; Sed encomium in primo propoſitorum Numiſmate non Severo tribuitur, ſed Severi Filio. Procul dubio ſpe Futurorum, quibus blanda Antonini juventa nihil non optati ſpondebat. Spondebat, ſed exitu dolendo : Naturalem mutationis ſecutus rationem ex optimo peſſimus evaſit, parumque fecit ad normam honeſti, licet interdum honeſti ſpeciem , facinoribus operculum, induxerit adulatio. Exempla ſunt in Numiſmatibus Secundo & Tertio. Utrumque Victoriam jactat, Tertium Germanicam, quod vel ex adjecto Germanici cognomine agnoſcas; Secundum Parthicam, quod ex Urbis Cæſareæ ſitu patet. At à Germanis nudum Victoriæ Nomen ingenti redemit auro; At Parthos fucatâ deceptos amicitiâ in ſuas caſſes pertraxit, & perfidè necavit!

Antonini

ANtonini Uxor & Plautiani filia fuit

XXXVIII.

PLAUTILLA.

PLautilla his in Numiſmatibus Concordiam cum Marito non jactat, ſed optat. Optat Felicem, optat Æternam. Addit & cauſam, quòd ex hâc *Propago Imperii* dependeat. In caſſum! Maritus tanto eam odio perſequutus eſt, ut ſi HERODIANO fides, ne Thorum quidem laremque cum eâ communem pateretur; adeò averſabatur, ut minaretur quotidie, occiſurum & ipſam & ipſius Patrem, ſimul ac Imperium obtinuiſſet. Crevit ſimultas, poſtquàm Plautianus, proditione patefactâ, Diis Ultoribus ſuccubuit. Tunc miſeræ, quibus maximè artibus aut machinis poterat, exitium intendebat, & ſtatim præcipitâſſet fatum, niſi Severus ad Tempus ſecuritati ejus relegatione conſuluiſſet.

MInor Filiorum Severi fuit

XXXIX.

P. SEPT. GETA.

TRISTANUS aureum Getæ exhibet, cujus in adverſa Cæſaris Caput inſcri-

inſcriptum P SEPT GETA CÆSAR, & in averſa ejusdem ſimulacrum ante Tropæum, dextrâ protensâ, ſiniſtrâ haſtam tenente, Capite radiato, inſcriptione : SEVERI INVICTI AUG. P. FIL. Numiſma expoſitorum primum, venuſtiſſimum ſanè, in plurimis huic convenit: Dextra protenſa eſt, Caput eſt radiatum, Inſcriptio, niſi quòd auctior, eadem, & ſi non ſimulacrum cum Tropæo, tamen ejus loco Effigies eſt, quæ Nummi venuſtatem non deprimit, ſed adauget. Orientem Cæſaris virtutem contemplare, qui in adverſa Pontifex nominatur, in averſa autem invicti Auguſti ſe & Filium oſtendit & æmulum : Filium inſcriptione, æmulum Geſtu. Cùm Pater Imperii ſui metam propè abſolviſſet, ejusque in veſtigia ſuccreſcerent Filii, quo Symbolo virtutum Paternarum ſpem excitare potuerunt aptiùs, quàm Solis Orientis, qui easdem quotidie exurgit in ſemitas, lucemque mundo impertit undiquaque gratiſſimam. Excitavit virtutum paternarum ſpem, & impleviſſet, niſi fatalis cum fratre obſtitiſſet diſcordia. Æmulæ Virtutis ſpecimen Numiſma ſecundum exhibet ; Diſcordiæ tertium : in illo Imperator Eques Barbarum proſternit, in hoc Janus eſt, quem in memoriam diviſi inter duos fratres Imperii cuſum cum Occone arbitramur.

ANtonino ſublato Imperium occupavit

XL.

M. OPEL. SEV. MACRINUS.

FRagilis favor, qui donis paratur. Animi militaris plebeculæ inſatiabiles ſunt. Fertiliorem ſpem vel perjuriis emunt. Id ſi quiſquam, certè Macrinus expertus eſt. Occubuerat Antoninus : Ipſe ſuſceperat Imperium; Sed fidei exercituum diffidebat, diffidebat Senatui, diffidebat Populo. Populo, ne Caſtrenſis homo Pacis dulcedini contrarius videretur : Senatui, ne ob ignobilitatem generis contemneretur : Exercitibus, ne ob interempti Antonini ſuſpicionem odio foret. His ut obviam procederet, ſuſceptumque ſtabiliret Imperium, ſolitis uſus eſt Imperatorum artibus. Senatui verba dedit : Populum annonâ demulſit: Milites largitionibus ineſcavit. Annonæ abundantiam primô in Numi-

Numiſmate, Liberalitatem in ſecundo contemplamur. Verba ſenatui data, Epiſtola continet apud Julium Capitolinum; Idem & de Cauſa Liberalitatis teſtatur: *Ad delendum*, inquit, *Militum motum, ſtipendium & Legionariis & Prætorianis dedit ſolitô uberius, utpote qui extenuare cuperet Imperatoris occiſi crimen, profuitq; pecunia, ut ſolet, cui innocentia prodeſſe non poterat.* Profuit, ſed quousque? Donec redemptâ à Parthis Pace Antiochiam recederet. Ibi, omiſſâ Româ, dum barbam nutrit, omnique luxus genere diffluit, priſtinam militum indignationem & ſibi & filio expertus eſt fatalem.

IDem cum Patre fatum ſubijt & Filius

XLII.

M. OPEL. ANT. DIADU-MENIANUS.

DIadumenianum dictum ab Avo Materno volunt; Quamvis non multum hoc nomen abeat à Diademate, quod inter cætera huic juveni Imperialis faſtigii omen fuit. Numiſmata, quæ proponimus, inter arma Principē & Principem Juventutis exhibent. In Exercitu cum Patre electus, quidni inter arma collocaretur? Juvenis in Principali faſtigio, quidni *Juventutis Princeps* vocaretur? In adverſa & Antonini Nomen gerit: Hoc cùm tantæ, eo tempore, dignationis eſſet, ut Romanum culmen, niſi in Antonini Poteſtate, non videretur ſalvum, ingentibus Pater & largitionibus & promiſſis ab Exercitu mercatus eſt.

XLII.

IULIA MÆSA.

ANtequam de Elagabalo nobis ſermo, meritò ejus & Aviam præmittimus & Matrem. Avia fuit Mæſa, Soror Juliæ, uxoris Severi, cu-

jus, ut & filiorum ejus, ſub Principatu in Aula Imperatoriâ vixit ; Occiſo Baſſiano Eam ejecit Macrinus, ſed fatali ſibi Severitate ; Ejecta militibus perſuaſit, Elagabalum Caracallæ Filium eſſe, tantumq; largitionibus perfecit, ut Nepotem Jmperiali Solio inferrent, & contra Macrinum tuerentur. Elagabalo ob libidinoſam Luxuriam inviſo, ambitioſa Mulier, ut magnitudini ſuæ denuò proſpiceret, alterum Nepotem ex Filia Mamæa Alexianum, quem poſteà Alexandrum dixére, Elagabalo adoptandum perſuaſit, quod & factum. Ex his Numiſmatum noſtrorum interpretatio dependet. Omnes ſuas curas intendit Mæſa, ut ſe in Imperatoria dignitate tueretur. Imperatoriæ Dignitatis Præſes eſt Juno. Junoni in primo Numiſmate Mæſa ſupplicat : Junonem ſuam Conſervatricem jactat. Diis conſervantibus Felicitas Publica floret. Publicus imperij Status Navi ſimilis eſt. Is vel bellicis motibus concutitur, vel tranquillâ Pace recreatur ; Illum Navem inter procellas dixeris jactatam, hunc Navem inter placida fluctuum oſcula geſtientem ; Quam proinde Mæſa, ut Felicitatem publicam ſub Nepotibus doceret reſurrecturam, invento non vituperando inſcripſit: LÆTITIA TEMPORUM.

XLIII.

IULIA SOÆMIAS.

JUnonem Reginam jactat Soæmias, jactat Venerem Cœleſtem. Cave Pietatis hæc Idola credas: Sunt ſuperbiæ. Ipſa Soæmias ſub Dearum habitu latet : Ipſa ſe Junonem Reginam vocat: Ipſa ſe Cœleſtem Venerem. Junonem vocat, ſed melius dixiſſet, ſi Jovem. Juppiter cœlum regit, Hæc rexit Imperium Romanum. Rexit, ſed muliebri vertigine, nihil verita vel Senatum ingredi, conſulumq; occupare ſubſellia. Eodem modo ſe & Venerem vocat. Venerem ſanê, nam & Filium Imperatorem ex probro genuerat. Venus hæc non Pomum præfert, ſed Glo-

Globum, ut ejus in arbitrio Romani Imperii molem agnoſcas. In tertio Puerulus alludit : Sic Elagabalus Filius, dum ipſa Orbis negotia tractaret, per varia ludicrorum debacchatus eſt genera. Dignus Puer tali Matre ! Digna Mater tali Puero ! Dignus uterque violento, imò & probroſo, quem nacti ſunt, vitæ exitu !

XLIV.

M. AUR. ANTONINUS ELAGABALUS.

ADventum hîc Auguſti contemplamur: Contemplamur Currum, quo Elagabali Simulacrum in exſtructum à ſe Magnificentiſſimum deduxit Templum. Veniebat Auguſtus hic è Syria: Adveniebat Romam, ſi Herodiano fides, non, ut cæteri Imperatores, Romano indutus habitu, ſed peregrino & Barbarico. Ei ut populus adſueſceret, Imaginem præmiſerat & Suam & Dei ſui, quem & ante alios præcepit colendum. Quod habitum attinet, Herodiano contrariari videtur Numiſma Propoſitorum primum, quo Imperator Eques non barbarico exprimitur, ſed Romano. Fortè de Adventu in Caſtra hæc intelligas, quod haſtili armatus manum attollit, alloquentis geſtu. Id per me licebit. Currui impoſitam Aquilam cum quatuor vexillis agnoſcit Cl. Vaillant. In noſtra figura Aquilæ tam clarè expreſſa non eſt, ut non ipſius DEI Elagabali, quem inſcriptio arguit, potiùs Simulacrum credas. *Lapidem id maximum fuiſſe, ab imo Rotundum, & ſenſim faſtigiatum, propemodum ad Coni figuram, Nigri coloris, qui cœlo deciderit, formasque aliquas obtinuerit*, Herodianus Author eſt. Idem *à Sejugibus tractum* refert ; Sed in Nummo Quadrijuges ſunt. De Veſana Imperatoris hujus & luxuriâ & libidine plena ſunt Hiſtoricorum commenta.

PRima Antonini hujus Uxor fuit

XLV.

IULIA PAULA.

FRequens eſt in Auguſtarum Numiſmatibus Veneris cultus : Julia Paula Genetricem celebrat, idque ideò, quòd Eam non aliam ob cauſam Imperator duxerat, quàm ut ipſe dictitare ſolebat, *quò fieret Pater celeriùs* ; Neque enim ſubſcribimus TRISTANO, qui ex his verbis Juliam Paulam viduam fuiſſe colligit, quaſi fœcunditatis ejus ſpecimina jam tunc exſtitiſſent. Vanum hoc eſt. Potiùs ad Juvenilem ſuam ætatem reſpexiſſe dixeris Antoninum, Matrimoniique maturitatem cupiditate Sobolis excuſàſſe. Eam Cupiditatem ut expleret Paula, Venéri Genetrici ſupplicavit; Sed ſterili voto : Quî Mater fieret ex eo, qui ne vir quidem erat ? Mariti ſterilitas ſterilitatis cauſa erat ; Sed Uxor ſterilitatis pœnam ſubivit : Haud multò poſt repudiata, ademptis honoribus, in privatam ſortem recidit.

ALtera Elagabali Uxor fuit

XLVI.

IUL. AQUILIA SEVERA.

DUplicem hîc Virtutem oſtendit Severa, Pietatem & Concordiam. Pietas Sanctitatem indicat, quâ ante Matrimonium Diis devota inter Veſtales degebat. Concordia mobilem Matrimonii Fortunam. Maritus eam poſt repudiatam Paulam ex templo rapuit; Raptam ſibi ſociavit, quòd diceret : *Sacerdoti Sacerdotem convenire* ; Sociatam brevi repudiavit; Repudiatam recepit. Ex his apertum eſt, Severam hanc præſenti Numiſmate, ob reſtitutam cum Marito Concordiam, Diis gratias referre; Quid enim Concordia cum duplici Cornucopiæ & Patera ſuper Aram aliud ſignificet ?

XLVII.

XLVII.

IULIA MAMÆA.

ALexandro præmittimus Matrem Mamæam, Fœminam ſanctam quidem, & quæ filium ſobriè educaret, ſed ob nimiam Avaritiam & ſibi & Filio funeſtam. Hæc Fœcunditatem ſuam celebrat, celebrat Felicitatem publicam. Fœcunditatem in Imperatore filio: Felicitatem in ſecurâ Pace. Sat fœcunda eſt, quæ unum frugi hominem Reipublicæ dedit. Felicitatem publicam promovet, quæ Juveniles Imperatoris Mores ad omnem & Juſtitiam & Temperantiam efformat. Hinc dependet Civium Quies & Rerum abundantia ; Non tamen diuturna, niſi & Militarium animorum foveatur ardor. Erga hunc dum Mamæa liberalitatis exercendæ materiem filio ſubtrahit, & ſibi & Filio cauſa necis exſtitit, publicamque ſimul non procuravit, ſed peſſundedit felicitatem.

XLVIII.

M. AUR. ALEXANDER SEVERUS.

TEmporaria hactenus plerorumq; fuit Imperatorum Majeſtas. Hinc nihil mirum, quòd Alexander primo in Numiſmate Securam ſibi & conſtantem optaverit Perpetuitatem: Perpetuitatẽ Imperatoriæ Majeſtatis intelligi, ex Globo patet, Orbis Romani Symbolo, patet ex Sceptro, quod in ſiniſtrâ transverſum tenet. Conſtantem intelligi Perpetuitatem & Securam, patet ex Columnâ, cui innititur. Alexander hoc voti non tantùm Numiſmatibus impreſſit, ſed & ſtudiosè allaboravit, ut eo reipsâ frueretur. Id effecturum ſe ſperavit Humanitate & Prudentiâ

dentiâ. De Humanitate faſſus eſt ipſe ; Cùm hanc Ei nimiam objicerent & Mater Mamæa, & Uxor Memmia, *Molliorem*, dicentes, *poteſtatem & contemptibiliorum Eum ſibi feciſſe*, reſpondit: *SED SECURIOREM ET DIUTURNIOREM.* Providentiæ Exemplum Numiſma ſecundum exhibet. Annonæ eſt, quam, ut Ælius Lampridius ait, *diligenter inſpexit* : Qui providet Annonæ, & Plebi & Proceribus ſolet eſſe gratus ; Gratus & Civibus & Militibus. Horum favorem quis non perpetuæ felicitatis baſin credat ? Alexandro non fuit. Cùm res adverſus Perſas proſperè geſſiſſet, & jam Germanorum cervicibus inhæreret, dubium, an ex omnium ſententiâ, certè à ſuis, occiſus eſt.

XLIX.

SAL. BARB. ORBIANA.

SAlluſtia Barbia Orbiana (verbis utor Cl. Vaillant, hactenus Trajani Decii Uxor credita eſt ; Sed in eleganti Alexandri Severi averſæ partis Nummo, Gazæ Buoncompagnianæ, obſervata, pro legitimâ ipſius Alexandri Uxore ab Antiquariis pronunciata eſt, de quâ licet altiſſimum apud Scriptores ſilentium, Nummi tamen certiſſima ſunt Veritatis monumenta : Quod confirmat Nummus Trajani Decii in Theſauro Regio, in quo Uxor Etruſcilla ex adversâ parte ſculpta reſtituitur. Hactenus Vaillant. Ejus nos Authoritati lubentes aſſurgimus. Propoſitum Numiſma Concordiam exhibet, procul dubio Maritalem. Id ex alio Nummo conſtat, in quo eâdem ſub inſcriptione cum Marito Dextram jungit. Cæterùm duæ adhuc apud Scriptores Alexandri Uxores memorantur, Martia una, altera Memmia. Quarum primam Mammæa in Africam dicitur relegâſſe.

Occiſo

OCciſo Alexandro Imperium arripuit

L.

MAXIMINUS.

MAximinus ſordido ex Thracum genere, prima ſub Severo Militiæ rudimenta ſubiit: Inde Cyclopici roboris meritô ſurrexit, tandemque per parricidium Romano ſe immiſit Solio. Hunc Imperatorem primo in Numiſmate venerantur Samii, expreſſo Imbraſo ſive Parthenio eorum Fluvio, cujus & fertilitatem & gloriam hoc monumento Maximini proſperitati devoviſſe videntur. Ea miſeræ imbecillitatis Sors eſt, ut Tyrannos majore dignari neceſſe habeat veneratione, ne noceant, quàm Reges, ut benefaciant. Maximinus ſeveritatem Alexandri in crudelitatem verterat: Omnis eum Romanorum Orbis, ut Antæum quendam, aut Buſirem, horrebat: Solâ fulciebatur Militum fide, quæ in ſecundo Numiſmate celebratur, quamque & largitionibus & longâ conſuetudine meruerat. Hâc fretus, bellicos Alexandri apparatus contra Germanos eduxit, *tantumque agri*, ſi ipſi credis, *pervagatus eſt*, *ut non tantum potuerit loqui, quantum fecerat.* CCCC. *millia Germanorum vicos*, ait, *ſe incendiſſe, greges abduxiſſe, captivos abſtraxiſſe, armatos occidiſſe, in palude pugnâſſe, ſolâque paludum altitudine prohibitum, quo minùs ad Sylvas penetraret.* Hæc de Germanis Victoria variis in Numiſmatibus proſtat, nec dubium, quin & eodem ſpectet, quæ in propoſitorum tertio gradiens cernitur; Neque enim ſubſtitit Maximinus, ſed tantâ Victoriarum felicitate uſus eſt, ut ipſe Senatui denuò jactare potuerit; *Brevi tempore tot bella ſe geſſiſſe, quot nemo Veterum: Tantum prædæ in Romanum Solum attuliſſe, quantum ſperari non potuerit: Tantum captivorum adduxiſſe, ut vix ſola Romana ſufficiant.* Quorſum hæc, ſi crudelitate interim non Cives tantùm, ſed & Milites ſibi infeſtos reddit? Horum perfidiâ emarcuit, occiſus ad Aquilejam, cùm in Tentorio quieſceret.

LI.

MAXIMUS.

MAximi Nummos ex auro, hactenus non inſpectos ait Cl. VAILLANT. Ejus aſſertum facit, ut propoſitum adjicere neceſſe habeamus. Ut faciei pulchritudinem laudes, quæ paſſim amata dicitur à procacioribus fœminis, per nos equidem licebit, quamquam projecta menti extenſio minùs videatur amabilis; Certè Patri deformitatis nota fuit. De Pietate quæ in Numiſmate per Inſtrumenta Pontificalia notatur, nihil apud Authores; ſed ſuperbiæ ſufficiens mentio. Cum Patre in Tentorio occiſum conſtat, conclamantibus cunctis: *Ex peßimo genere ne Catulum quidem ſervandum.*

LII.

M. ANT. GORDIANUS AFR. I.

AUreos Gordiani Senioris ſe non inſpexiſſe, idem ait Cl. VAILLANT. Quem hîc exponimus, indubitatæ antiquitatis eſt. Imperator Togatus ramum protendit, ſiniſtrâ Parazonium tenet. Idem typus & in Argenteo occurrit, exhibeturque apud ARSCHOTANUM, ſed absque metalli determinatione. INTERPRES in ramo laurum agnoſcit, nos oleam putamus, credimusque Gordianum hoc Nummo futuri ſui Imperii Genium adumbrare voluiſſe, tanquam Orbi Romano Pacificum, contra hoſtiles autem incurſiones munitum; ſed utrumque fefellit optimum Senem. Parazonium in ſiniſtrâ exſtirpandis Patriæ hoſtibus impar erat; Unde Gordianus & vitam peſſundedit, & promiſſam Imperii Pacem.

LIII.

LIII.

M. ANT. GORDIANUS AFR. II.

DE Nummis aureis Gordiani Filii, qualis propositorum secundus est, eadem obtinet ratio, quæ & in Patre. Negat Cl. VAILLANT eos in Cimeliarchiis observari ; At Nos de sinceritate Nostri nihil dubitamus. Primus Virtutem Militarem exhibet, Secundus Providentiam, Tertius Victoriam. Ex Victoriâ patet omnia hæc non veritatis indicia, sed Votorum esse. Victoriam Gordiani nullam obtinuere, & tamen in Nummis lauream Victoria Eis impositura festinat. Noli mirari ! Apud JUL. CAPITOLINUM Senatus inter alia exclamat : *Imperatores* (Gordianos scilicet) *Dii* conservent ! *Imperatores nobiles VICTORES videamus!* En votum ! Idem Judicium & de Virtute est, & de Providentiâ. Militaris Virtutis encomium quâ meruerint in militiâ, non video ; Attamen Consul Romanus apud eundem JUL. CAPITOLINUM, ut Senatûs favorem eis conciliet: *Hostis*, inquit, *est Maximinus, Dii faciant, ut esse jam desinat, & GORDIANI SENIS felicitatem & PRUDENTIAM, JUVENIS VIRTUTEM atque CONSTANTIAM læti experiamur.* En votum ! Votum tamen, quod in Virtute & Prudentiâ radicatur. Mirum, quanta sibi de Gordianis promiserint Romani ! Sed omnia eventus destituit. Quæris causam ? Eam in Numismate secundo invenies: Prudentia Augustorum securior erat, quàm pro illis temporibus. Ubi potentissimus hostis adhuc spirat, nec adhuc firmata sunt Principalis fastigii limina, ibi ferro ad protegendum orbem opus est, non imbelli virgulâ.

AUdito GORDIANORUM interitu, MAXIMINO Senatus & PUPIENUM oppoſuit & BALBINUM.

LIV.

M. CLOD. PUPIENUS MAXIMUS.

VEneranda Pupieni Senectus, ſi ſola in Numiſmatibus radiaret, jam ſufficiens materies eſſet, in quâ Juventuti Honoris Idolum oſtenderemus ; At Virtutes ejus & merita, Senectutis gloriam extollunt. Concordia, quam cum Balbino in Republicâ adminiſtranda coluit, encomium expreſſit *Caritatis mutuæ.* Utriusque in communem ſecuritatem ſtudium *Patres Senatûs* probavit. Verè Patres, qui à Maximini metu Rempublicam liberârunt, qui quaſſatam reſtituerunt & Pacem & Felicitatem. Reſtituerunt, ſed dum conſervare nituntur, exaſperatæ militum licentiæ præda fuerunt.

LV.

D. CÆL. BALBINUS.

ETiam Balbini Numiſmata Auguſtorum Concordiam celebrant, ſi non explicitè, attamen implicitè. Fides Concordiæ vinculum

vinculum eſt : Qui fidus eſt, concors ſit, neceſſe eſt. In ſecundo Numiſmate Victoria Lauream porrigit, an Balbino ? Atqui Balbinus Romæ remanſerat, cùm Pupienus contra Maximinum abiret. Inſcriptio rem declarat : Victoria Auguſtorum eſt ; Reipublicæ in Commune conſulebant Optimi Principes, & ex lege Concordiæ, quod Unus fecit, id & alterius famæ ceſſit, reſervatâ tamen Diis felicioris adminiſtrationis Gloriâ. Id ex tertio Numiſmate patet, in quo Providentiâ Deorum exprimitur, & radio Orbem protegens, & ſuſtinens Cornucopiæ, uberioris rerum abundantiæ Symbolum.

LVI.

M. ANT. GORDIANUS.

MEminit hujus Numiſmatis, clari ſanè & memorandi, Illustris Spanhemius *Diſſertatione Nonâ.* Pars antica Gordiani effigiem repræſentat laureatam, cum Inſcriptione AYT. KAI. M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝ. Averſa duas figuras ſuper aram dextras jungentes cum inſcriptione CIΔHTΩN ΠΕΡΓΑΙΩN OMONOIA. Sidetanorum & Pergæorum Concordia. Utrosque Pamphyliæ incolas novimus. Sidetani in Ciliciæ confiniis maritimam habitabat Urbem, Pergæi mediterraneam : Illi Orientem verſus, Hi Occidentem. Figuræ in Numiſmate expreſſæ Diana ſunt & Minerva. Diana Pergæorum eſt, Minerva Sidetanorum. De Dianâ Pergæâ in ſuperioribus dictum. De Minervâ Sidetanorum teſtatur Strabo : *Side*, inquit, *Cumæorum Colonia, ubi MINERVÆ eſt Ædes.* Sidetanorum Etymon per Malum Punicum, quod interjicitur, expreſſum agnoſcimus:

ΣIΔHN id Græcis dici,

quis ignorat ?

LVII.

ALIA GORDIANI.

QUòd in auro Gordiani Numiſmata rariora ſint, quædam eorum adhuc ſubjicere viſum eſt. Primum Virtutem Auguſti exprimit per Herculem, Secundum Providentiam per Figuram ſtantem, dextrâ globum, ſiniſtrâ Sceptrum tenentem. Quid in Principe deſideres, ſi ſubjecto Orbi proſpiciat, Hoſtes Herculeâ virtute terreat? Id Gordianus ut faceret, non juvenili ardore, ſed Soceri ſui Miſithei, Viri prudentiſſimi, Conſiliis uſus eſt: Tantâ felicitate, ut & Perſas proſtraverit & æternam, ſi non Victoriam, at Victoriæ retulerit Gloriam: Felicior futurus, ſi & Philippi inſidias Providentiâ ſuâ diſpellere potuiſſet.

LVIII.

TRANQUILLINA.

TRanquillinam in omnibus Nummis, quos quidem viderit ipſe, ΦPOYειαν vocari, Cl. PATINI aſſertum eſt. In noſtro apertè ΦOYPια legitur, qualiter & apud OCCONEM & TRISTANUM; Qui poſterior proinde ex nudâ conjecturâ, quòd Furia fuerit nomen à Romanis ſæpè uſurpatum, judicium

judicium posuisse, non videtur. In aversa Samii fortunam suam Augustæ commendant, procul dubio ejus favore conciliaturi & Gordianum Augustum & Misitheum Præfectum Prætorio, quorum ille Tranquillinæ Maritus, Hic Parens fuit: Uterq; omni laudum genere memorandus; Unde nec dubium, quin eadem Sanctitas & Augustam decoraverit.

LIX.

M. IVL. PHILIPPUS.

De Virtute militari Philippi Patris, in secundo Numismate simul cum Filii expressâ, non dubitabit, qui hâc Eum conciliante ab infimo gradu ad Dignitatem Præfecti Prætorio ascendisse, ex Historicis nôrit. Tristanus insolitum ejus typum miratur. Id non feciſſet, si eundem in Severi Numismate, suprà allato, observâsset. Tertium Numisma Pacem cum Persis fundatam jactat: *Sacramentis*, inquit Zosimus, *interve nientibus, amicitiâ cum SAPORE constitutâ, belloq; sopito, Romam proficiscitur.* Factum id est statim initio Imperii, cùm Gordianus in Persiæ confiniis occubuisset. Primum Numisma, quod & Tristanus vulgavit, & Cl. Patinus ab Antiochiensibus cusum, si Tristano fides, sub Capite turrito, Urbis alias Symbolo, effigiem Ottaciliæ exhibet, Uxoris Philippi. Quartum Numisma Sæculum, post exactos, ab Urbe condita, Mille annos, Novum testatur. Quæ figura in Templi medio sit, non satis discerno: Ipsum Imperatorem arbitratur Arschotani Interpres, cui tamen subscribere

vereor, cùm Veſtis Fœminam arguat; In Quinto Sæcularium mentio eſt, quæ Philippus omni Ludorum genere celebravit: *Innumerabiles*, inquit Cassiodorus in Chronico, *Philippus cum Filio ſuo beſtias in Circo magno interfecit.* Variæ adhuc in Nummis proſtant. Nos Leonem dedimus, qui ut omnium Rex creditur, ita & omnium vices facilè ſuppleverit.

LX.

M. OTTACILIA SEVERA.

Quæ Ottacilla quibusdam vocatur, Ottaciliam reverâ dictam, ex Nummis conſtat. Chriſtianam fuiſſe, non magis crediderim, quàm de Marito Ejus. Pudicitiam jactat; At hæc Virtus etiam Gentilium eſt. Pietate fulſit; In quem Deum? Numiſma Tertium rem decidit. In eo Junonem Conſervatricem ſuam veneratur. Quæ Junonem veneratur, certè Chriſtiana non fuit: Niſi Numiſma vel ante Ejus converſionem, vel ab aliis cuſum ſtatuas, quod poſterius tamen vix crediderim, cùm non honori fuiſſet, ſed offenſæ. Primum Numiſma Hippopotamum exhibet, & pertinet ad Sæculares, de quibus modo dictum.

LXI.

M. IVL. PHILIPPUS FIL.

Perfidum Philippi Patris ſtrategema, quo Gordianum ſubvertit, Annonæ caritas fuit. *Cùm MILITAREM ANNONAM PHILIPPUS*

LIPPUS abundè convehi cerneret, inquit Zosimus, *Imperatore propter Carras & Nisibin cum Exercitu adhuc hærente, naves, quæ commeatum militarem continebant, ad interiora penetrare jussit, ut fame pressus & inopiâ rerum necessariarum Exercitus ad seditionem impelleretur. Eventus Consilio respondit: arreptâ de penuriâ commeatûs occasione GORDIANUM, nullâ decori ratione habitâ, circumventum, veluti cujus culpâ periret Exercitus, interficiunt, & PHILIPPUM, ceu convenerat, Purpurâ vestiunt.* Ex his Zosimi verbis abundè constat ratio, cur Nicomedienses in proposito Numismate Cererem expresserint. Cùm Philippus impeditâ Annonâ Gordianum sustulerit, quis dubitat, quin adulatio Gentium corvos in columbas mutaverit, tamquam unicum Philippi Donum esset, quòd Annonæ copia Exercitui rediisset.

LXII.

TRAIANUS DECIUS.

TRajanus Decius à Philippo in Mysiam Pannoniamque ad Legiones cùm missus esset, ab his Imperator dictus, commissum sibi robur ipsius in Philippi cervicem retorsit. Vir Trajano similis, & laudandus, nisi innocenti Christianorum sanguini crudeliter inhiasset. Numismata ejus Virtutem ad oculos demonstrant : Primum Pannonias exprimit, Superiorem & Inferiorem, à quibus Imperii fasces primùm accepit. In sinistrâ alterius, Clavam agnoscit Arschotani Interpres ; At nos Cornucopiæ, quod de Regionis fertilitate interpretamur, non minùs ac Genii Illyriciani Calathum. Secundum Numisma Augusti Adventum celebrat, an in Castra ? Pronus sum, ut credam. Pacificatoris habitus opinioni suffragatur. Tertium Numisma Uberitatem Augusti exprimit per figuram Dextrâ Crùmenam, sinistrâ Cornucopiæ tenentem,

tem, quam de Liberalitate in Milites explicandam auguramur. Quartum Virtutis Militaris teſtis eſt, quâ freti Trajani Milites, cùm adverſus Philippum pergerent, licet pauciores, certam tamen Victoriam ſibi promiſére. At! At! Quid Virtus contra proditionem? Cùm Decius contra Gothos, Mœſiam & Thraciam devaſtantes, audaciùs quàm conſultiùs depugnaret, à Gallo Mœſiæ Limitis Præfecto deceptus, ſimul cum Filio legitur interiiſſe.

LXIII.

ETRUSCILLA.

HErennia Etruſcilla hactenus Trajani Filia, & Uxor Voluſiani credita eſt; Sed Trajani non Filiam, ſed Uxorem, loco ereptæ Barbiæ Orbianæ, aſſerit Cl. Vaillant: Idq; fide Nummi in *Theſauro REGIS GALLORUM*, in quo, ex adverſo Decii Conjugis, ſignata ſit Etruſcilla. De moribus, ſi Authores taceant, Numiſmata loquuntur, loquitur Mariti Genius. Quem ex ſe non noveris, noveris ex ſocio. Trajanus Decius omni laudum genere cumulatur, quidni & Etruſcilla Uxor? Pudica fuit: Velum faciei obtendit. Imò & Magnifica: Junonem Reginam veneratur. Utrumque in Numiſmatibus, quæ, etſi rara non ſint, Seriei tamen ornandæ ſerviunt.

LXIV.

Q. HER. ETR. MES. DECIUS.

HErennius Etruſcus Decii Filius à Patre *Cæſar*, poſt & *Auguſtus* dictus, in primo Numiſmate Spem ſignavit. In ſecundo Pietatem: Pietatem non ſuam tantùm, ſed & Patris. Id ex Inſcriptione patet, in quâ Pietas non Auguſti, ſed Auguſtorum habetur. Pietas

hæc

hæc per Mercurium exprimi creditur, quòd ipſe primus Religiones invenerit. Ubi Pietati Princeps regimen ſuum ſuperſtruit, ibi & de Principis Filio futurorum temporum felicitatem ſibi promittit Orbis. Hæc Spes eſt Publica, quam in primo Numiſmate etiam de Etruſco teſtantur Romani.

DEciis ſublatis, in Imperio remanſit

LXV.

C. VAL. HOSTILIANUS MES. QUINTUS.

HOſtilianum Decii Alii Generum faciunt, Alii Filium. Sub eo cum Etruſco Cæſarem fuiſſe, certum eſt ex Numiſmate, apud Cl. Patinum, in quo utriusque Effigies conjuncta inſcribitur ETRUSCUS & QUINTUS CÆSS. Eadem *Cæſaris* appellatio & arguit, Numiſmatum, quæ proponimus, Primum & Secundum ſub Decio adhuc eſſe percuſſa. Idem & ex aversâ Primi collegeris, in quâ Pannoniæ, quæ & in Decii Nummo, quòd iis in Orbis partibus Imperiale culmen is aſcendiſſet. Secundum Numiſma Pudicitiam exhibet, qualem aliâs fœminæ; Sed Juvenilis hæc ætatis Virtus eſt, quæ & in Maſculis laudanda. Tertium & Quartum, Auguſti Honores præferentia, poſt Decium ſublatum cuſa videntur, & alterum quidem, cùm jam & Gallus Auguſtus vocatus eſſet. Concordiam utriusque, in Tertio per Dextras junctas agnoſcimus. Cuſtodiam Securitatis Hoſtilianus in Quarto per Martem Propugnatorem expreſſit: An quod infida Imperii Societas? Facilè adducor, ut credam. Sed metum ademit non Mars, ſed Mors. Ademit metum, ſed ademit & metus cauſas, & vitam & Imperium. Melius feciſſes, Hoſtiliane, ſi contra peſtiferum virus non Martem coluiſſes, ſed Hygejam.

LXVI.

C. VIB. TREB. GALLUS.

QUomodo Gallus ad Imperium pervenerit, in præcedentibus eſt dictum. In Nummis his Sæculum novum jactat, jactat Junonem Martialem & Victoriam, omnia ſine Hiſtoriæ fulcro. Sæculum ſub Philippo novum erat. Sub Gallo poſt exactos aliquot annos novitas jam deferbuerat. Junonis Martialis Templum in Octavâ Urbis Regione fuiſſe, SEXTI RUFI aſſertum eſt; At quô meritô hæc Dea à Gallo ſignetur, non video. Ei, qui Principem ſuum prodidit, Pacem à Barbaris emit, à Succeſſore prœlio cæſus eſt, certè nec Juppiter nec Juno Martiales adfuerint. Hinc & ſubit mirari, quid in Tertio Numiſmate Victoria? Adulationis certè monumentum eſt, vel falsò præſagientis vel impudenter mentientis. Quartum Numiſma majorem in Hiſtoriâ baſin agnoſcit. Cùm Galli tempore, tantô peſtilentia venenô ſævierit, ut & Hoſtilianus eâ periret, cui Deo ad mitigandum malum potuit ſupplicare homo Ethnicus? Cui potuit referre gratias ſervatus, ſi non Apollini, Rectori Solis, cujus radii corruptum aërem temperant, & à noxiis exhalationibus Terræ purgant? Id Eum feciſſe, hoc Numiſma Teſtimonio eſt, in quo Apollinem *Salutaris* Encomio decorat, Felicior forſan, ſi & Martem Salutarem expertus eſſet. Hunc dum contrà Æmilianum conſiſtit, ſibi contrarium ſenſit. Cæſus à ſuis, & Vitam amiſit, & maximum vitæ decus Imperium.

LXVII.

LXVII.

C. VIB. VOLUSIANUS.

VOlusianus Galli, ut creditur, Filius, sub Hostiliano *Cæsar*, & Eô mortuô, cum Patre *Augustus*, nullâ re notior est, quàm peste, quæ omnes tunc Romani Imperii ditiones corripuit. En causam, cur in secundo Numismate Pietas Augustorum ante aram manus attollat. Calamitatem Publicam deplorat; Cœlumque precibus fatigat, ut tanti mali vim comminuat. En causam, cur in tertio Numismate Salus Augustorum serpenti pateram protendat, escam captaturo. Serpens Sanitatis Genius credebatur; Hic si probè curetur, ex erroneâ persuasione, nullus morbidæ contagionis est metus. Quicquid sit, Volusiano pepercit pestis, at non pepercit ferrum. Dum Æmilianum debellaturus cum Gallo progreditur, cum eodem à suis cæsus est. Id mirum! Junonem colebat Majestatis Præsidem, imò Junonem colebat Martialem, quæ & in bello Imperatorios Spiritus defendit. Id Gentilibus creditum est, sed quàm verè vel unius Volusiani docuit exitus.

LXVIII.

C. IUL. ÆMILIANUS.

AUreos Æmiliani hactenus non inspectos, Cl. VAILLANT ait. Noster Antiquitatis indubitatæ est, typi elegantissimi. Herculem Victo-

rem celebrat cum Clavâ, Leonis Pelle, & Arcu; Cum Arcu, ſed absque telo: Procul dubio, quòd tela jam in hoſtiles acies emiſiſſet. Cùm ſub Gallo & Voluſiano Scythæ Romanum Imperium liberiore motu incurſarent, Æmilianus Ordinum Pannonicorum Dux, militibus ſuis confirmatis, eos aggreſſus eſt, magnamque partem occidit, & in hoſticum tranſiens, quicquid occurreret, obtruncavit, eôque factô præter omnem ſpem Romanum Imperium liberavit, & à militibus *Imperator* dictus eſt. En factum ferè Herculeum! Hercules Patriam ſuam à Tyrannorum inſultibus vindicavit, Æmilianus ab inſultibus Scytharum. Sic meritò vocatur in Inſcriptione *HERCULES CONSERVATOR*, in Numiſmate *HERCULES VICTOR*. Et tamen ſuorum Inſidias evitare non potuit. Gallus, audito Æmiliani Adventu, Valerianum ablegaverat, ut Gallicas Germanicasque adduceret Legiones; Cùm Hic Gallo Voluſianoque occiſis appropinquaret, Æmilianus, quòd militari magis, quàm Imperatorio more res aggrederetur, à ſuis cæſus eſt, Imperiumque communi omnium ſententia Valeriano traditum.

LXIX.

P. LIC. VALERIANUS.

IMperator Valerianus, acceptis faſcibus, ut ingruentes undique Romanæ Ditionis hoſtes ſubmoveret, Filium Gallienum primò *Cæſarem*, deinde etiam *Imperii Conſortem* fecit. Hinc, partitis Provinciis, Filius contra Germanos ad Rhenum properavit, Pater autem Orientem verſus abiit, vexatusque & peſte & iniquo præliorum eventu à Sapore Perſarum Rege in vincula conjectus eſt, cùmque, maximo cum Romani Nominis

Nominis dedecore, Equum aſcenſuro diutius pro ſcabello fuiſſet, tandem detractâ à Capite ad pedes cute, indigno tantâ Majeſtate fato periit. In Numiſmate primo Pietatem Auguſtorum cernis. Uterque eſt, Pater Valerianus & Filius Gallienus : Aræ adſtant, alter Aquilam, alter Scipionem tenet. An hæc Pietas mutua ſit, quâ alter alterum fuerit amplexus, an verò Pietas in Deos, de eo jam non diſquirimus. Id conſtat, Gallieni Pietatem in Patrem fragili pependiſſe filo, utpote quæ Patre capto non luctum Filio ſuaſit, ſed hilaritatem & lætitiam. Apollinem Conſervatorem, ut & in ſuperioribus, contrà peſtis ſævitiam crediderim invocatum, tunc, *cùm*, ut Zosimus ait, *in Oriente ea VALERIANI Exercitum invaſiſſet.* Vulcanus & Victoria bellicam & Providentiam mentiuntur & Gloriam, non Valeriani, ſed & Gallieni: Id ex Inſcriptione Victoriæ patet, non Auguſto ſed Auguſtis eam vindicante.

LXX.

MARINIANA.

MArinianam, Alteram Valeriani Uxorem, Cl. Patinus conjicit eſſe Filiam Marini, Ejus, qui Philipporum temporibus deguſtaverat Imperium. De moribus nihil apud Authores. Numiſma conſecrationem teſtatur, expreſsâ volucre Junoniâ, geſtu ſat arrogante: Caudam explicat, & collum protendit, qualiter ſuperbiæ ſolet eſſe index. Si hinc Conjecturam efformes, forſitan idem vitii & in Marinianâ inveneris.

LXXI.

P. LIC. GALLIENUS.

SEx hîc exponimus Gallieni Nummos, duos aureos, duos argenteos, duos æreos. Aurei Fidem Militum celebrant & Æquitatem Auguſti. Fidem Militum in laureâ, quòd inde Victoriam ſperaret; Æquitatem cum Cornucopiæ, quòd inde Rerum abundantiam. Neutrum ſi evenerit, mirum non eſt; Neque enim fidus miles, neque æquus Imperator. Is æquus non eſt, qui illatam Patri injuriam non tantùm non vindicavit, ſed & lucro appoſuit. Fidi non ſunt, qui perfido auſu Imperiale faſtigium pro lubitu vendiderunt. Triginta hujus temporis Tyranni rem in aprico ponunt, ut ita non opus ſit, pluribus eam demonſtrare; Niſi ad eos Milites hoc Numiſma reſtringas, qui cum Gallieno in Expeditionibus erant. Argentei Nummi jactant Germaniam & Galliam. In priore Tropæum eſt de Germanis, in poſteriore Imperator Galliam reſtituit. Hunc Nummum poſt cædem Poſtumorum, qui Gallias obtinuerant, cuſum, Occonis conjectura eſt. Ad utrumq; Numiſma Aurelii Victoris Teſtimonium placet, qui *GALLIENUM GERMANOS A GALLIA ſtrenuè ait arcuiſſe.* Ærea Numiſmata Græca ſunt: Prius Epheſiorum, ſecundum Gordenorum Lydiæ. Utrorumque Fortuna ſub Gallieno rerum abundantiam jactat; Altera & Aræ thura ſuperfundens, ob conciliatam ſibi felicitatem Divinis Ei honoribus debitas videtur perſolvere gratias.

LXXII.

LXXII.

CORNELIA SALONINA.

COrneliam Saloninam, Attali Filiam, malè cum Pipa ſive Pipara Marcomannorum Regis Filia quibusdam confundi, Cl. TRISTANUS obſervat. Pipara Gallieni Concubina erat, Salonina erat Uxor. Uxor Dignitatis Nomen eſt, at Concubina Voluptatis. In Numiſmatis adverſa Cognomen obſervatur ΧΡΥΣΟΓΟΝΗ, quod Græcum eſt, cùm reliquâ CORNELIA SALONINA Romam ſapiant, impoſitaque videantur, præſertim prius, poſtquam Imperiali Conjugio cum Gallieno coaluiſſet. Averſa eadem ferè in Gallieni Numiſmate apud Cl. PATINUM occurrit. Is figuram ſtantem Cybelen arbitratur, Peculiare Numen ſive Phrygiæ ſive Joniæ, cujus, ut ex Inſcriptione patet, in Urbe Metropoli Numiſma cuſum eſt. Forſan & Urbis Typum auguraberis, quòd ante Aram non Gallieni tantùm Statuam protendat, ſed & ſiniſtrâ Cornucopiæ Hæc Mulier teneat, indicatura procul dubio; *Partes GALLIENI ſanctè fovendo, omnem ſe rerum abundantiam poſſidere.* Ex Hiſtoricis conſtat, cùm omnes ferè Orbis Romani ditiones contra Gallienum inſurgerent, Joniam ei fidam perſtitiſſe. Id ope Attali effectum Saloninæ Patris, conjectura TRISTANI eſt, quod ſi verum, eò major cudendi hujus Numiſmatis ratio fuit.

LXXIII.

P. LIC. CORN. SALONINUS VALERIANUS.

SAloninus Gallieni ex Saloninâ Filius, à Matre potiùs id nominis accepit, quàm ab Urbe Salonâ. *Cæſar* ſecundum quosdam ab Avo Valeriano

Valeriano, ſecundum alios à Patre Gallieno appellatus eſt. Quicquid ſit, carô conſtitit Paternus Amor : Poſtumo contra Barbaros in Galliam proficiſcenti creditus, cùm Coloniæ moraretur, à Gallis, Poſtumo poſt devictos hoſtes Imperium deferentibus, occiſus eſt. Gallienus, ut necem intellexit, in Deorum numerum Eum retulit & conſecravit, vindictamque ſpirans contra Poſtumum in Gallias progreſſus eſt. Conſecrationis Teſtem ſe ſiſtit Numiſma ſecundum, in quo præter averſam & DIVUS appellatur. In aliis Conſecratio non per Aquilam ſolam, ſed per Aquilam animæ in Cœlum deferendæ Miniſtram præfiguratur. Utrumque in Numiſmatibus receptum eſt. Notanda hîc differentia inter Saloninum Gallieni Filium, & Valerianum Juniorem, Gallieni Fratrem, quam non obſervavit Occo. Uterque in Nummis Valerianus vocatur : Sed ille vel ex *Hiſtoriâ*, vel *Pronominibus* LIC. CORN. SAL. vel etiam *Conſecratione & appellatione DIVI* diſtinguitur. Gallieni Frater inter Divos relatus non eſt. Ex Hiſtoriâ Salonino addicitur Numiſma primum. Rationes adducit Cl. Tristanus. In Numiſmate *Cæſar* vocatur, Facies puerilis admodum eſt & pueritiæ tantæ, ut etiam in averſa ſub infantis ſimulacro Jovi comparetur ; At Valerianus Junior tunc demum *Cæſaris* nomen accepit ; cùm Gallienus vocaretur *Auguſtus*. Accedit quòd Imperialis infans fragili ratione Jovi creſcenti comparetur, niſi qui & in Imperii ſpem prognatus educatur : Talis Saloninus Gallieni Imperatoris Filius, non Valerianus Junior. Jovem Capræ beneficio educatum ex Mythographis conſtat.

LXXIV.

P. LIC. VALERIANUS.

VAlerianus à Patre Valeriano *Cæſar*, à Fratre Gallieno *Auguſtus* dictus eſt. Utraque Dignitas in Numiſmate primo habetur ; Illa in adverſa, hæc in averſa, niſi ſub voce AUGG. non Gallienum & Valerianum Fratres, ſed Gallienum & Valerianum Patrem intelligas. Pietatem certè, quæ hîc per *Inſtrumenta Pontificalia* exprimitur, in Valeriani Patris Nummo, ipſius Valeriani & Gallieni Filii, Aræ adſtantium ſimulacris præfiguratam modo dedimus. Secundo in Numiſmate

idem

Idem hic Gallieni Frater ſub Elogio PRINCIPIS JUVENTVTIS ſtans, dextrâ radium tenet, ſiniſtrâ haſtile, qualiter in bello Imperatores ſolebant. Imperatorem fuiſſe ex TREBELLIO POLLIONE conſtat, qui, capto jam Valeriano Patre, in Faſtis ſcriptum memorat: VALERIANO IMPERATORE CONSVLE. Ad bellicam quandam expeditionem hunc typum pertinere, facilè adducor, ut credam; quanquam eam determinare difficile ſit. Cum Fratre contra Claudium progreſſus, à Militibus Claudio faventibus ſimul cum Fratre occiſus eſt: Eodem exitu, diſſimilis moribus, qui & aliâ, quàm Gallienus prognatus legitur Matre.

EGregia ſub Gallieno fuit Tyrannorum Seges, plerique tamen Viri fortiſſimi, cùm Gallienus interim omni deliciarum genere diffluëret. *Oriens* Cyriadem dedit, dedit Macrianos & Quietum, dedit Odenatum, Herodianum, Mæonium, Baliſtam, Herennianum Timolaum: Et ne Fœminæ deeſſent, Zenobiam. *Africa* Celſum vidit, *Ægyptus* Æmilianum, *Iſaurica* Trebellianum, *Achaja* Valentem, *Theſſalia* Piſonem, *Pannonia & Illyricum* Ingenuum, Regillianum, Aureolum & Valentem ſuperiorem. His miſſis in *Galliam* abimus. Ibi Poſtumi, Victorini, Marius & Tetrici.

LXXV.

M. CASS. LAT. POSTUMUS.

ELegantiſſima juxta & rariſſima ſunt aurea, quæ damus Poſtumi Numiſmata. Primum ab utroque latere utriusque & Patris & Filii facies continet, illinc laureatas, cum inſcriptione: POSTUMVS PIVS FELIX AVG. hinc Patris laureatam, Filii galeatam, cum verbis VIRTVTI AVG. In ſecundo Patris Effigiem cernimus Galeatam cum Inſcriptione: POSTUMUS AUG. in aversâ Victoriâ Imperatori Globum & Sceptrum tenenti Lauream imponit. Cauſam rei aperit Inſcriptio: VIC. GERM. P. M. TR. P.V. COS. III. P. P. Si nulla de Poſtumis apud Hiſtoricos mentio extaret, hæc Numiſmata ſuf-

ficientes & rerum geſtarum, & Virtutum teſtes eſſent. Virtutem exhibent non alio ſchemate, quàm utriusque Imperatoris Effigie. Audiamus Valerianum : *Trans-Rhenani*, inquit Ille in Epiſtolâ ad Gallum, *Trans-Rhenani limitis Ducem & Galliæ Præſidem POSTVMVM fecimus, Virum digniſſimum ſeveritate GALLORVM, præſente quo non miles in Caſtris, non jura in foro, non in Tribunalibus lites, non in Curiâ Dignitas pereat : Qui unicuique proprium & ſuum ſervet ; Virum, quem ego præ cæteris ſtupeo, & qui locum Principis mereatur Jure, de quo ſpero, quòd mihi gratias agetis. Quòd ſi me fefellerit opinio, quam de illo habeo, ſciatis, nusquam gentium reperiri, qui poſſit penitus approbari. Hujus filio, POSTUMO nomine, Tribunatum Vocontiorum dedi, Adoleſcenti, qui ſe dignum Patris moribus reddet.* Hæc Valerianus Imperator. De Victoriâ Germanicâ Trebellius Pollio, *Nimius Amor*, inquit, *ergà POSTUMUM omnium erat in Gallicâ Gente Populorum, quòd SUBMOTIS OMNIBUS GERMANICIS GENTIBUS, Romanum in priſtinam Securitatem revocâſſet Imperium.* Quæ poſt tam aperta Authorum verba teſtimonia deſideres ?

A Poſtumo, contrà Gallienum aliosque, in Imperii Conſortium aſcitus eſt

LXXVI.

M. PIAVVONIUS VICTORINUS.

Victorinum hunc Piavvonium nominatum, ex Numiſmatibus conſtat. Duo eorum produxit Tristanus, qui & contra Trebellium Pollionem latiùs probat, Eum Poſtumo ſuperſtitem non fuiſſe, ſed quatuor ante Ejus cædem annis occubuiſſe. Numiſmata noſtra præter Effigiem etiam Virtutem oſtendunt & Pacem. Virtutem per Figuram ſtantem, dextrâ Haſtam, ſiniſtrâ Clypeum tenentem, id quod Mars Conſervator ſolet. Ipſum Imperatorem hâc figurâ adumbrari, ex dependente Chlamyde conjicimus. Quietus eſt, non tamen absq; armis; Quietus eſt, ut Imperii ſui dulcedinem propinet ; Armatus, ut contra hoſtiles Inſultus ſe paratum oſtendat. Altero Pacis cuſtodia innuitur,

altero

altero Pax, quæ & in ſecundo Numiſmate Oleam prætendit. Sic in Pace conſervandâ, Hoſtibusque Pacis turbatoribus propulſandis, quin Virtutem ſuam poſuerit, vel ponere voluerit videri, ex his dubitari non debet; Quamquam & aliis excellucrit : *JULIUS ATERIANUS*, referente POLLIONE, *Ei neminem præferendum ſcripſit, non in Virtute TRAIANUM, non ANTONINUM in Clementiâ, non in Gravitate NERVAM, non in Gubernando Ærario VESPASIANUM, non in cenſurâ totius vitæ ac ſeveritate militari PERTINACEM vel SEVERUM.* Quis in tali credat fuiſſe maculam ? At fuit, & tanta, quæ omnia reliqua offuſcavit : Dum Libidini vacat, alienasque contrectat Uxores, non tantùm Virtutum Præconium amiſit, ſed & Vitam.

POſtumis ſublatis, ab Exercitu electus eſt

LXXVII.

M. AUR. MARIUS.

MArium TREBELLIUS POLLIO tres dies imperâſſe ſcribit : Et ne hos quidem, cum Primô fuerit electus, Secundô regnaverit, Tertio fuerit interfectus. Id TRISTANO veriſimile non videtur, cùm non tantùm plura Ejus Numiſmata exſtent, ſed & Typus propoſiti, Hiſtorici ſit argumenti. Victoriam exhibet, quam an tam brevi Imperii ſpatio vel potuerit reportare, vel publico ad Poſteros celebrare monumento, haud immeritò dubitatur. CAMDENUS *ex Mamesburienſi*, ut idem TRISTANUS obſervat, Inſcriptionem citat, Victoriæ cujusdam à Mario in Britanniâ obtentæ Teſtem. Huic ſi fides, & Numiſmatis noſtri ratio conſtabit, & extendetur non tempus tantùm Imperii, ſed & Imperii Magnitudo.

MARIO ſublato, ſuadente VICTORIA Imperium ſuſcepit

LXXVIII.

C. PESUVIUS. TETRICUS.

TEtricus non Gallias tantùm, ſed & Partem Hiſpaniæ tenuit, feliciter juxta & conſtanter, donec Militum impudentiæ pertæſus Aureliano, devictâ Zenobiâ redeunti ſe dederet. Ab hoc in Triumpho ductus eſt. Poſtea tamen inter amiciſſimos habitus Italiam regendam accepit, & in honore conſenuit. C. PESVVIVM vocatum & cognomento PIVESVVIVM, TRISTANUS fide duorum Numiſmatum aſſerit. Propoſita Victoriam Auguſti Comitem jactant, jactant Hilaritatem. An per Victoriam Auguſti Comitem ad Victoriam alluſerint, quâ hortante, ut modo dictum, Imperii habenas accepit, Peritiorum judicium eſto ! Illud conſtat, tanta Hominem tam contra Barbaros, quàm alios Reipublicæ Hoſtes geſſiſſe, ut Occidens, niſi Hunc Protectorem nactus fuiſſet, Romano Imperio procul dubio excidiſſet. Inde planum eſt, non abs re Victoriam in Numiſmate primo *Auguſti Comitem* appellari. Victorias ſequitur Hilaritas & Reipublicæ & Auguſtorum. Hæc in ſecundo Nummo, ſolitô Hilaritatis typô, dextrâ Palmam tenet Victoriæ Symbolum, ſiniſtrâ Cornucopiæ; Scilicet, quòd ex Victoriâ Rerum abundantia, ex rerum abundantiâ Hilaritas exſurgat.

TEtrico ad Imperium progreſſo, Cæſar appellatus eſt Filius Ejus

LXXIX.

C. PIVES. TETRICUS.

QUod Agnomen in Patre erat, id in Filio Prænomen eſt. PIVESVVIVS vocatur, non ex Familiâ naturali, ſed, ut TRISTANUS auguratur

ratur, ex adoptivâ. Hunc non Cæſaris tantùm fulſiſſe dignitate, ſed & Auguſtum vocatum, & ex præcedentibus conſtat, (in quibus Hilaritas Auguſtorum celebratur, quod de utroque & Patre & Filio intelligendum,) & ex horum Secundo, in quo Victoria Comes Auguſti non Patris Capiti apponitur, ſed Filii. Adde Numiſmata Oc CONIS, in quibus Inſcriptio IMP. TETRICVS PIVS AVG. De Victoriâ idem Judicium eſt, quod in Patre. De Principe Juventutis idem, quod in Valeriano juniore.

GAllieno propè Mediolanum interemto, Gallias adhuc obtinente Tetrico, Illyricum Aureolo, Orientem Zenobiâ, Imperium Romanum accepit

LXXX.

M. AUR. CLAUDIUS.

CLaudii, quæ proponimus, Numiſmata non Ejus Virtutem tantùm exhibent & Conceptam de eâ Spem, ſed & Victorias: Virtutem quidem Militarem, Spem publicam, Victorias ſub Marte & Jove, quorum Alter opima de hoſtibus ſpolia refert, Alter iis devictis haſtæ innititur,& fulmen tenet. Virtutem hîc militarem intelligi, Simulacrum galeatum oſtendit, additur & finis ejus Olea, quam protendit, Symbolum Pacis, quam à Virtute Claudii ſibi pollicebantur Romani. Conciderat hæc ſub Gallieno. Pleræque Orbis partes Tyrannis adhuc parebant. Inſtabant & Barbari. Quid Populus ? In Claudii Virtute Spem collocavit. Audito Imperatorem factum, ſolenniter acclamatum eſt : *AUGUSTE CLAUDI, Dii Te nobis præſtent ! CLAVDI AUGUSTE, Principem Te, aut qualis Tu es, ſemper optavimus!*

CLAUDI AUGUSTE, Te Respublica requirebat; CLAVDI AUGUSTE, Tu Frater, Tu Pater, Tu amicus, Tu bonus Senator, Tu verè Princeps; CLAUDI AUGUSTE, Tu nos ab Aureolo vindica! CLAUDI AUGUSTE, Tu nos à Palmyrenis vindica! CLAUDI AVGVSTE, Tu nos à Zenobiâ & à Victoriâ libera. CLAUDI AVGVSTE, Tetricus nihil fuit. Non fefellit Populum Romanum hæc Spes. Claudius, tanquam alter Mars Aureolum à Reipublicæ Gubernaculis depulit, *Gothorum*, ut ipſe ſcripſit, *CCCXX. millia delevit, II millia Navium merſit. Tecta ſunt Flumina ſcutis, operta ſpathis & lanceolis litora, Campi oſſibus tecti, Tantum mulierum captum, ut binas & ternas Victor miles ſibi potuerit adjungere.* Non ſtetiſſet Martialis Virtus, niſi invida fatorum ſeries fortiſſimo Imperatori Spiritum ademiſſet. Stabat Claudius, tanquam alter Juppiter dejectis Gigantibus: Stabat & Victrici fulmine inſtructus, reliquas Cœli ſui partes diſpiciebat, ſi qui devoto obſequio ſe redderent, Eos protecturus; ſi qui refractario auſu rebelles perſiſterent, Eos oppugnaturus. Reddiderunt ſe Ægyptii, Reliquos quò minus oppugnaret, graviſſimus morbus effecit, qui non in Exercitu tantùm invaluit, ſed & ipſum Claudium mortalibus exemit, &, ut Pollio loquitur, *familiari Virtutibus ejus Cœlo* reddidit.

CLaudii & Frater, & in Imperio ſucceſſor erat

LXXXI.

M. AUR. QVINTILLUS.

QUintilli Numiſmata quid veritatis contineant, non video. Primus Victoriam jactat, at quam? Niſi Barbaros, qui cladi Superſtites Anchialo

Anchialo vaſtatâ, Nicopolin obtinere conabantur, Provincialium virtute ſub Hoc obtritos intelligas, vix habebis, quò eam referas. Mars Pacifer Secundi, quid in Principe, qui ob brevitatem Imperii nec Martem guſtavit, nec Pacem dedit? Nec enim ultra ſeptendecim dies præfuit. Providentia, quam in tertio Numiſmate Terrarum Orbi pollicetur, quàm fragilis, cùm ne ſibi quidem potuerit providere? Lætitia Quarti quàm infauſta, cum primordia Imperii fatalis Nuntius de electo Aureliano turbaverit? In externis Claudii Frater erat Quintillus, non in internis. Quicquid contrà Trebellius Pollio, qui *ſanctum* nominat *& fratris ſui verè fratrem*; *Delatumque omnium judicio* ait, *Eum ſuſcepiſſe Imperium non hereditarium, ſed meritô Virtutum*; Cùm tamen ipſe Claudius alium judicaverit, Exercitum Ei nomine tantùm, reverâ autem Aureliano committens: Unde & verior ſententia Eorum, qui *Auditâ AVRELIANI Electione, Ipſum ſibi venas ſolviſſe*, ajunt, quàm Pollionis, qui *eo genere, quo GALBA, quo PERTINAX, interemptum* memorat, *quòd ſcilicet ſe gravem & ſerium contra Milites oſtenderit, & verum Principem polliceretur.*

LXXXII.

L. DOM. AURELIANUS.

IMperator Aurelianus tanta fortitudinis edidit ſpecimina, tot ſevorioris Diſciplinæ exempla, ut haud facilè inveneris, cujus virtutem præponas.

ponas. Privatus erumpentes *Sarmatas*, cum trecentis Præſidiariis, ſolus attrivit. *Sarmatarum* quadraginta octo die uno, diverſis ultra nongentos & quinquaginta, ſuâ manu interfecit : Apud Moguntiacum Tribunus ſextæ Legionis Gallicanæ, *Francos* per totam Galliam vagantes ita afflixit, ut ſeptingentis captis, trecentos ſub coronâ vendiderit : A Valeriano *Liberator Illyrici & Galliarum Reſtitutor* appellatus eſt: Coronas quatuor Murales, Vallares quinque, Navales duas, Civicas duas, Haſtas Puras decem, Tunicas Ducales ruſſas quatuor, Pallia Proconſularia duo, Togam prętextam, Tunicam palmatam, Togam pictam, ſub-armalem profundum, ſellam eboratam ab Imperatore, à Senatu ſcipionem & faſces meruit. Sub Claudio denuò *Gothos* à Thraciis ſubmovit, Rempublicam reſtituit, Legionumque conſenſu Imperator eſt factus, iisdemque temporibus & contra *Suevos* & *Sarmatas* pugnavit, nobiliſſimamque retulit Victoriam. *Marcomannis* ægrè rejectis, compreſsâque, quæ Romæ fervebat, ſeditione, & conſtitutis rebus Urbanis, in Orientem contrà Zenobiam proficiſcens, in Thraciis & Illyrico *Gothorum* Ducem Cannabum ſive Cannabaudem cum quinque millibus hominum trans Danubium interemit; Inde occupatâ Tyanâ & Antiochiâ apud Emeſſam de rerum ſumma contra Zenobiam & Zabam decertans, Elagabali ope, quem tota vita omnium Deorum maximè colebat, Victor exſtitit, captâque paulò poſt Palmyra, ipſam Zenobiam in poteſtatem redegit. Dum rebellantes Palmyrenos denuò contudiſſet, & in Europam redux, per Thraciam alibique ingentia patrâſſet, Firmum in Ægypto novâ molientem ſolitâ felicitate dicam, an Virtute ſuperavit, Tetricum in Galliis perterruit, indeque Triumphum duxit, non de Oriente tantùm, ſed de toto fermè Terrarum Orbe.

Hæc ſuccincta eſt rerum ab Aureliano geſtarum narratio. Eâ cognitâ, nemini, opinor, obſcurum erit, cur in Numiſmatibus Virtus Ejus per Martem Victorem adumbrata ſit, cur Victoria impreſſa, cur Genius Illyricianus, cur deniq; Solis typus cum Inſcriptione RESTITVTOR ORIENTIS. Ambiguam hanc eſſe, nemo non videt. Ad Imperatorem pertinere poteſt, poteſt etiam ad Elagabalum. Credibile eſt, Aurelianum quòd inclinantem Exercitum hujus ope reſtitutum agnoſceret, hoc Numiſmate gratias Deo habiturum fuiſſe : *Cùm AURELIANI Equites*, inquit Fl. Vopiscus, *fatigati jam penè diſcederent, ac terga darent, ſubitò vi Numinis, quod poſteà proditum, hortante quodam Divinâ formâ, per pedites etiam Equites reſtituti ſunt. Fugata eſt ZENOBIA cum ZABA, & pleniſsimè parta Victoria. Recepto igitur Orientis ſtatu, Emeſſam Victor AVRELIANUS ingreſſus eſt, &*

ſtatim

ſtatim ad Templum ELAGABALI tetendit, quaſi communi officio vota ſoluturus; Verum illic eam formam Numinis reperit, quam in bello ſibi faventem vidit: Quare & illic Templa fundavit, donariis ingentibus poſitis, & Romæ SOLI Templum poſuit, majore honorificentiâ conſecratum. Genius Illyricianus non tantùm res in Illyriâ geſtas in memoriam revocat, ſed & acceptum ab Exercitu Imperium. Rationem Calathi, quam ſuprà in Serapide dedimus, huc non inconcinnè transferri arbitramur: Abundantiæ Symbolum eſt. Rerum abundantiam, ut audivimus, Aurelianus Illyriis peperit. Reliqua ex ſuperioribus patent.

INterfecto AVRELIANO ſex Menſes Interregnum fuit, certante cum Milite Senatu, uter Imperatorem diceret. Senatus, licet ſui id Juris & agnoſceret & exercere averet, toties tamen temeratum non audebat reſumere; Miles infauſto, quem ſæpiùs jam ſenſerat, audaciæ ſuæ exitu motus, Senatui Jus ſuum remittebat. Tandem, quod rarum his temporibus, Senatûs judicio Imperator factus, à Militibus aſſumptus eſt

LXXXIII.

M. CL. TACITUS.

TAcitus primæ ſententiæ Conſularis, vir ætate gravis, cùm à diffidente adhuc Exercitui Senatu *Auguſtus* appellatus eſſet, ſuumque in Senatum ſtudium militibus inviſum metueret, omni eos curâ demerendos, conceptamque de ſe opinionem putavit abolendam. Tria ad hoc media præſentibus in Nummis occurrunt. In primô Virtutem Militarem jactat: Ne ſcilicet ſe, hominem togatum, deſpiceret Exercitus; ſed

crederet, occaſione datâ & ſibi Martium eſſe pectus. Id ſanè demonſtravit, ſi Zosimo fides, cùm Gothi trajectâ Palude Mæotide per Pontum ad Ciliciam usque ſita incurſionibus vexarent ; Hos enim aggreſſus Tacitus partim ipſe debellatos ad internecionem dedit, partim Floriano deſignato Prætorii Præfecto debellandos tradidit. Secundus Nummus Fidem Militum celebrat : Ut ſcilicet laudum palpo caperentur, qui tot Imperatoribus ſuis non Milites exſtitére, ſed Hoſtes. Tertius Nummus efficaciſſimum oſtendit conciliandi favoris Inſtrumentum : Ubertatem dico, quæ, quamdiu ſpem præmiorum avidæ plebeculæ objicit, quamdiu venerationem ſui conciliat. Tacitus cùm pauca verba ad Exercitum feciſſet, Stipendium promiſit, & de more donativum : Verba ſua ad captandum favorem non exiſtimans aptiora, quàm Liberalitatem. Nec promiſit tantùm, imò & Patrimonium ſuum publicavit, quod habuit in reditibus LLS. bis mille Octingenties. Pecuniam, quam domi collegerat, in ſtipendium militum vertit. His Pacem & privatam & publicam, quæ in Nummo quarto habetur, procurâſſe ſibi viſus eſt. Et fuit Pax, ſi non externa, tamen interna. Fuit Pax, ſed publica Orbis Romani, non privata Imperatoris, quanquam incertum, quibus turbatoribus ? Alii inſidias militares accuſant, Alii morbum. Quicunque fuerint, non impletis adhuc ſeptem Imperii menſibus Tacitum rebus humanis ereptum conſtat. Sic incaſſum in quibusdam Nummis ejus & Salus occurrit & Securitas.

TAcito in Imperio ſucceſſit Frater

LXXXIV.

M. ANN. FLORIANUS.

FLorianus Taciti Frater erat, non ex Patre, ſed ex Matre : Hic Imperium arripuit, non judicio Senatûs, non voluntate Exercitûs, non hæreditarium, ſed ſuo motu. Plerique Præcedentium alterutrum Majeſtatis ſuæ fulcrum habuere ; At Florianus habuit neutrum : Unde nec mirum, quòd brevi conciderit. Duobus menſibus præfuit, tolerante utroque. His exactis, cùm de Probo Nuncius advolaret, vel ab Exercitu inter-

interemtus eſt, vel ipſe ſibi venas ſolvit. Quid Virtutem jactas Floriane, Orbem Terrarum bellico haſtili tuendo ? Malè parta malè dilabuntur. In Te reſpice ! Te tuére ! Cuſtodiæ Orbis Terrarum impar es. Alius exſurgit vel ſolâ famâ tibi globum extorſurus. Quid in Clementiâ temporum ſecuritatem tuam ponis ? Tempora, quæ *clementia* dicis, ſæviente turbine tibi quietem adimunt. Quid dico quietem ? Imò & vitam

En fructus, Regni quos immatura cupido
Procreat !

FLoriano Imperii habenas vindicante, ab Exercitibus electus, à Senatu *Auguſtus* dictus eſt

LXXXV.

M. AVR. PROBUS.

PRobus Imperator quinquennio, quo præfuit, tantas res geſſit, quantas ante Eum nemo. *Conferat cui placet, viginti TRAIANI, HADRIANIQUE annos; Conferat propè totidem ANTONINORUM*, inquit Vopiscus : *Omnibus qui fortes, qui clementes, qui prudentes, qui mirabiles exſtiterunt, Hic par fuit, aut ſi non repugnat invidia, melior :* Virtutem ejus & acta, partosque bellicis ſudoribus fructus ex propoſitis Numiſmatibus delibamus. In primo Minerva Comes Au-

guſti dicitur. Minerva Prudentiæ & fortitudinis Dea eſt: Prudentiâ & Fortitudine inſtructus Probus totum Romanum Orbem Victoriis ſuis implevit, Barbaros contudit, Tyrannos dejecit. Minerva Haſtam & Clypeum ſiniſtrâ tenet; Dextrâ Oleam protendit: An quòd ante prælia Pacem pœnitentibus obtulerit? An quòd Pacem Victoriis ſe Orbi daturum polliceretur? In ſecundo Numiſmate, quod venuſtiſſimum eſt, Ipſe Milites ſuos alloquitur. Id Imperatores Ceſpititio Tribunali inſiſtentes ſolebant. Sub Imperii finem hoc factum, fortè cùm ad Bellum Perſicum ſe pararet, Victoria globo, quem protendit, impoſita perſuadet; Quid enim ſub ea intelligas aliud, quàm Orbem Romanum Victoriis jam ad obedientiam redactum? In Tertio Adveniens Auguſtus proterit vel Barbarum, vel Tyrannum aliquem. Tyrannos Saturninum in Oriente devicit, in Occidente Proculum & Bonoſium. Inter Barbaros numerantur & Germani. Germanorum Victoria, quæ omnium maxima fuit, in quarto per Tropæum inter duos captivos indicatur. De hâc ipſe: *Subacta*, inquit, *eſt omnis, quâ tenditur latè GERMANIA: Novem Reges, Gentium diverſarum, ad meos pedes ſupplices ſtratique jacuerunt.* In Quinto Herculi Pacifero comparatur, quòd, ut Hercules Orbem Terrarum, ſic Probus Orbem Romanum à Tyrannis omnique hoſtili repurgârit immanitate. Noli culpare typi ſuperbiam! Veritate nititur. Eò progreſſus eſt laudatiſſimus Imperator, ut ipſe jactare potuerit: *Brevi Milites neceſſarios non futuros.* Ex quo dicto & ſextum Numiſma, quod Siſciæ cuſum eſt, interpretationem mutuatur. Quid enim aliud volebat innuere, quàm ſecuram Rempublicam Romanam, ſecuram Sæculi felicitatem futuram? Nulla bella, nullam captivitatem: Ubique Pacem & liberrimam vitæ dulcedinem.

LXXXVI.

M. AVR. CARUS.

CArus Exercitui inſigniter, Populo & Senatui carior, niſi Carinum reliquiſſet,

reliquiſſet, poſt Probum occiſum Imperiale faſtigium conſcendit, ſtatimque ferocientes *Sarmatas* ita contudit, ut pauciſſimis diebus Pannonias liberaverit, & adverſus hoſtiles impetus munierit. Inde adverſus *Perſas* profectus Meſopotamiam ſubegit, Perſidem nullo obſiſtente vaſtavit, Cechen & Cteſiphontem Urbes nobiliſſimas cepit, tandemque cum caſtrâ ſuper Tigridem poſuiſſet, fatorum invidiâ ſublatus eſt. Ex his Vopisci & Sexti Rufi Numiſmatum noſtrorum interpretationem facilè inveneris. Aurea ſunt, in Anticâ ipſius Cari Effigiem exhibent laureatam, cum Titulis *Imperatoris, Cæſaris* & *Auguſti*, Nominibus *Marci* & *Aurelii*. Tandem cum elogiis *Pietatis* & *Felicitatis*. Adverſa primi adventum Ejus exhibet, per figuram Equeſtrem, habitu Imperatoris militari, dextrâ protensâ in ſpeciem vel alloquentis Exercitum, vel militaria diſtribuentis mandata. In Secundo Virtus Auguſti cum *invicti* elogio per Herculem Clavâ recumbentem præfiguratur. In Tertio Victoria Bigis vecta Victori Auguſto Lauream fert, Pax in Quarto Oleam. Venit Carus *Sarmatarum* impetum fracturus, venit pugnaturus. Herculeâ Virtute invictus pugnavit & vicit, ſedecim millia occidit, viginti millia cepit. Vicit & Victoriâ ſuâ *Pannonias* ſecuritate donavit, quidni & Italiam, quam invaſuros ſe Sarmatæ minati fuerant? Quidni totum Romanum Imperium, cujus hoſtes, acceptâ *Sarmatarum* cladè, ne impetum quidem ſuſtinere, ne dicam, Eum laceſſere audebant? Documento ſunt *Perſæ*. Etiam ad hos venit. Venit Herculeâ Virtute. Venit invictus. Perſidem nullo obſtante vaſtavit. Pacem Occidenti reliquit. Etiam Orienti daturum fata intercepêre. Morbo correptus interiit. Orta tempeſtas Divinæ, ob ſuperatos fatales limites, vindictæ ſpeciem prætulit.

LXXXVII.

M. AVR. CARINUS.

HÆc Numiſmata qui contemplatur, immeritam egregii Imperatoris laudem ſi Carino tribuat, vix eſt ut culpetur. In iis Virtutem jactat, jactat Virtutis præmia Triumphum. Virtutem jactat, cùm tamen ſceleſtâ vitiorum turbâ fuerit inquinatiſſimus. Virtutem Herculis jactat, quid

autem ex Herculis vitâ retulit, ſi non ſtupra & Adulteria ? Quid dicam retulit ? imò ſuperavit. Forſan tamen Virtutem hîc Bellicam intelligas, cùm, ut Fl. Vopiscus ait, ad vindicandum Imperium vigor mentis Ei non defuerit.

LXXXVIII.

M. AVR. NVMERIANUS.

NUmerianus, alter Cari Filius, ſimul cum Carino Fratre, cui moribus diſſimilis erat, à Patre *Cæſar*, deinde & *Auguſtus* dictus eſt. Hanc utriusque felicitatem primo in Numiſmate expreſſam cernimus. Oriens Augg. qui mundum gubernat, quid aliud ſignificet, quàm Imperatores recens creatos ? Quid aliud ſpondeat, quàm feliciſſimum per Cœli dicam, an Imperii, convexa decurſum ? Spopondit, ſed non implevit. Hilarior primô manè Solis facies pluvias plerumque trahit ; Ita & Oriens Carini & Numeriani. Numerianus, cùm duos poſt Patrem menſes cum Fratre feliciſſime exegiſſet, Apri ſoceri inſidiis ſuccubuit. Carinus, cùm Diocletiani armis impar eſſet, à Tribuno, cujus Uxorem polluerat, cæſus eſt. Sic Oriens Auguſtorum evanuit, caſusque Numeriani lacrymas traxit, quas tamen fato leniore deterſit Succeſſor. Fides Militum, quæ in Secundo habetur, ad Carini & Numeriani felicitatem pertinet; Tanta enim fuit, ut Carô ſublatô, non, ut hactenus ſolebant, ad res novas animos appellerent, ſed Imperatoribus ſuis contenti, quæcunque cum iis pericula aggrederentur, ſi non omnes, ſaltem qui ſub Numeriano militabant. Hi etiam poſt Imperatoris mortem, fidem ſuam teſtati, occiſum non tantùm anxiè requiſiverunt, ſed & fœtore proditum, acerrimè vindicârunt. Tertium Numiſma Victoriam exhibet & Pietatem. Victor Nume-

Numerianus contra Perſas exſtitit, Victoriam tamen hoc in monumento non ſibi adſcribit, ſed Jovi Deorum ſummo acceptam fert. Ultimum Conſecrationem celebrat, quam à Vindice ſuo & Succeſſore factam accepimus.

NUmerianum in Imperio ſecutus eſt

LXXXIX.

C. VAL. DIOCLETIANUS.

Diocletianus devicto Carino Maximianum primò *Cæſarem*, deinde & *Imperii Conſortem* fecit. Ejus rei mentionem habes in Numiſmate propoſitorum ſecundo, in quo *Providentia Deorum Quies* dicitur non Auguſti, ſed *Auguſtorum*. Nihil verius eſt, quàm Providentiam Dei Auguſtorum eſſe quietem : Ubi ille providet, qui Cœli Terræque Dominus eſt, quidni ſecurus ſit, quidni quieſcat ille, qui Dominus Terræ ? Diocletianus, licèt verum Deum ignoraret, ejusque Cultores acerrimè perſequeretur, dogma tamen hîc exhibet, ſi multitudinem Deorum tollas, omnibus Terræ Principibus ſervandum : Omnibus ſervandum, quibus vitæ tranquillitas cordi eſt. Duas figuras ſtantes, alteram Providentiam auguror, alteram Quietem. Quietem Sceptro innixam, cum Oleâ Pacis Symbolo ; Providentiam dextrâ protensâ, neſcio

neſcio quid tenentem. Hæc aliter ſe habet apud TRISTANUM in Nummo Maximiani. Qui in Tutelâ Deorum quietem ſuam poſuit, quid mirum eſt, quòd is *feliciſſimus* dicatur ? Feliciſſimus reverâ fuit Diocletianus, ſi ſecundior rerum humarum ſucceſſus Felicitas dici mereatur. Imperium Augurio ſibi prædictum, Augurio in cæde Apri impleto, conſenſu Militum accepit, devicto Carino ſtabilivit, Tyrannis dejectis, victisque hoſtibus reſtituit, & acto magnificentiſſimo Triumpho illuſtravit, tandemque poſt exactos in eo viginti Annos gloriosè depoſuit. Sic meritò Lauream capiti circumdedit, meritò Lauri ramum dextrâ prætulit, ſiniſtrâ Sceptrum ; Ubique enim Victoriis ſuis Imperii fortunam evexit. Idem & *Senior* vocatur, an ob Aurel. Val. Maximianum, quem in Dignitatis Conſortium admiſerat ? An ob Galerium Maximianum & Conſtantium Chlorum ? Illum à Diocletiano, Hos à Diocletiano & Valerio Maximiano adoptatos, & itidem in Imperii partes aſſumtos, ex hiſtoriâ diſcimus.

Primum Numiſma præter Simulacrum togati, dextrâ globum, ſiniſtrâ autem Parazonium tenentis, inſcriptionem jactat : CONSVL dicitur VII. Pleno literarum ordine. Id in hoc, & Maximiani Nummis ſingulare eſt, cùm in omnibus reliquis non CONSVL, ſed COS legatur. Ex Conſulatu VII. annum ſignati Numiſmatis collegeris. Novum videtur in Nummis Imperatoriis & Proconſulis nomen, nec tantum nomen, imò & res. Quid ? An idem Conſul & Proconſul ſimul ? Reſpondet latius Illuſtris SPANHEMIUS, *Exer.8. p.78.* In tertio Numiſmate Juppiter Victoriam globo impoſitam præfert, cum Inſcriptione : JOVI CONSERVATORI ORBIS. An Pietas hîc Diocletiani adumbrata ſit, dubitari poteſt. Potius crediderim ſub Jove ipſum Imperatorem latere, & ambitioſo encomio *Jovem Conſervatorem Orbis* dici, qui in Inſcriptionibus paſſim *Jovius* vocatur. Eadem eſt Interpretatio Numiſmatis quarti, in quo Juppiter fulgerator hominem fulmine proſternit : Forſitan de devicto Achilleo hunc typum intelligas, qui in Ægypto Majeſtatem ſibi vindicaturus Diocletiani armis ſuccubuit, quamquam & alia ſint ejus geſta. Quintum Numiſma Herculi Conſervatori ſacrum eſt. Ut ſe *Jovem*, ita Maximianum *Herculem* appellabat ; Unde certum videtur, utrumque hîc Imperatorem coli : Diocletianum per adverſam, ubi ejus facies eſt, Maximianum per averſam, ubi Hercules, devicto Terrarum Orbe, clavæ innixus quieſcit.

Imperii

IMperii ſub Diocletiano Conſors fuit

XC.

M. AVR. VAL. MAXIMIANUS.

PRiora duo, quæ exponimus, Maximiani Numiſmata, eâdem fulgent, vel Inſcriptionis vel Typi elegantiâ, quâ & Primum & Quintum, quæ dedimus, Diocletiani. Primum pleno literarum Ordine Conſulem VIII. jactat, jactat Patrem Patriæ & Pro-Conſulem. Secundum Herculem Conſervatorem, ſub quo ipſum Maximianum intelligi, jam diximus. Idem dictum velim, & de Tertio & Quarto : In Tertio Hercules Hydram Clavâ appetit ; In Quarto cervam cornibus proſternit. Utrumque licet ad proſtratos Maximiani Hoſtes procul dubio referendum ſit, fortaſſis tamen ad perſecutionem etiam Chriſtianorum retulerit homo Ethnicus. Chriſtiani, ut Palma nobilis, ipſa in calamitate reſurrexére, & ex cladibus ſuis numeroſiores prodiére ; Id inimicos Hydræ, quæ & ipſa poſt clades numeroſiore capitum luxuriâ ſurrexiſſe memoratur, comparaſſe, veriſimile videtur. Sed ut Hercules incaſſum in hydrâ debellandâ clavam vibravit, ita & in Cervâ occurrit, quod Gloriam Chriſtiani Nominis adaugeat : Aureis ea dicitur fuiſſe cornibus. Itáne Maximiane Cervam aureis cornibus inſignem proſternere tantæ Virtutis arbitraris ? Cervam, cujus robur aureum ? Si Chriſtianum Nomen fugillas, vana eſt tua Virtus, vana Gloria ! Vivunt, quos tu proſtratos jactas. Non tibi Virtutis Fama, ſed crudelitatis & libidinis dedecus ſupereſt.

BRitannias ſub Diocletiano & Maximiano ſibi vindicavit

XCI.

CARAVSIUS.

DUo Carauſii Numiſmata damus, quorum alterum Illuſtri SPANHEMIO jam vulgatum proſtat. In primo, quod aureum eſt, præter Ipſius effigiem, Militum Concordia celebratur, in Secundo Imperatoris Victoria. Concordia Togato dextram jungens, Eum de militum fide videtur reddere certiorem. Non claſſem tantùm abduxit Carauſius, ſed & Legionem Romanam, quæ Inſulæ cuſtos erat, ſuam traxit in clientelam, tantâque gaviſus eſt Imperii firmitate, ut nec Maximianus, licèt integro anno apparatus bellicos moliretur, ejus Solium deſtruere potuerit. De Victoriâ Carauſii, cùm plures obtinuerit, Navales plerasque, certi quid ſtatuere noſtrum non eſt.

EOdem tempore & in Italiâ purpuram ſumſit

XCII.

IVLIANUS.

HUnc Nummum Juliani Tyranni eſſe, qui ſub Diocletiano ſurrexit, & non Apoſtatæ, ſatis evincit diverſitas facierum, & conſueta huic ævo & artificii & habitûs convenientia, ut taceam Lauream, quam ſub Apoſtatâ rariſſimam inveneris. Alter VICTOR Julianum Tyrannum in Africâ ſtatuit, Alter autem in Italiâ. Inde duos fuiſſe conjicitur,

jicitur, præſertim cùm Goltzius diverſa iis nomina tribuat, alterum M. AVREL. vocando, alterum Q. TREB. Hæc obſervavit Tristanus. Cæterùm hic Julianus, ut Imperium ſtabiliret, prudenti conſilio hoc in Numiſmate Libertatem publicam jactat, orientemque ex Libertate rerum abundantiam; Nihil enim ad ineſcandos vulgi animos efficacius eſt, quàm dulce Libertatis nomen: Nihil optabilius, quàm abundans rerum affluentia; Quanquam Juliano eventus non reſponderit, à Diocletiani Ducibus victus, adacto per coſtas pugione, in ignem ſe abjecit.

XCIII.

FL. VAL. CONSTANTIUS.

Constantius, quem cognomento *Chlorum* vocant, Filius Flori Eutropii & Claudiæ Filiæ Criſpi, qui Frater Claudii Imperatoris erat, à *Maximiano* Herculeo adoptatus *Cæſaris* dignitate fulſit, donec abeuntibus Diocletiano & Maximiano cum Maximiano, quem *Armentarium* appellant, *Auguſti* cognomen accepit. Tum divisâ Imperii mole, Gallia, Italia & Africa Conſtantio; Oriens Galerio obveniſſe dicitur. Quicquid ſit, Concordiam in propoſito Numiſmate contemplamur, undiquaque illuſtriſſimo. Si materiem reſpicias, *aureum* eſt: Si modulum, *maximi*: Si locum ſignaturæ, *Siſcia* Urbs Pannoniæ non ignobilis: Si res contentas, hinc Conſtantii Facies modeſtâ amabilitate ſplendida, tempora *Lauro* redimita, *Sceptrum*, quod manu præfert, *Aquilâ Globo inſidente* fulgidum. Illinc, ut diximus, *Concordia* eſt *Auguſtorum* & *Cæſarum*, *Laurea* item Victoriarum Symbolum, cum *votis Vicennalibus*, & quod caput rei eſt, *junctæ*. utriusque in ſuſtinendo Terrarum Orbe *Dexteræ*. Junctæ? Imò potius jungendæ, aut ſi mavis, altera globum porrigentis, altera recepturi, id quod ad ceſſum Galerio Italiæ & Africæ Imperium aliquando retuli, de quo Eutropius, quanquam aſſertum oppugnet Baronius.

XCIV.

GAL. VAL. MAXIMIANUS.

TRia priora Maximiani Numiſmata ſolâ *Cæſaris* dignitate radiant. Eam ſimul cum Conſtantio, ut modo diximus, ſub Auguſtis Diocletiano & Maximiano obtinuit. Quartum *Auguſti* honores præfert, arguitque cuſum eſſe, poſtquam Seniores jam Imperio abierant. In primo PROVIDENTIA AVGVSTORVM celebratur per ædificium quoddam turritum, quod Urbis alicujus typum putamus, interpretamurque de Diocletiani & Maximiani Senn. Augg. in felicitandis Urbibus curâ. Forſitan ad Romam reſpicias, Imperii Caput, ubi Numiſma hoc percuſſum, ex ſubſcriptis literis P. R. collegeris. Secundum itidem Sacram Monetam celebrat, ut in Conſtantii Nummo. Sacram fuiſſe monetam, vel ex Imperatorum de eâ legibus patet. Moneta præcipuus Reipublicæ nervus eſt, unde non immeritò ſanctionibus munita. Moneta menſura rerum cæterarum eſt, & famula Æquitatis, inde *æquis bilancibus* inſtructa prodit. Ex ſobrio monetæ uſu rerum abundantia ſurgit, inde *Cornucopiæ* affingitur : Ultima Numiſmata Genium effingunt vel POPVLI ROMANI vel IMPERATORIS. Per Genium Imperatoris ſanctiſſimè olim juratum in vulgus patet. Genium Populi Romani omnes hujus ævi Auguſtos, omnes Cæſares ſeſe jactâſſe, Cl. Patinus ait. Alii Genio Populi Eos hoc typo ſeſe commendâſſe arbitrantur. Quicquid ſit, ex Sanctitate Genii ſive Populi, ſive Imperatoris Publicam felicitatem exſurgere ex Cornucopiæ patet. Merum Genio ex paterâ fundebatur, non ſanguis, idque præcipue die natali, quanquam hoc ſucceſſu temporis inveniatur mutatum.

Diocle-

Diocletiani Filia, & Uxor Galerii fuit

XCV.

GALERIA VALERIA.

FRequens, ne dicam unicus est in Galeriæ Valeriæ Nummis Veneris Victricis typus: Frequens inquam, sed vix inveneris, qui inter se conveniant. Semper aliquid adjectum repereris, quod diversitatem arguat. Tristanus interdum Serpentem in Imperatricis Capite, interdum Lauream agnoscit. Neutrum in nostro. Sunt tamen Veneri Victrici adjectæ quædam literæ, quæ in aliis non apparent. Et tanta præterea est Nummi elegantia, ut vel hæc sola ei locum inter selecta conciliet. Venerem Victricem ideò Valeriæ expressam cum Cl. Patino arbitramur, quòd vel Comes Victoriarum Mariti esset, vel ipsa Maritum velut alterum Martem vicisset.

SUb Constantio & Galerio Maximiano Cæsares facti sunt FL. VAL. SEVERVS & MAXIMINVS cognomine Daza. In locum Severi à Maxentio ad mortem acti, suffectus est Licinius. De his deinceps agendum.

XCVI.

FL. VAL. SEVERUS.

SEverum Italiæ & Africæ, quas Constantius cesserat, præpositum legimus. Numisma præter Effigiem Ejus, etiam Fidem Militum jactat, & ipsum Imperatorem non *Cæsarem* tantùm, sed & *Augustum* factum

ctum asserit. Hoc ex adversæ inscriptione patet, illud ex aversâ, in quâ Dea Fides utrâque manu signum militare apprehendit : Concordi scilicet nexu junctura Exercitus, non Cæsarum tantùm, sed & Augustorum. Id si præstitisset, feliciore forsan Imperii fortunâ usus fuisset Severus; At Prætoriani dum defecére, Maxentiumque Imperatorem creârunt, ipse perterritus, & fugit, & captus est, fatalemque sensit Victoris superbiam.

XCVII.

M. A. VAL. MAXENTIUS.



MAxentium contra Severum à Prætorianis electum, modo diximus. Judicium militum ratum habuit Senatus. Rei memoria primo in Numismate ad oculum patet. Ipsius in adversâ est effigies cum dignitate Augusti ; In aversâ Roma in Templo sedens Maxentio captivũ proterenti globum, id est Imperium Terræ, porrigit: Addito honore verborum, quasi *CONSERVATOR* fuisset *URBIS SUÆ*. Romam per hanc Urbem intelligi, non tantùm consuetùm evincit Amazonis simulacrum : Non tantùm Historia, cujus assertum est, *Romæ Maxentium & electum & victum* ; Sed ipse etiam Nummi typus, cùm in templi frontispicio Lupa occurrat, Romulo & Remo porrectis uberibus officiosa. Per captivum ipsum Severum intellexeris, cujus ruina Maxentio Imperii fulcrum fuit. Secundum Numisma nativitatem adstruit. Qui Maximiani Herculei Filius erat, is *HERCULEM COMITEM* jactat. Jactat, sed inani superbiâ ; Licet enim ad omne Virtutis genus educatus memoretur, nihil tamen Herculis habuit, præter stupra & mollitiem. Abjice clavam, abjice pellem & arcum Hercules ! Non hoc habitu Maxentii Comes crederis. Mollitiem Omphales indue, consortio dignus eris.

In

IN Severi, à Maxentio ſublati, locum ſubiit

XCVIII.

C. VAL. LICIN. LICINIUS.

NUmmus Licinii Primus Jovem exhibet cum fulmine ſedentem: Secundus Eundum cum globo & victoriolâ ſtantem, ante quem Barbarus quidem inclinato corpore viſitur. De Victoriâ quadam, Jovis auxilio obtentâ, ſecundi Numiſmatis typum intelligi debere, nemo inficias ibit. Fortaſſe de oppreſſo Maximino ſumſeris, qui rupto fœdere cùm res novas moliretur, à Licinio prælio ſuperatus, ſe Tarſi ſtrangulavit. Quicquid ſit, verè Conſervator eſt, qui Victorias contra hoſtes tribuit; Sed id Juppiter non fecit. Licinius Conſtantino M, cui Conſervator Deus Victorias dedit, reſiſtere non potuit. Primùm in Pannoniæ campis ab eo fuſus, cùmque vires repararet, incredibili celeritate ex Europâ in Aſiam expulſus, tandemque Theſſalonicæ occiſus memoratur.

Ubi Juppiter vires tuæ? Quis fructus
Votorum?

Diximus

DIximus ſub Conſtantio & Galerio Cæſares factos eſſe Severum & Maximinum. De Severo ejusque & hoſte Maxentio & Succeſſore Licinio hactenus : Sequitur

XCIX.

MAXIMINUS.

IN primo Maximini Dazæ Numiſmate Ipſe cum *Principis Juventutis* elogio, dextrâ globum protendit, ſiniſtrâ haſtæ innititur, adſtantibus militiæ ſignis. In Secundo Juppiter Conſervator fulmen protendit, Tertium Solem invictum Comitem jactat; Quartum Virtutem Auguſtorum & Cæſarum per Martem Victorem celebrat. Quis hæc aſpiciens non egregia Maximini conjiciat merita ? Quis non Virtutem militarem & Victorias ? Quis non longævitatem vitæ & diuturnitatem Imperii. Qui *Martiam Virtutem* jactat, procul dubio tropæis fuerit onuſtus. Qui *Solem invictum Comitem*: Qui *Jovem Conſervatorem*, procul dubio feliciſſimâ Imperii ſtabilitate donatus. At! at! quam fragilis fuit & *Comitis* & *Conſervatoris* favor, quàm imbellis *Virtus?* Cùm Maximinus & Luxuriâ & crudelitate per aliquot annos debacchatus eſſet, dignas tandem effuſi Chriſtiani ſanguinis pœnas daturus, à Licinio victus eſt, & in Ciliciâ contabuit.

Conſtan-

CONſtantio mortuo Regnum Galliarum, Hiſpaniarum & Cottiarum, ſub Cæſaris nomine teſtamento ſibi relictum ſuſcepit, devictoque Maxentio & Licinio Auguſtam Imperii Majeſtatem firmavit

C.

FL. VAL. CONSTANTINUS M.

CONſtantinus M. in tribus poſterioribus Nummis & Virtutem ſuam jactat, & Victorias, idque majore ſuo cum merito, quàm præcedentium plerique. In Secundo publica vox *Principem Juventutis* proclamat ; Huic tamen Principi Juventutis Orbem Terrarum militari haſtâ tuendum commiſit. Tertius Eum ſub Martis Conſervatoris Effigie veneratur, non tantùm ob eandem utriusque Patriam, ſed ob eadem ſtudia, eandemque Fortunam. De Quarto paulo latius dicendum. Exſtant apud CAROLUM du FRESNE, *in familiis Byzantinis*, duo Conſtantini M. Numiſmata, alterum de *devictis Gentibus barbaris*, alterum de *Victoriâ CONSTANTINI Gothicâ*. Quæ in his diſjunguntur, ea in noſtro conjuncta cernimus : Pleniore Inſcriptione, typo elegantiſſimo. Caput eſt laureatum cum Inſcriptione IMP. CONSTANTINVS MAX. AVG. In aversâ Miles Romanus captivum ad Imperatorem militari habitu adſtantem trahit. Inſcriptio talis eſt : DEBELLATORI GENTIVM BARBARARVM. GOTHIA : ſcilicet Imperatori Maximo Gentium Barbararum Debellatori, nec Gothi reſiſtere potuére. *Tametſi BARBARI & GOTHI*, inquit SOCRATES, *in agros Romanos irruptionem facerent, tamen Imperatoris inſtitutum in Eccleſiis conſtruendis neutiquam præpeditum eſt, ſed utroque negotio providè ab eo proſpectum. Nam iſtos Crucis vexillo, quod eſt*

CHRISTIANORUM proprium, in prælio fretus, tam fortiter devicit, ut non ſolùm tributum, quod ab antiquis Imperatoribus dari ſolebat BARBARIS, ipſe illis penitus ademerit ; Sed illi etiam, quod incredibile, victoriâ obſtupefacti, tunc primum Chriſtianæ Religioni colendæ, cujus præſidio CONSTANTINUS incolumis evaſerat, ſe totos traderent. Hæc de Numiſmate quarto. Primum ex GAZA PALATINA exhibet & Illuſtris SPANHEMIUS, indeque probat, Cæſarum Capita Conſtantini M. tempore Laureâ redimiri nondum deſiiſſe, id quod etiam ex Tertio patet ; Quanquam Sculptor SPANHEMII in capitibus Criſpi & Conſtantini Junioris Diadema expreſſerit, cùm tamen Laurea utrinque ad oculum pateat. Præter Patris Conſtantini & Filiorum Effigies, in hoc Nummo nihil aliud occurrit memoriâ tantopere dignum, niſi eorum fata in memoriam revocare placeat. Patrem Crudelitas infelicem reddidit, cùm Uxoris adulteræ criminationibus filium ſacrificaret : Criſpum Caſtitas evertit, cùm illegitimos Novercæ negaret amores : Conſtantinum Juniorem Imperii cupido ſuſtulit, cùm non contentus ſuâ, portioni inhiaret fraternæ; Sed de his paulò poſt.

SUb Conſtantino M. præter alios Cæſares fuére Licinius Junior, Criſpus & Delmatius.

CI.

LICINIUS IUNIOR.

LIcinius Licinii ex Conſtantiâ Filius vigeſimo ætatis Menſe à Conſtantino M. ſimul cum Criſpo & Conſtantino Juniore *Cæſar* renuntiatus, duodecimo, aut, ſi mavis, decimo quarto ætatis anno fraudibus *Fauſtæ* occubuit. Primi Numiſmatis facies juvenilior eſt, unde nec dubium, quin Vota in eo expreſſa complementum ſuum attigerint, cùm in ſecundo Licinius hîc non tantùm *Galeatus* appareat, ſed & in aversâ jactet *Jovis* dicam, an *Patris ſui Victoriam*, de quâ ſupra ad ejus Numiſmata dictum. Non crediderim ſub hoc Jove Licinium Juniorem intelligi, quanquam tale quid armata ejus facies ſuadere poſſit. Barbatus imberbi non convenit. Sat eſt, ſi ſub armato habitu Martios Licinii

hujus

hujus ſpiritus contempleris, in quos cùm excreſceret, Fauſtæ metum injecit, ne ſuis obſtando liberis, tam matura virtus obeſſet. Metum injecit, & ſimul fatum ſuum præcipitavit. Quid Vota contra inſidias profuére? Si pondus habuerunt, tamen minora fuére, quàm ut Infantem ad viriles annos potuerint producere.

CII.

FL. IUL. CRISPUS.

CRiſpus Conſtantini M. ex Minervinâ Filius, ſimul cum Licinio & Conſtantino Junioribus, à Patre *Cæſar* dictus eſt. Bellicam ejus laudem vel ex Numiſmatibus noſtris agnoveris. In Primo *Princeps Juventutis* Clypeum tenet & haſtam; In Secundo Jovem, ſeu Patrem, Providentiam ſuam facit, tanquam ab Eo ſibi & Palma & Victoria obvenerit. Ex Simulacro Jovis intelligis, cuſum hoc Numiſma vel ab Ethnicis, vel antequam adhuc ſacro Baptiſmatis fonte ablutus eſſet Criſpus. Victoriæ ejus plures fuerunt: Francos & Germanos ſuperavit, Licinium navali prælio profligavit. Inde Palma, inde Laurea; Hæc armati Principis Virtus, hic Providentiæ & Fortitudinis fructus. Quid fructum dico? Qui tot millia hoſtium proſtraverat, unius mulieris aſtum ſuperare non potuit. Novercæ, ut modo dictum, quòd libidini ejus non reſponderet inſidiis ſuccubuit.

CIII.

FL. VAL. DELMATIUS.

DElmatius Delmatii Hanniballiani Filius, à Patruo Conſtantino M. & ipſe *Cæſar* dictus varias Expeditiones bellicas ſuſtinuit.

In Meſopotamiâ Perſarum motibus ſe oppoſuit ; In Cypro Calocerum Tyrannum cepit, Thraciam exinde & Macedoniam & Achajam Ripamque Gothicam rexit : Ita mirum non eſt, quod Juvenis hic Heros Gloriam Exercitus in Numiſmate jactet, quam ipſe ſplendori ſuo, rarâ virtutis felicitate, reddidit.

ANtequam ad Conſtantini M. Filios progrediamur, præmittenda eſt eorum Mater

CIV.

FL. MAXIMIANA FAVSTA.

FAuſtam Galerii Maximiani & Eutropiæ Filiam , Conſtantinus poſt Minervinam duxit, ex eaque ſex liberos tulit, tres maſculos & tres Fœminas. Horum duos ad numerum ſexuum ulnis amplexa præſenti in Numiſmate Reipublicæ Salutem jactat. Salutem Reipublicę Principum liberos interdum eſſe, nemo inficias ibit. Magna ſanè Fauſtæ hæc Laus foret, niſi & Salutem Reipublicæ abolendo, tantum ferè nocuiſſet, quantum profuit. Licinium Juniorem ob Fortitudinem ſuſtulit, Criſpum ob Caſtitatem. Suſtulit inſidiis, & inſidiarum mercedem nacta eſt. Conſtantinus ubi de innocentiâ Juvenum reſcivit, in ardentes balneas conjectam necavit.

Poſt

POst obitum Conſtantini M. diviſa Imperii moles quatuor Auguſtis paruit. Quatuor inquam, neque enim Delmatium excluſeris, quem in Partes veniſſe dubium non eſt. Firmiſſimum rei argumentum ſuppeditat

CV.

CONSTANTINUS IUNIOR.

IN tertio Numiſmate Roma ſedens, dextrâ globum cum inſiſtente Victoriolâ præferens, inſcribitur VICTORIA AAAAVGGGG. quaternis in voce Auguſtorum literis A. & G. quibus dubitari non poteſt, quin quatuor Auguſti debeant intelligi. Tres Conſtantino Filii ſuperfuére, Conſtantinus Junior, Conſtantius & Conſtans; Superfuit & Cæſar Delmatius. Hic enim factione militari, incertum an Patruelis Conſtantii juſſu, poſt demum oppreſſus memoratur. At, inquis, in diviſione nullâ ejus mentio. Imò eſt, & Illuſtris. AURELIUS VICTOR ubi hanc Diviſionem Imperii inter Conſtantini Magni Succeſſores deſcribit, *Singuli*, inquit, *ſuas Partes regendas habuerunt*, *CONSTANTINUS JUNIOR cuncta trans Alpes*, *CONSTANTIUS cuncta à freto Propontidis, Aſiam & Orientem*, *CONSTANS Illyricum, Italiamque & Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniamque & Achajam. HANNIBALLIANUS DELMATII CÆSARIS Conſanguineus Armeniam, Nationesque circumſocias.* Hunc locum corruptum eſſe, nemo non videt. Vidit id jam ante nos TRISTANUS: Non *Dalmatiam* legendum, ſed *Dalmatius*, quem Thraciam, Macedoniam & Achajam accepiſſe credendum, cùm Auguſtum dictum ex hoc Nummo

planum ſit. Sic Auguſtorum numerus hoc tempore quaternarius fuit, nec obſtat Hannibalianus ; Hic enim non ſub *Auguſti* nomine, ſed ſub nomine *Regis Regum* portionem ſuam obtinuit. Cæterùm ex hâc Auguſtorum conjunctione facilis eſt conjectura, ſtatim poſt Conſtantini M. obitum hoc Numiſma percuſſum eſſe, cùm diſcordiæ ſemina nondum prorumperent. Ex Concordiâ Romam & Victorias ſperâſſe, & ſecuram Pacem, ex typo collegeris. Duo priora Numiſmata Conſtantino M. adhuc in vivis exiſtente ſignata, & Juvenilis facies evincit, & *Cæſaris* appellatio. Horum Vota Decennalia in primo habentur; Providentia in Secundo. Quartum Victoriam trium Auguſtorum communem jactat, quanquam ſolus Conſtantius hoſtem in eo proterat. Ex tribus AUGGG. conſtat, poſt Delmatium ſublatum Numiſma cuſum eſſe.

COnſtantinus Junior, quòd aſſignatâ ſibi Imperii portione contentus non eſſet, ad exemplum Æſopici canis & vitam amiſit & Imperium. Ita Paternæ hæreditati Fraternam adjunxit tertius Conſtantini M. Filius

CVI.

FL. IUL. CONSTANS.

TRia ſigna militaria primi Numiſmatis, non minùs ac tres Palmæ, quæ ſub Conſtantio occurrunt, de tribus Fratribus Conſtantino Juniore, Conſtantio & Conſtante communiter explicantur; Secundi typus ex mente Cl. PATINI, vel ad immortalitatem Gentis Flaviæ ſeu Conſtantinianæ pertinet, vel ad Religionem Chriſtianam, quam

quam Conſtantinus M. propagaverat, Filiique omni cultu proſequebantur, vel quod verius arbitror, ad Expeditionem Britannicam, quam Conſtans feliciſſimè ſuſcepit, quamque Jul. Firmicus Maternus, obſervante & Tristano, utrumque & Conſtantium alloquens & Conſtantem, his verbis adumbravit : *Viciſtis hoſtes*, inquit, *Propagaſtis Imperium, & ut Virtutibus veſtris major Gloria accederet, mutato temporum ordine, hieme, (quod nec factum eſt aliquando, nec fiet,) tumentes ac ſævientes undas calcaſtis, OCEANI BRITANNICI ſub remis veſtris, incogniti jam nobis pene maris, unda contremuit, & inſperatam Imperatoris faciem BRITANNUS expavit. Quid amplius vultis? Virtutibus veſtris victa Elementa ceſſerunt!* Ex his verbis & Trajectus Imperatoris in Britanniam adſtruitur, & ratio Victoriæ temonem gubernantis manifeſtatur. Ad Religionem Chriſtianam pertinet Labarum, in quo duplicata Crux, cùm in aliis vulgare Chriſtianorum Monogramma occurrat, an diverſitas ab errore cæli ſurrexerit, aliorum judicium eſto! Phœnix, qui ex cineribus creditur reſurgere, Felicis temporum raparationis indicium eſt. Victoriæ, triumphalis tertii Numiſmatis, & Conſtantis in Quarto, quarum illa Vota X. Mult. XV. Hæc autem Vota XV. exhibet, de quâ intelligi debeant, dubium eſt. Duæ præcipuè numerantur, una de Fratre Conſtantino, ut modo diximus, altera de Francis : Utraque Conſtantis fuit, ſed altera *Triumphalis* non fuit. Vota Conſtans Decennalia implevit; At reliqua ne impleret, animata per ejus ſocordiam effecit perfidia.

COnſtante ſublato omnes, quas ille habuerat, Occidentis Provincias occupavit

CVII.

MAGNENTIUS.

ULtima duo Magnentii Numiſmata exponit Tristanus. Inde lucem

lucem mutuatur & Secundum. Imperator hoſtem proſternit, proſtratum pede conculcat, de proſtrato tropæum celebrat. Magnentius cùm Imperiale faſtigium Conſtantis nece ſibi firmatum putaret, ſubitò Nepotianum expertus eſt hoſtem. Hic arctâ Conſtanti propinquitate junctus, cùm aliter ſe ſalvum fore diffideret, Romæ purpuram aſſumſit, conductâque Gladiatorum manu Magnentii partes in Urbe oppreſſit. Magnentius ubi defectionis nuncium accepit, Marcellinum, ſufficientibus inſtructum copiis, contra Nepotianum emiſit. Is captâ Româ & hoſtem trucidavit, & Urbem diripuit. Hæc Victoria quin his in Numiſmatibus adumbretur, dubium non eſt; Quanquam quid veritatis eorum inſcriptio contineat, non videam. In primo Gloria, in reliquis Libertas Romanorum dicitur, quæ fuit Romanorum & pudor & captivitas. Figurarum in Quarto altera Victoria eſt, altera Libertas. Labarum in Secundo non Benedictum CHRISTI nomen, ut alia hujus temporis, ſed Aquilam præfert, unde TRISTANUS propenſum in Gentiles Magnentii animum conjicit, quem aliâs & nocturna eis Sacrificia permiſiſſe conſtat, quæ Conſtantius rurſus prohibuit, quanquam aſſerto refragari videatur Nummus primus. Credibile eſt, non tam ſincero Magnentium animo CHRISTVM coluiſſe, quàm Nomine Ejus ad ineſcandos Chriſtianos abuſum. Ita & Ramus Oleæ Romanis Pacem videtur promittere, cùm tamen & ipſa hæc Pax plurimo ſanguine legatur infecta.

A Magnentio Occidentis Imperium uſurpante ad Cæſaris dignitatem evectus eſt ejus Frater

CVIII.

DECENTIUS.

NUmiſmata hæc, præter Decentii effigiem, Victorias exhibent. In Primo duæ ſunt, Eæque Vota in baccato Diademate, cui Chriſti Monogramma impoſitum eſt, elevant, cum Inſcriptione VICTORIA D.D. N.N. AVG. & CÆS. In Secundo Una Lauream porrigit, inſcripta VICTORIA D. N. CÆS. Vel ex Inſcriptionibus patet, cujus hîc Victoriæ celebrentur. In primo ſcilicet Auguſti Magnentii & Cæſaris

saris Decentii. In Secundo Cæsaris Decentii tantùm. De Victoriâ Magnentii contra Nepotianum modo diximus. Ei adde, si lubet, cæsos Constantii, quos præmiserat, manipulos. Decentii Victoria, vereor, ut in Historiâ appareat. Memorabilis potius est clades, à Chnodomario Germanorum Rege accepta, quam secuta est Galliarum devastatio, instigante præcipuè Constantio, qui ut Magnentio Galliarum viribus invicto, potentiæ fomitem subtraheret, eo stratagemate uti necesse habuit. Successit conatus. Succubuit Tyrannus. Decentius laqueo vitam finivit. Quis vota conciperet, si tam diro sævientis Fortunæ intercludantur hiatu?

CUm Magnentius Imperium invasisset in Galliâ, ab Exercitibus Illyricianis & Pannonicis, ne minoris authoritatis viderentur & ipsi, in Augustale Solium evectus est

CIX.

VETRANIO.

SI Historia taceret, de Vetranionis Pietate abundè testaretur hoc ejus Numisma. Victoria stantem coronat, non quod Victoriam jam tum obtinuisset, sed quod eam speraret: Speraret non à viribus suis, sed à Gratiâ Christi, cujus nomen in Labaro prætendit. In Hoc Signo, ait inscriptio, Victor eris! Eris Victor, ô Vetranio, sed cujus? Procul dubio Magnentii. Cùm ab utroque & Magnentio & Constantio de Societate sollicitaretur Vetranio, Constantium prætulit, omniaque belli subsidia contra Magnentium paravit. Imprudenter! Constantius, ut utrumque opprimeret, hoc stratagemate eos divulsit: Vetranionem ademtis & Exercitibus & Imperii Insignibus, privatam vitam degere jussit, Magnentium autem aliquoties victum ad mortem adegit.

DEjectis Tyrannis totius Romani Orbis Imperium, quod inter Conſtantini M. Filios diviſum diximus, recepit, qui ex tribus ſuperſtes erat,

CX.

FL. IUL. CONSTANTIUS.

FUlgidiſſimum eſt hoc in Electorali CIMELIARCHIO Conſtantii Numiſma, non metallo tantùm, ſed & magnitudine & typo. Ipſius Imperatoris exhibet effigiem, maximi moduli, aureæ impreſſam laminæ, & diademate baccato inſignem. Averſa GLORIAM ROMANORVM effingit, qualem in nullo adhuc videre contigit alio. Figura muliebris ſedet, ſedet in Solio, ſiniſtrâ Sceptrum tenet, dextrâ Globum. Globo inſiſtit Victoria, Victoria Lauream imponit ſedenti. Majeſtatem Conſtantii, poſt devictum Magnentium, hôc typo præfigurari crediderim. Victoria Globo inſiſtens quid deſignet, niſi Orbem Terrarum Victoriarum felicitate domitum? Eum pacificè ſe recturum ſperans Conſtantius, pacificum mulieris habitum Solio impoſuit, ſiniſtræ Sceptrum tradidit. Sed eventus non reſpondit votis: In Occidente Victor, ad Orientem à Perſis infelicibus ſæpè præliis fatigatus eſt, tandemq; deficiente Juliano, morbo conſumtus interiit. Literæ S M A N T Monetam ANTiochiæ indicant Signatam.

CXI.

CXI.

ALIA CONSTANTII.

Quatuor adhuc ſubjicere placet Conſtantii Numiſmata. Primum minoris moduli eſt. Effigiem exprimit, non *Auguſti, ſed Cæſaris*, abſque capitis inſigni. In aversâ Gloriam Reipublicæ Victoria ſedens figurat. Ea Clypeum utrâque tenet, Stellâ inſignem, quem puer alatus ſuſtinet. Non dubito, quin per ſtellam in clypeo Sol, per Solem intelligi debeat ipſa Antiochenorum Civitas, cujus campos Apollini ſacratos fuiſſe conſtat. Figuram nudam & alatam Genium interpretantur, an Urbis, an Conſtantii ? Hoc ut credam, facit Juvenilis Cæſaris facies, quæ & Victoriam ad Conſtantinum M. potius referendam ſuadet, quàm ad Conſtantium. Hæc ſi placeant, Antiochenos Gloriam Reipublicæ ſuæ in ſecuritate, Victoriis Conſtantini Patris, & vegetâ Filii Juventute ſubnixâ, poſuiſſe, Numiſma teſtabitur. Secundum tres Palmas exhibet, quarum mediæ Stella irradiat. Palmas, ut ſuprà diximus, tres Conſtantini M. Filios interpretantur. Earum prima & ultima inclinatæ, media erecta, ſtellæque ſplendore fulgida nobis videtur, quòd ex tribus Fratribus ſolus medius, Conſtantius ſcilicet, Cœli favore in Imperio perſtiterit, reliqui autem poſt exiguum fortunæ blandientis decurſum nutaverint, tandemque fuerint depreſſi. Id ex inſcriptione videtur adſtrui poſſe, in quâ non Fratrum, ſed ſolius Conſtantii habetur mentio. Hoc Numiſma Siſciæ percuſſum eſt, Urbe Pannoniæ ; At Tertium Treviris ſignatum, vel ſolâ hâc confeſſione docet, per duos captivos Labaro aſſidentes, alios

tes alios intelligi non debere, quam Vetranionem Imperio dejectum,& Magnentium devictum: Nisi loco Vetranionis Decentium mavelis, de quo modo dictum. Hoc Gaudium Romanorum fuit, quòd Constantii armis Tyranni dejecti essent. Hoc perfusi gaudio, quid potuére Constantio deferre, nisi laudes & vota? Idem agunt & in quarto Numismate, in quo armáti Imperatoris directa facies, & in aversâ non Roma tantùm, sed & Constantinopolis. Utraque Gloriam Reipublicæ in Constantii fortitudine ponit, utraque Vota concipit, non, ut in Priore, XX Mult. XXX; Sed XXX Mult. XXXX.

SUb Constantio, post Gallum sublatum, Cæsar, postea & *Augustus*, sed contra Constantium, ab Exercitibus Trans-Alpinis dictus est

CXII.

FL. CL. IULIANUS.

DUo hîc Juliani Numismata sunt, utrumque cum *Augusti* cognomine, alterum tamen Constantio adhuc superstite cusum, alterum post Constantii mortem. Differentiam vel ex barbâ agnoscas; Cùm enim Julianus Constantio inimicitias declarâsset, omnia Ei contraria affectavit, & inter ea etiam Barbam, quòd Constantius mento lævi soleret incedere. Hæc barba in primo Numismate nondum, ut in Secundo, promissa, sed rotundâ adhuc effulgens asperitate, satis indicat, non diu post assumta Imperii insignia cusum esse. Id factum, cùm contra Constantium in Orientem progrederetur, forsitan ex adjuncto loco conjicias, qui Sirmium est, Urbs Pannoniæ: Conjicias & ex aversâ, ubi Imperator Tropæo onustus progreditur. Progreditur, & tamen retrospicit: Nec retrospicit tantùm, imò & manu captivum deprimit. Hæc ad devictum Occidentem pertinere, nemo non videt. An ad omnem? Germani præcipui hostes erant, Germanos Julianus aliquoties cecîdit, imò & Regem eorum Chnodomarium cepit. An hunc sub captivo hoc intelligere velis, liberum esto, Dissuadet temporis diversitas, suadent Juliani querelæ, quas, cùm Constantius de Chnodomario triumpharet, tamquam

tamquam de injuriâ ſevit ; Inde credibile eſt, poſtquam Conſtantio declarâſſet inimicitias, ut hanc *Chnodomarii* captivitatem ſibi vindicaret, ejusque memoriâ etiam Nationes ineſcaret, & militibus blandiretur, non tantùm eam expreſſiſſe in Numiſmatibus, ſed & Virtuti Exercitûs Romani adſcripſiſſe, cùm reverà ſuam hoc facto auctam vellet & Gloriam & Potentiam. Secundum Numiſma poſt *Conſtantii* mortem Conſtantinopoli percuſſum eſſe, itidem ex Barbâ conſtat, quæ jam in juſtam longitudinem excrevit, conſtat & ex duabus ſtellis tauro imminentibus, quibus duorum Imperiorum, Occidentis & Orientis conjunctio deſignatur. Taurus deteſtandum Juliani à Chriſtianâ fide ad Ethnicas ſuperſtitiones tranſitum deſignat, quem Sacrificiorum ritu patefecit, cùm primùm Conſtantinopolim ingreſſus eſſet. Sacrificâſſe Tauros & aliquoties centenos, imò albos & Jovi, partim ex AMMIANO, partim ex Ipſo diſcimus. Ad Jovem ſpectat & Aquila, quæ Diademati inſiſtens roſtro lauream porrigit, quòd, cùm Imperium à Jove accepiſſet, ab eodem exſpectaret & Victorias ! En Egregiam Reipublicæ ſecuritatem!

IUliano extincto, Exercitum Romanum, Perſarum armis ſuccumbentem, communi conſenſu Imperator creatus, factâ Pace, ſervavit

CXIII.

IOVIANUS.

A 2

HIC ob egregium corporis robur, raramque militiæ peritiam, licet fidus CHRISTI ſervus eſſet, infido tamen Imperatori charus, intemeratum inter impietatis aſſeclas ſervaverat animum. Imperator factus omnem Gentilium Deorum Cultum ſuſtulit, Chriſtianæ Religionis puritatem reſtituit. Numiſma Antiochiæ percuſſum, quò poſt factam cum Perſis Pacem redux erat, ipſum Imperatorem exhibet Dextrâ tenentem Labarum, ſiniſtrâ Victoriolam Orbi impoſitam. Victoriolam? cùm tamen morte præventus nullam Victoriam obtinuerit? At ego egregiam Eum obtinuiſſe dico, non tantùm cum Pace Perſicâ Romanos ſervaret

Exercitus,quod factum omni Victoriâ glorioſius fuit ; Sed etiam, cùm abominandas Gentilium ſuperſtitiones dejiceret. Hæc Victoria fuit, non tam ipſius Joviani, quàm Romanorum, non tam Romanorum, quàm omnium

Quos juvat à CHRISTO nomen habere ſuo.

POſt Obitum Joviani Imperator declaratus eſt

CXIV.

VALENTINIANUS.

OMnia hæc Valentiniani Numiſmata Victorias celebrant, ſed diverſis typis, diverſis inſcriptionibus. In primo Victrix Urbis Romæ & Tranquillitas adumbratur & ſolertia. Tranquillitas in figurâ ſedente, Solertia in eâdem armatâ. In ſecundo Numiſmate Imperator depreſſo captivo *Romanorum Gloria* dicitur ; In Tertio idem Imperator ſub encomio *Reſtitutoris Reipublicæ* , ſacratum Chriſtianorum inſigne jactat, jactat Orbem Terrarum Victoriis ſuis domitum ; In Quarto Victoria non Valentiniano tantùm, ſed & Fratri ejus Valenti adſcribitur, quem Valentinianus in Imperii aſſumſerat conſortium. Omnia hæc Valentiniani temporibus apprimè conveniunt. Sub Eo hoſtes oriebantur complures : Alamanni Gallias & Rhetias populabantur, Sarmatæ & Quadi Pannonias, Picti, & Saxones, & Scoti Britannos, Mauri & aliæ Gentes Africàm, Perſæ Armeniam, Gothi Thraciam. Nondum ſtetit malum. Etiam Procopius aſſumtis Imperii inſignibus Conſtantinopolin

polin contendit, & Regiam occupavit. Sic externo malo, quod multiplex erat, etiam internum jungebatur; Sed pleraque Augustorum & Ducum sive Fortuna sive Fortitudo variis Victoriis vel amovit vel concussit, Româ interim quietâ, gloriantibus Romanis, reflorente Republicâ.

SUb Valentiniano Imperium participavit Frater Valentiniani

CXV.

VALENS.

NIhil ferè in his Valentis Numismatibus novum est. Duo priora præter Effigiem, eadem planè sunt, quæ & Valentiniani. Unde patet, quàm cauti olim Monetarii fuerint, quoties *plures Augustos* Romano in Culmine adorarent. Ne alterum celebrantes, alterum offenderent, non aliô tutius uti potuerunt mediô, quàm eadem omnibus dedicando. *Restitutorem Reipublicæ* modo Valentinianum vocârant, hîc talem vocant & Valentem. Ut taceam Typum secundi, in quo utriusque dextris globus impositus à Victoriâ inumbratur. Hic utrique Imperatori communis est, at ille divisim & Valentiniano debebatur & Valenti. Ille restituebat Rempublicam in Occidente, Hic in Oriente: Ille debellatis Germanis, aliisque, Hic sublatô Procopiô, direptâ Mœsiâ, Gothis & devictis, & ad Pacem adactis. An tamen ex omnibus his Victoriis Reipublicæ securitas data fuerit, de eo dubitaverim; Potius est, ut revixerit Romanorum & Gloria & Pietas! Tantâ delibuti rerum gestarum magnitudine,

tudine, quidni pro Imperatoribus ſuis vota ſuſciperent? Quidni ſuſcepta perſolverent? Utrumque eos feciſſe, ultimum Numiſma teſtatur, in quo duæ Figuræ ſedentes vulgaria Urbium, Romæ ſcilicet & Conſtantinopolis, ſimulacra VOTA SOLUTA X. MULTIPLICATA, id eſt, denuò ſuſcepta XX extollunt, idque ſub auſpicatiſſimo primitivæ Eccleſiæ ſigno, quo, ut ſæpius dictum, Chriſti Nomen tunc temporis præfigurari ſolebat.

VAlentiniani, diverſis licet ex Conjugibus, Filii fuére Gratianus & Valentinianus Junior. Alterum Pater, præter Valentem, in Imperii Conſortium admiſit, alterum Frater, poſt Patris obitum. De utroque agendum.

CXVI.

GRATIANUS.

SImilia hujus temporis Imperatoribus dicata eſſe Numiſmata, Cl. PATINUS obſervat. Primum, quod exponimus, aſſerti ſe teſtem ſiſtit. Idem aſpeximus & ſub Valentiniano, & ſub Valente. Aſpicimus etiam ſub Valentiniano Juniore. Differentia ſolâ in interpretatione conſiſtit. In ſuperioribus Valentinianum & Valentem agnovimus, in his autem agnoſcimus Gratianum & Valentinianum Juniorem, utrinque tamen Fratres, niſi fortè pro Valentiniano Juniore Seniorem, vel etiam Theodoſium ſubſtituere placeat, quod equidem per nos licebit. In Secundo Gratianus ſiniſtrâ Victoriolam globo impoſitam tenens, dextrâ Rempublicam procumbentem ſublevando reparat. Medium reparationis Virtus Exercitus eſt, quæ & ipſa per Imperatorem exprimitur in tertio Numiſmate; Exercitus ſine Imperatore quid ſit,

agnovit

agnovit Gratianus, cum Bello Gothico urgeretur, & Germani Romanos fines incurrerent, Auguſtos faſces Theodoſio conceſſit, non aliam magis ob cauſam, quàm, ne alterum bellum perito Imperatore deſtitueretur. Salutare Romano Imperio id factum fuit. Germanis pulſis, Gothis debellatis, id quod Numiſmatibus celebratur, labantem Rempublicam reparavit. Magna hæc Gratiani Gloria! Sed major credenda eſt, quòd Gloriam novi Sæculi in elata Chriſtiani Nominis Majeſtate ponit, quòd Eam Gloriam dicit, quòd etiam Imperatores Chriſtum circumferant, & ſub ejus vexillis militent.

GRatianum ex Britanniâ progreſſus, novâque dominandi percitus libidine, per Andragatium ſuſtulit

CXVII.

FL. MAG. MAXIMUS.

UT Injuſtitia Juſtitiæ phaleris operiatur, ut perfidia fidei, uno verbo, ut vitia Virtutis, novi nihil eſt. Exemplis & Antiquitas ſcatet. En Maximum! Hic cum nefario auſu contra Dominum inſurrexiſſet, pejoreque ſucceſſu eundem trucidâſſet, Reparationem Reipublicæ crepat. Reipublicæ ſe Reſtitutorem jactat. Jactat Victoriam communi nomine, & ſuo & Filii Victoris, additque & Victoriæ medium, Virtutem Romanorum. Si corticem aſpicis, Gratianum Reipublicæ Romanæ peſtem judicabis, Maximum ſalutem: Secus, ſi rei veritatem. Fuerit Gratianus in Pace remiſſior, fuerit Maximus Britannorum Victor, nullibi tamen jus adſtruxeris Imperatorios convellendi fa-

ſces, nullibi Jus creditas vires in Domini retorquendi cervicem. Qui Victricem Exercitum in Reipublicæ viſcera vertit, non Reſtitutor eſt, ſed rebellis, non reparat, ſed turbat, & licet vincat, non tamen Victoriam jactare poteſt, ſed plus quàm latrocinium, quod ſuo tempore Divina caſtigat ultio. Maximus cùm Dominorum alterum ſuſtuliſſet, alterum fugâſſet, tertium tamen Theodoſium, *à Deo* ſcilicet *datum*, ſuperare non potuit. Ab hoc bis victus eſt, poſt & Aquilejæ obſeſſus, porrò à propriis militibus Victori ad ſupplicium traditus, tandemque, cùm Hic pro innatâ clementiâ parciturus videretur, ab Exercitu necatus eſt, ne ſcilicet vindicta ceſſaret.

MAximi Filius fuit, & ab eodem Auguſti Nomen accepit

CXVIII.

FL. VICTOR.

VIctor à Patre Galliis præpoſitus temporarium & ipſe Imperium habuit; Patre enim cæſo interfectus eſt. Quæ ad Numiſma pertinent, ex ſuperioribus conſtant. Typus idem planè eſt, qui & inter legitimos Conſtantini Succeſſores frequens, quod ideò à Maximo factum, conjicit Cl. Patinus, quòd ex Conſtantini M. proſapia is originem ſuam derivaret, indeque ſibi Gloriam quæreret.

DUos diximus Imperiali in Solio Valentiniani fuiſſe Filios. De Gratiano hactenus. Sequitur

CXIX.

VALENTINIANUS IUN.

VAlentiniani Junioris Numiſma aureum, eximiæ magnitudinis, quod nullibi hactenus vulgatum novimus, faciem exhibet gemmato Diademate

Diademate coronatum. Averſa exprimit duas figuras ſedentes, & dextris Globum tenentes , cum inſiſtente Victoriolâ. Altera Roma eſt, altera Conſtantinopolis. Roma ſiniſtrâ haſtam , Conſtantinopolis Cornucopiæ tenet. Hæc & navis roſtro inſiſtit. Navis roſtrum & ſitum Conſtantinopolis & Navalem potentiam indicat , Galea & haſta Imperii Occidentalis robur , Cornucopiæ & Corona gemmata Orientis excellentiam. Treviris ſignatum Numiſma, ſubſcriptio docet. Ex Româ & Conſtantinopoli in eo conjunctis pacificam utriusque Imperii , quam Imperatores hujus temporis ſervabant , agnoveris Concordiam. Hæc *Romanorum Gloria* fuit , Hæc non Gloria tantùm Romanorum, ſed & terror hoſtium.

CXX.

ALIA
VALENTINIANI IUN.

QUod de Concordiâ utriusque Imperii modo diximus , id primo propoſitorum adſtruitur Numiſmate. In Eo Concordia Trium Auguſtorum celebratur, Gratiani ſcilicet, Valentiniani, de quo hîc ſermo, & Theodoſii, quem Gratianus Imperio Orientali præfecerat. Hæc Concordia per Romam exprimitur, quòd primas hæc, utpote cujus beneficio Orientis Imperator dictus eſt, in ordine tenuerit. Exprimitur per Romam ſedentem, quòd Concordiâ Auguſtorum florente, tranquillo hæc regimine Terrarum Orbem fuerit beatura. Ex loco ſignaturæ, qui *Conſtantinopolis* eſt, agnoſcis, ſub Theodoſio hoc Numiſma in gratitudinis Τεκμήριον percuſſum eſſe , præſertim cùm ejusdem fere typus & ſub

Gratiano occurrat. Licet autem vox *Junioris* Valentiniani hujus nomini adſcripta non ſit, tamen Junioris eſſe hoc Numiſma, facilè ex Juvenili facie collegeris. In Secundo idem typus eſt, qui & ſupra in Patre & Fratre fuit. Tertius Romanorum Virtutem celebrat. Quartus Trium Auguſtorum Victoriam. Virtus Romanorum in quieto Orbis regimine conſiſtit. Orbis Regimen quietum eſſe non poteſt, niſi armato fulciatur brachio. Hinc Romam in hoc Nummo non ſedentem tantùm, ſed & Galeatam, & haſtili inſtructam contemplamur. Idem ferè hîc habitus eſt, qui & in Concordiâ trium Auguſtorum. Ex Concordiâ trium Auguſtorum, trium Auguſtorum exſurgit Victoria. Hanc vel de Germanis, vel de Gothis forſitan intellexeris, cùm quod unius eſt, ut & alii tribuatur, Concordia facilè permittat.

A Gratiano, ut ſuprà diximus, cùm Valentinianus Junior Imperator jam eſſet, *Auguſtus* appellatus eſt &

CXXI.

FL. THEODOSIUS.

HIC cùm à Trajano deſcenderet, *Trajano ſimilis* fertur & moribus & rerum ſucceſſu. Numiſma primum Concordiam exhibet trium Auguſtorum, Gratiani ſcilicet, Valentiniani Junioris & Theodoſii, aut ſi mavis, Theodoſii, Arcadii & Honorii. Idem ferè typus in ſuperioribus fuit, niſi quod illic Roma, hîc autem Conſtantinopolis exhibeatur: Secundum Numiſma minutulum Victoriam gradientem exhibet, quam an ad devictos Gothos referas, an ad Maximi

aut

aut Eugenii interitum, quos Theodoſius ſuſtulit, liberum eſto. Ubique Rempublicam reparavit, quod meritum clarius exprimitur in Numiſmate tertio, in quo Imperator proſtratam Rempublicam porrectâ dextrâ ſublevat.

EUgenii modo mentionem fecimus. En Ipſum duplici ex Numiſmate!

CXXII.

EUGENIUS.

HUic Arbogaſtes Francus genere & Exul, ſublato per laqueum Valentiniano Juniore, Romanorum detulit Imperium, Viro obſcuro antea, & qui, cùm Grammaticam docuiſſet, ſolo linguæ remigio ad honores adſpiraverat. Numiſmata Romam oſtendunt, utrinque Victricem. Alterum & Romanorum celebrat Virtutem. Victorias ad ſpem potius contra Theodoſium retulerim, quàm ad Alamannos; Hos enim rebellantes Eugenius ad renovanda fœdera legitur adegiſſe, antequam in Jtaliam deſcenderet. Quicquid ſit, ſpes eum fefellit. Cùm in Jtaliam deſcendiſſet, à Theodoſio ſuperveniente victus eſt, non quidem Virtute Exercitus, ſed Virtute Dei, qui precibus piiſſimi Imperatoris exoratus, immiſsâ tempeſtate & arma hoſtium, & ſpicula non impedit tantùm, ſed & retorſit:

- - - Aquilo de Monte procellis
Obruit adverſas acies, revolutaque tela
Vertit in Authores, & turbine reppulit haſtas.
O nimium dilecte DEO! cui fundit ab antris,
Æolus armatas hyemes, Cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſsica venti.

DUos Theodosius Imperiali in fastigio post se reliquit Filios, Arcadium scilicet & Honorium. Arcadio Oriens obvenit, Honorio Occidens. Utrique Tutor additus, Illi Rufinus, Huic Stilico; Sed neuter fidem servavit. Rufini virus statim emanavit, Siliconis nonnisi post Arcadii mortem.

CXXIII.

ARCADIUS.

PRimo in Numismate Victoria trium Augustorum vivente adhuc Theodosio Patre id percussum arguit. Theodosio mortuo vel tres Augusti non fuerunt, vel glíscente discordiâ non fuit commune bellorum impendium. Quis hostium sub Triumphantis Imperatoris pedibus jaceat, ex supradictis petendum est. Si Eugenium arbitreris, haud forsan aberraveris. Secundum Numisma duorum Augustorum, Arcadii scilicet & Honorii Concordiam præferens, post Theodosii obitum id signatum ostendit, ante tamen, quàm Siliconis artibus Concordia hæc diffluxisset, nisi forsan Arcadium hoc monumento dissentienti Fratri Concordiam suasisse, ideoque Urbis Romæ Simulacrum impressisse contendas. In tertio Numismate Urbem Romam felicem prædicat. Felix erat Roma Siliconis Providentiâ, dum Constantinopolis perfidiâ Rufini, fraudibus Eutropii, Tribigildi & Gainæ minis, in profundum infelicitatis barathrum conjecta sudaret. Superavit tamen lachrymabilem fortunam fortuna Arcadii. Rufinum milites, mille vulneribus confossum, in frusta redegerunt. Eutropius Chalcedone interfectus, Gaina à Fravita victus, ab Hulde Hunnorum Prin-

cipe

cipe obtruncatus eſt, reſectum caput Conſtantinopolis doloris ſui habuit ſolatium. An hunc in Numiſmate quarto ſub Cruce jacentem victorioſo Imperatori obtulerint Antiochenſes, an verò Gainam, aliumve publicæ tranquillitatis hoſtem, aliorum judicium eſto. Quicquid credas, Antiochenſium tamen eluceſcit Pietas. Imperatoris ſui virtutem *Romanorum Gloriam* appellantes, Virtutem tamen iſtam ſolâ Dei benedictione efficacem aſſeruére. Id ſibi vult manus cœlitùs demiſſa,& Victricem Imperatori impoſitura lauream.

CXXIV.

HONORIUS.

PRiora duo Honorii Numiſmata vivente adhuc Theodoſio percuſſa eſſe,ex trium Auguſtorum mentione intelligimus. Rationem aſſerti videbis ſub Arcadio. In typis nihil eſt, quod non dictum ſit ante. Concordes tunc fuiſſe Auguſtos, & ob eorundem Concordiam Romanos & quietum Regimen poſſediſſe, & Victoriarum Gloriam obtinuiſſe, ex hiſtoriis teſtatum dederis. Tertium Numiſma nullis temporibus adſtrictum latius evagandi libertatem concedit. Virtus in eo Romanorum conſueto Romæ ſedentis, & dextrâ Globum cum ſuperimpoſitâ Victoriolâ, ſiniſtrâ autem haſtam tenentis, exprimitur ſimulacro. Romanorum Virtus in Bello Gildonico eximia fuit; Tunc enim ſub Mazeſcele, quem ſeptuaginta millium Exercitu Honorius inſtruxerat, Fratrem Ducis ſui Gildonem, annonam Jtaliæ negantem, in Africâ aggreſſi ſunt, & everterunt. Eximia fuit, cùm Alaricus Jtaliam invadiſſet; Tunc enim Stiliconis ductu infeſtiſſimum hoſtem, aliquoties devictum,

non

non Jtaliâ tantùm ejecére, ſed & inglorium in Illyricum usque repulerunt: Eximia fuit cùm Radagaiſus Jtaliæ inſultaret ; Tunc enim denuò ſub Stiliconis auſpiciis ducenta millia Gothorum, Sarmatarum & Germanorum vel ceciderunt, vel in deditionem acceperunt, tantô numerô, ut ſingulos ſingulis aureis vendere neceſſe haberent. Sequente tempore evanuiſſe videbatur hæc Virtus. Galliæ à Barbaris vaſtabantur, vaſtabantur Hiſpaniæ. Vandali, Alani, Gothi Romanas graſſabantur per Provincias, & paſſim novi ſurgebant Imperatores dicam, an Tyranni? Accedebat & furor Alarici, qui non Provincias, ſed ipſam Jtaliam, ipſam Romam petiit, vaſtavit, dirripuit. Ubi tunc Romanorum Virtus? Sopita fuerat, ſed reſurrexit, tantoque Gloriam ſuam reſtituit cum ſucceſſu, ut juſtum brevi Imperatori Honorio inſtruxerit Triumphum. Quartum Numiſma, decimo Imperii anno ſignatum, *Vota Decennalia ſoluta* continet, Continet *Vicennalia ſuſcepta*, quæ & ipſa Honorius implevit, & tricesimo Imperii anno ſolenni cum celebritate ſolvit.

SUb Honorio Tyrannos ſurrexiſſe, modo diximus. Horum duos hîc proponere inſtitutum poſtulat. Primus eſt

CXXV.

PRISCUS ATTALUS.

ATtalus ab Alarico, cùm Romam occupàſſet, Honorioque Imperium abrogâſſet, Majeſtatis inſignibus donatus, umbra potius Imperialis magnitudinis fuit, quàm Imperator. Cùm nihil ſuo ex arbitrio facere poſſet, & quæcunque faciebat, fortunâ deſtituerentur, ab eodem Alarico rurſus ſpoliatus eſt dignitate, quam ab eo acceperat. Interjectis aliquot annis, cùm ab Athaulpho ad reſumendum Auguſtale nomen impelleretur, captum Honorius in Triumpho duxit, tandemque truncatâ dextrâ in Liparam relegavit. Numiſma, quod Gothicam artis imperitiam ſapit, Romam invictam celebrat & Æternam. Invictam? cùm tamen paulò ante Gothorum furiis ſuccubuerat : Æternam? Cùm tamen inter terrenæ fragilitatis turbines jamjam caſura videbatur. Quid Victoriam jactas, Barbaricæ immanitatis ſerva? Quid æternam Tibi promittis? Non Attalus hujus vel Author eſſe poteſt, vel ſponſor. Non eæ ſunt vires, non ingenium, non fortuna!

Tyran-

TYrannorum ſub Honorio, quorum Numiſmata promiſimus, alter fuit

CXXVI.

IOVINUS.

IOvinus hic in Galliâ Tyrannidem aſſumſit, ſed poſt aliquot Menſes occîſus, quam reportaverit Victoriam, quî Reipublicæ Reſtitutorem ſe potuerit jactare, non video : Niſi eum in finem id factum arbitreris, ut vulgi animos, inani ſpe impletos, ſui in favorem traheret, eoque medio Solium ſuum firmaret ; Quod tamen quàm inanis fuerit humanæ prudentiæ conatus, tunc vidit, cùm ipſe captivus Honorii Tricennalia Auguſtiora faceret, & ab eo, quem, ut in Nummo eſt, contriturus videbatur, in juſtiſſimæ vindictæ ſpeciẽn occideretur.

VIdimus de Arcadio & Honorio. Arcadii Filius, ejusdemq; & Collega & Succeſſor fuit

CXXVII.

THEODOSIUS IUN.

IN tribus prioribus Nummis Romæ ſedentis typus eſt. Romæ? Cùm tamen Theodoſium Conſtantinopoli ſedem habuiſſe conſtet?

Si hanc ſub figurâ galeatâ agnoſcas, per me licebit, quanquam ea ſit veteſtæ Majeſtatis veneratio, ut non facilè ab ejus Cultu mortales diſcedant, præſertim amicæ. Amicam Romam Conſtantinopoli, ſi non ab initio Imperii Theodoſiani, at in progreſſu, Hiſtoria docet. Concordia, quam Stiliconis ambitio turbaverat, turbatoris morte reducta eſt, & præcipuè viguit Honorio mortuo, cùm non tantùm Valentiniano Theodoſius Occidentis Imperium vindicâſſet, ſed & ipſum Imperatorem, deſponſatâ filiâ, ſibi Generum ſumſiſſet. Primum Romæ ſimulacrum Victoriam prætendit, quam ad Gothicam, & captum Attalum referre incongruum non eſt, cùm conſtet, eâ de causâ Conſtantinopoli edita eſſe ſpectacula. Crux globo impoſita Chriſtianam Religionem ſuper Orbem Terrarum explicatam, imò & Orbi Imperantem indicat. Secundum Numiſma Vota continet, & ſoluta & ſuſcepta. Tertium honores ſimul & tempus ſignaturæ. *Imperator*, ob rem feliciter geſtam, tunc dictus erat *Quadragies bis, CONSUL decies ſepties*, imò & *Pater Patriæ*. Verè Pater Patriæ fuit, qui contra ſubditorum famem plus quàm ſexcentas auri libras expoſuit, qui jura Populi in ordinem redegit, qui devictis hoſtibus Patriæ Pacem ſtabilivit, Hoſtesq; devicit : Id in quarto Numiſmate per Victoriam ſedentem, clypeoque Vota Decennalia ſoluta, Tricennalia ſuſcepta inſcribentem præfiguratur. Victoriæ Theodoſii plures fuére. Contra Wararanem Regem Perſarum inſigni potitus eſt, Eumque tandem Cœli favore ad Pacem adegit : Ut taceam devictos Tyrannos, aliosque.

MOrtuo Honorio Imperium Occidentis adjunctis ſibi Caſtino, & Ælio Ducibus invaſit

CXXVIII.

IOHANNES.

TRia in Johannis Numiſmate Hiſtoriæ videbuntur contraria, Victoria, & tres Auguſti, & Locus ſignaturæ. Locus ſignaturæ per literas COMOB exprimitur, ut & ſupra ſub Attalo, & plerisque Orientis Imperatoribus. In his communiter Conſtantinopolis intelligitur; Cùm

Cùm autem nec Attalus nec Johannes Conſtantinopolitanis Imperatoribus Amicus fuerit, ea huc quadrare non poteſt. Conjectura eſt, in alia quadam Occidentis Urbe, â literis CO inchoante, Monetam obſignatam indigitari, quam tamen determinare difficile eſt. Victoriam Johannis libenter ad captum Ardaburium, Theodoſii Ducem, referrem, niſi Victoria hæc non tam Auguſti eſſet, quàm *trium Auguſtorum*. Trium Auguſtorum? Cùm tamen hujus tempore duo tantùm fuerint? Ipſe, ſi credere fas eſt, & Theodoſius. Palàm eſt ſub Tertio Auguſto Placidium Valentinianum intelligi, cui Imperium Occidentis debebatur. Johannes proinde, cùm & à legitimis Auguſtis confirmari, & in Imperii ſocietatem aſſumi cuperet, hoc Numiſmate Societatis fructum adumbraverit. Fructus ſocietatis Imperatoriæ qui poteſt eſſe, ſi non glorioſa devictis hoſtibus Victoria?

PLacidii Valentiniani modo mentionem fecimus. Valentinianum ex ordine Naturæ præcedit Mater ejus

CXXIX.

GALLA PLACIDIA.

GAlla Placidia Honorii Soror, variis fortunæ adverſitatibus jactata, ſupremum tandem Romani Imperii faſtigium obtinuit. Poſt captam Romam ab Alarico abducta eſt. Abducta in Ataulphi matrimonium conceſſit. Ataulpho mortuo Sigerici inhumanitatem ſuſtinuit. Sigerico ſublato à Wallià Fratri reddita, indeque Conſtantio in Uxorem eſt collocata. Nondum ſtetit fortunæ luſus. Hujus poſt obitum Mariti, cum Fratre familiariter vixit, ſed ortâ ex calumniis diſcordiâ cum Filio Valentiniano, quem ex Conſtantio pepererat, Conſtantinopolim abiit. Honoriô mortuô ipſa *Auguſta*, Filius *Cæſar* declarati ſunt, & contra Johannem in Occidentis Imperium reſtituti. Quis inter tot ludibria Divinam non imploraret opem? Id Placidiam feciſſe, vel ex Numiſmate colligas. Manus Cœlo exerta lauream ejus capiti imponit. Victoria Crucem præfert, intermedio Sole. Quid hæc ſunt, niſi Symbola Victorias à Deo ſperantis, Cœli Domino? A Deo animarum Sole? A

Deo Crucis ſanctificatore? Ab hoc non Victorias tantùm ſperavit Galla Placidia, ſed & Victoriarum Gloriam ei acceptam tulit. *Vota Vicennalia ſoluta*, gratias indicant, quas ſupremo huic humanarum rerum Rectori, ob conceſſam hactenus & vitæ & Imperii Gloriam, reddidit. *Vota Tricennalia ſuſcepta* indicant eas, quas tot annis exactis reddditura erat.

CXXX.

PLACIDIUS VALENTINIANUS.

PRimum, quod hîc proponimus, Numiſma Carolus du Fresne, in *Hiſtoriâ Byzantina*, Valentiniano primo tribuit. Quâ id ratione faciat, non video. Fateor, ut ab eo diſſentiam, neque me fortaſſis firmâ ſubnixum ratione. Hæret dubium, quod ſi quis eximat, gratum fecerit. Conſulatus in aversâ decimus ſeptimus occurrit; At nullus ex Valentinianis eousq; progreſſus eſt. Quid dicemus? An Numiſma ſpurium judicabimus? At ſæculi artificium ſapit, indubitatæque antiquitatis vel Peritiſſimis judicatur. Ego cùm eundem typum ſub Theodoſio Juniore videam, planè Tertii in aversâ agnoſcendam Effigiem, averſam autem ad Theodoſium referendam exiſtimo, qui expreſſum numerum non tantùm implevit, ſed & ſupergreſſus eſt. Si conjunctionem errori Monetariorum imputes, per me licebit. Plura id generis etiam ſub libera Republica exhibet Cl. Patinus *in Theſauro*. Secundum Numiſma aliud dubium videtur movere. Victoria in eo trium Auguſtorum dicitur, cùm tamen conſtet, tantùm duos tunc temporis fuiſſe, Theodoſium in Oriente, & Valentinianum in Occidente. Sed nodi hujus facilis ſolutio eſt. Galla Placidia Valentiniani Mater, quæ, ut ſupra dictum, à Theodoſio *Auguſta* renunciata eſt, Filiique tutelam egit, tertium locum ſuppleverit. Cæterùm Valentinianus hic pede Draconem conculcans, dextrâ Crucem tenet, ſiniſtrâ Victoriolam, ut innuat, inquit

* Archotani Interpres, ſe virtute Crucis Diabolum ſuperâſſe:
Imitatione ſcilicet Conſtantini, cujus ſtatua eo
ſchemate poſita legitur.

In Ori-

IN Orientem regredimur. Theodoſio fatis functo, Pulcheriæ Sororis ejus, quam *Auguſtam* renunciaverat, beneficio Imperiale Solium aſcendit

CXXXI.

MARCIANUS.



IDem ad hoc Numiſma dicendum, quod modo dictum eſt ad Valentiniani ſecundum. Victoria trium Auguſtorum exprimitur, cùm tamen duo tantùm fuerint, Valentinianus ſcilicet & Marcianus. Neque enim Maximum hîc intellexeris & Avitum, cùm his, utpote Tyrannis Marcianus infeſtus fuerit. Potius eſt, ut ſub tertio Pulcheria ſignificetur. Cujus Beneficio, ut diximus, Marcianus ad ſupremum in Orbe faſtigium pervenit, cuique, licet ei matrimonio jungeretur, tamen & Auguſtali honore & marcidâ Virginitate fruendi, inter conditionatas Leges jubebatur libertatem concedere. Victoria cum Cruce Gemmata, piiſſimam Imperatoris hujus pro Orthodoxa fide zelum adumbrat, cujus & Chalcedonenſe Concilium teſtis eſt, & edictum ad Alexandrinos, quo aut Theophilum & Cyrillum audire, aut pœnam eos hereticis dignam jubebat exſpectare. Ad Victoriam militarem ne referas, pacifica ingenii tarditas prohibet, quamquam id armatus in adversâ Imperator ſuadere videatur.

MArciano ſucceſſit

CXXXII.

LEO.

HIC, ut omnes ferè hujus temporis Imperatores, galeatus eſt, haſtâ humeris impoſitâ, gemmato thorace, & clypeo armatus. Dextram

armillâ decoratus. Armillam geſtare Imperatoribus conſuetum, ad ipſum hoc Leonis Numiſma obſervat ARSCHOTANI INTERPRES. Inſcriptio Auguſtum hunc non, ut in aliis, *Pium & felicem*, ſed *perpetuum* vocat, procul dubio ad differentiam Tyrannorum, qui temporarii plerumque ſunt. Averſa Victoriam cum Cruce exhibet, non unius, ſed trium Auguſtorum. Typus hic ſat vulgaris eſt, qui autem ſub tribus Auguſtis intelligi debeant, incertum eſt, cùm tres ſimul, durante Leonis Imperio, tam Concordes vix repereris, ut communis eorum Victoria dici poſſit, niſi vel Ricimerum, penes quem Occidentis arbitrium fuit, quemque miſſo & Imperatore facto Anthemio in fœdus Leo recepit, *Auguſtum* arbitreris, vel Leonem Juniorem conjicias, cui Pater infanti vivus adhuc id honoris tribuit.

IN Occidentem revolvimur, agonizantis Imperii Spiritum extremos comitaturi ad halitus. Valentiniano ob Adulteratam proximi Uxorem, Zelotypiâ vindice, ſublato, ſucceſſit ſceleris ultor Anicius Maximus; Maximo ob violatam Majeſtatem trucidato, Avitus; Avito remoto Interregnum; Poſt Interregnum Majoranus; Majorano ſubacto

CXXXIII.

LIBIUS SEVERUS.



HIC Ravennæ Imperium cùm arripuiſſet, Blorgo Rege Alanorum, ut Pomponius Lætus ait, ſuperato, Lauream meruit. Inde forſitan averſæ dependet explicatio. Ipſe Imperator Serpentem conculcat. Serpentem ſupra de Satana interpretati ſumus. Quid impedit, quò minus & hominem intelligamus, ſed hominem inimicum, non equidem homini, ſed toti cuidam Reipublicæ? Non nudum, ſed ingenti aſſeclarum numero ſuccinctum? Talis erat Blorgus, Alanorum Rex. Talis tanquam nocivus quidam ſerpens in Imperii viſcera ſeſe inſinuavit, peſtiferumque effudit virus. Hunc cùm ſuperâſſet Severus, quidni propoſito typo Victoriam ſuam adumbraret? In eo laudandus, quòd non tantùm ſuæ Virtuti eam adſcripſit, ſed virtuti Dei, cujus & Cruci, ſerpentem hunc conculcans,

culcans, innititur. Per tres Auguſtos forſan intellexerit Se, Leonem Thracem Orientis, & quem Orienti Leo præfecerat, Zenonem.

SEvero interfecto Interregnum fuit. Inde Leonis Auſpiciis ſucceſſit

CXXXIV.

ANTHEMIUS.

ANthemius Ricimeri, penes quem Occidentis tunc vires erant, ſuam cùm collocâſſet Filiam, pacificum aliquandiu tenuit Imperium. Inde Generi ambitione turbatus, ejusdem brevi furiis ſuccubuit. In Numiſmate duæ Figuræ, globum cum Cruce in medio tenentes, SALVS REIPVBLICÆ inſcribuntur. Quæ iſtæ figuræ ſint, ambiguum eſt: An Zeno & Anthemius? Dignitas ſuadet: Anthemius & Ricimer? Monogramma, quod medium viſitur. Forſitan reconciliatam per Epiphanium, Epiſcopum Trevirenſem, utriusque affinitatem hoc typo præfiguratam credideris, cùm ſpes tunc fuerit, ex ea ſalutem Reipublicæ exorituram.

ANthemio ſublato Anicius Olybrius ſucceſſit, inde poſt breve Interregnum Glycerius, quem Imperio exuit

CXXXV.

IULIUS NEPOS.

QUÆ ad Julii Nepotis Numiſmata dici poſſunt, pleraque in ſuperioribus tetigimus. Ipſe *Cæſaris* nomen, & ſpem Occidentalis Imperii à Leone acceperat. Imperator factus, ut Galliam Gothorum & Francorum

Francorum poſſeſſioni eriperet, Oreſtem Exercitui præfecit. Oreſtes perfido auſu creditas ſibi Imperii vires in Dominum retorſit, Filiumque Momyllum *Auguſtum* vocavit; Sed Odoacer, Herculorum Rex, Illo occiſo, Hoc in exilium acto ſe Regem Jtaliæ tulit, & ita Imperio Occidentali finis impoſitus eſt.

IN Oriente LEO, cujus Numiſma ſupra contemplati ſumus, Leonem ex Filiâ Nepotem Imperii conſortem fecit. Leo Nepos poſt Avi Obitum, quod ille neglexerat, Patrem aſſumſit. Pater erat

CXXXVI.

ZENO.

ZEno in Nummis his *perpetuus* dicitur, ſed perpetuam Imperii fortunam expertus non eſt: A Baſiliſco Conſtantinopoli ejectus, aliquandiu exul in Iſauriâ latuit. Inde redux diadema, quod & in primo Numiſmate Victoria præfert, recepit. In aversâ Secundi Victoriam jactat: An contra Baſiliſcum? An contra alios vel hoſtes vel infidos Coronæ ſuæ? Plures ei devictos Hiſtoria docet. Victoriam hanc in Virtute Crucis ponit, Is qui à Synodo Chalcedonenſi defecit? Qui non minus in Eccleſiâ, quàm in Republicâ regnâſſe memoratur, non ut Auguſtus, ſed ut Tyrannus? An Ei Vota XXXX clypeo inſcribat Victoria? Quid mirum? Ut Tyrannum Baſiliſcum Populus ejiceret, Tyrannum Zenonem reſtituit. Pro reſtituto quidni Vota conciperet? Per tres Auguſtos quos intelligas, vix habebis, niſi connumeres Zenonis & Socrum & Conjugem. Socrum Zenonis & Conjugem, ſed utramque perfidam. Illius Auſpiciis Baſiliſcus ſurrexit, Hujus juſſu, cum Zeno per Errorem

ſepultus

ſepultus reſpiraret, miſerrimèque ſub ſaxo vociferaretur, exauditus non eſt, ſed fame contabuit.

CXXXVII.

BASILISCUS.

BAſiliſcum depoſito Zenone Imperiale Solium aſcendiſſe, ſed rurſus ab eo dejectum, modo diximus. Hic *perpetuum* ſe non vocat, nec perpetuus fuit. *Pium* vocat, vocat *felicem !* Id mirum eſſet, niſi impietatis genius abundè innotuiſſet. Tyranni crudeliſſimas perſecutiones Pietatis velo muniunt. Baſiliſcus cùm ad Imperium perveniſſet, Orthodoxos ejecit, Eutychianos revocavit, Concilium Chalcedonenſe ſuſtulit. Sub eo Conſtantinopolis incenſa, plus quàm centum millia librorum combuſta. Hiccine Pius ? Hiccine Felix ? At Crucem præfert Victoria : Victoria non unius, ſed trium rurſus Auguſtorum. Forſitan & hîc fœminas admiſcere liberum eſt. Sororem, quæ *Auguſta* erat, cùm ejus favore Imperium obtinuerit, procul dubio non excluſerit : Non excluſerit Uxorem Zenonidam, quam *Auguſtam* coronâ donavit, niſi forſan & Filium Marcum inferas, quem *Cæſarem* fuiſſe, ex Hiſtoria conſtat. Adjectam literam B. vel anni ſecundi Numeralem arbitramur, vel, ut & in aliis alia, notam Monetarii, quas opiniones ſuggerit Doctiſſ. du FREHNE *in Diſſert. de inferioris ævi Numiſmatibus.*

POſt Zenonis obitum annitente Ariadnâ Imperium obtinuit

CXXXVIII.

ANASTASIUS.

IN altero Numiſmate Pietas & Felicitas, in alterâ Perpetuitas Auguſti exprimitur. Pietas Anaſtaſii, plerisque, ſed ſequioris Sæculi

Scriptoribus iniquiore perſtringitur calamo. Si Antiquos conſulas, Græcos præſertim, apparabit & Imperatoris Genius, & cauſa famæ. Anaſtaſius, ut Eccleſiæ, variis diſcordiarum fluctibus laceratæ, ſubveniret, Imperatoriâ authoritate omnem contentionem & diſcordiam prohibuit. Inde varii Epiſcoporum motus. Pars ejus Epiſtolæ paruére, pars eandem repudiârunt: Illos Anaſtaſius fovit, Hos exturbavit. Aſſerti Author eſt Evagrius, qui & εἰρηναῖον, *Pacis ſtudioſum* vocat. Eodem zelo videtur & rejeciſſe Hormiſdæ Legatos, indeque odium meruiſſe Latinorum. Græci certè adeò Pium aſſerunt, ut ſummo manè ante Galli cantum quotidie in templum iverit, neque niſi abſolutâ concione inde receſſerit, fidem etiam ſuam jejuniis Deo, Populo eleemoſynis probaverit. Id ad Numiſmatis noſtri lucem pertinet, in quo *Pius* dicitur. A pietate Felicitas dependet, quæ nec ipſa Anaſtaſio omninò videtur abjudicanda; Licet enim plures habuerit Imperii hoſtes: Aliquot etiam paſſus ſit ſubditorum ſeditiones; Omnes tamen, felici plerunque eventu, diſpulit, & ita Imperii ſui Perpetuitatem adſtruxit. Adſtruxit Perpetuitatem, ſed qualem humana patitur imbecillitas. Cùm viginti ſeptem annos, & quod excedit, imperâſſet, dubium, an fulminis ictu? certè mortuus eſt.

ANaſtaſio, Conſentientibus & Senatu & Prætorianis, ſucceſſit

CXXXIX.

IUSTINUS THRAX.

HIC, quod contra fidei puritatem invenit, id omne memoratur ſuſtuliſſe, Hæreticos ejeciſſe, Orthodoxos revocâſſe, Concilium Chalcidonenſe defendiſſe, & licet Ἀναλφάβητος, & rerum gerendarum non adeò peritus, veræ tamen pietatis ſtudioſus fuiſſe. Quicquid ſit, ab infimâ ſtirpe ad Curopalatæ dignitatem per omnes militiæ gradus aſcenderat, cùm Anaſtaſius occumberet. Inde cùm Imperium pro Theocritiano mercaretur, rarâ fortunâ ſibi delatum ſuſcepit. Imperator inſidias diſcuſſit, cum Perſis Pacem firmavit, tandemque Juſtinianum ex Sorore Nepotem cùm in Imperii conſortium accepiſſet, obiit. Intelligitis Felicitatem! Intelligitis rationem & Crucis, & Victoriæ!

CXL.

CXL.

IUSTINIANUS.

IUstinianus non bellicos tantùm ſudores, ſed repurgatum etiam Juris & fontem jactat, & æquor. Numiſma maximi moduli eſt. *Cyzici* percuſſum ſubſcriptæ literæ KYZ indicunt. Annum Imperii XVIIII. adjecti determinant numeri. Facies integerrima eſt. Dextrâ globum cum impoſitâ Cruce elevat. Id Imperatoribus Chriſtianis jam olim conſuetum, laudatiſſimâ æmulatione adhuc obſervari ſcimus.

CXLI.

ALIA IUSTINIANI.

VIctoriam cum Cruce in pluribus hactenus Numiſmatibus vidimus; Vidimus & Victoriam præter globum crucigerum Diadema prætendentem.

dentem. Nisi Historiam conferas, facilis omnium est Interpretatio. Sed nec Historiam conferre necessarium ; Cùm tanta horum temporum claritas sit, ut nemo, etiamsi primis tantùm labris vetusta delibârit, Gloriam gestorum ignorare possit. Persas Justinianus per Belisarium trans Euphratem rejecit : Ex Africâ Vandalos, ex Italiâ Gothos expulit, Veteresque Imperii limites restituit & firmavit. Nec mirum : Ab initio statim Imperii Orbem Romanum ab Hæreticis purgavit, contra Gilimerem Exercitum parans neminem nisi Christianum & Orthodoxum legit. Illud rationem Crucis in globo suppeditat : Hoc rationem Victoriæ, vel Crucem præferentis, vel sacratum Christi Monogramma.

UT Justinianus Justini ex Sorore Nepos erat & Successor;
Ita Justiniani ex Sorore Nepos,& Successor fuit Junior

CXLII.

IUSTINUS.

IUstinus ingenti Liberalitate cùm animos & Populi & militum conciliâsset, Perpetuitati dignitatis Imperatoriæ abundè sibi visus est prospexisse ; Sed quod Liberalitas dederat, debilior mentis operatio sustulit : Et corruisset Majestas, nisi Sophiæ Uxoris prudentia eam sustinuisset. Hæc Imperii Pacem ab inimico Persa obtinuit, & promoto in Cæsaream dignitatem Tiberio fulcivit. Fulcivit, inquam, non stabilivit. Persa fœdifragus eam quassavit ; Sed & perfidiæ pœnas dedit. Tiberius collectis ex Occidente militibus, per Justinianum Ducem Eum adeò concussit, ut amissis & Castris & Thesauris, & pluribus Urbibus vix elaberetur Ipse. Hanc Victoriam per *Victoriam* averſæ ut intelligas, diadema forsitan persuaserit, cùm Tiberium eâ obtentâ coronatum, quibusdam proditum sit.

A Tibe-

A Tiberio extrema agente, collocatâ in Matrimonium Filiâ Conſtantinâ, ad Imperiale faſtigium evectus eſt

CXLIII.

MAVRITIUS.

FL. Mauritius Tiberius, quod cognomentum etiam in Numiſmate eſt, Victoriarum ſuarum gloriam ſecundâ fortunâ propagavit: Propagavit, & abſolviſſet, niſi avaritia triumphantem præcipitâſſet. Perſas & Armenios per Legatos fudit, Mœſiâ Scythas repulit, in Italiâ Longobardos repreſſit. Deinde Auſpiciis Theodoſii Filii ſui & Germani Soceri, victos Hunnos, Pannoniisque exactos, ad ſolitudines fugavit, & Chaganum afflixit eorum Ducem. Hæc Magnifica ſunt, & Numiſma abundè explicant; Sed, ut diximus, Victoriarum curſum avaritia intercepit. Eâ irritatus, qui Sarmatico limiti præerat, Exercitus Phocam Imperatorem renunciavit. Phocas Domino cum omni familiâ ſublato, Imperiale Solium aſcendit.

CXLIV.

PHOCAS.

IUre ſummo Mauritius Victoriam Numiſmatib[illegible] impreſſit, at nullo Phocas. Huic cùm antea miles fuiſſet, occupato Imperiali Solio, nec militiæ cura, nec Nominis CHRISTI veneratio. Undiq; fervebant Imperii Romani hoſtes. Conſpirâſſe eos credideris ad petendas occiſi Mauritii pœnas, adeò communi conſenſu jacentem Aquilam carpſére. Deſidiâ & Ignaviâ Imperatoris, Romanorum hoſtes potentio-

res facti, Occidentis Diœceſi Germanias cum Inſulis, Gallias, Hiſpanias & bonam partem Italiæ, Pannoniasque & Mæſiam abſtulerunt, & magnam partem Africæ : Orientis verò Iberos, Armenias, Arabas, & hinc Dardanos & Mediterranea Macedoniæ & Thraciæ. Chaganus Thrax, Hunnorum Rex, modo huc, modo illuc, undiq; diſcurrebat. Meſopotamiam & Aſſyriam Perſæ occupaverunt. Ægyptum Saraceni vaſtaverunt. Proh dedecus! Noſtræ vires adeò defecerunt per luxum & libidinem, ut Imperium Romanum ſolo tantùm nomine conſtaret.

INterempto, ut meruerat, Phocâ, Imperator declaratus eſt

CXLV.

HERACLIUS.

NUmiſmata Heraclii Victoriam exhibent & Crucem, procul dubio ob memorandas omni ævo Victorias, quibus Cosroem Perſarum Regem, omne Romanum in Oriente vaſtantem Imperium, tanto ſucceſſu repulit, ut non tantùm ſuperſtitem prædam receperit, ſed & Tigrim hoſtile præſidium excedere coëgerit. Eoque major fuit Victoriæ hujus & Triumphi Gloria, quòd ſalutiferæ, ut Pomponio Læto vocatur, à Perſis ablatum Crucis Lignum reduxit. Rei memoriam in Numiſmatibus expoſitis ſervari quis dubitat?

CXLVI.

HERACLIUS ET HERACLIUS CONSTANTINUS.

HEraclius Conſtantinus Heraclii Filius fuit. Hunc infantem adhuc Pater *Cæſarem*, inde & *Conſulem*, tandemque cum Fratre Heracleo-

Heracleonâ *Succeſſorem* fecit ; Sed brevi poſt Patris obitum exceſſit. Crux gradibus impoſita ex modo dictis interpretationem ſumit. Heraclius enim Triumpho eam, occurrentibus Sacerdotibus, Regio ornatu inſignibus, pompâque admirabili, præeunte Pontifice, in Sacratiſſimo templo poſuiſſe memoratur.

HEracliô Conſtantinô ſublatô, penes Heracleonam Imperii umbra ſtetit, penes Matrem ejus Martinam ejusdem ſumma ; Sed parta per nefas dignitas diuturna haud fuit. Parricidii pœnas exegit Conſtans, cujus Filius fuit Conſtantinus Pogonatus.

CXLVII.

CONSTANS ET CONSTANTINUS POGONATUS.



COnſtantino, qui & Conſtans dicitur, Heraclii Conſtantini Filio, hoc Numiſma, ut & alia plura, adſcribenda eſſe, non obſtante. Barbâ, aliisque, ſatis accuratâ deductione oſtendit Cl. du FREHNE *in Diſſs de inferioris Sæculi Numiſmatibus.* Ei aſſentitur & Illuſt. SPANHEMIUS *ad Juliani Cæſares.* Barba ingens eſt, & benè compta, cùm nullus hactenus vel parvam oſtenderit. Hunc morem ab Heraclii Temporibus initium ſumſiſſe, obſervat idem Cl. du FREHNE, §. 67. Figura altera imberbis quin Conſtantinus Pogonatus ſit, nulli dubitamus ; Hic enim ante expeditionem, quam ad ulciſcendam Patris necem in Siciliam ſuſcepit, imberbis erat. Ab expeditione demum illâ cùm barbatus rediret, *Pogonati* nomen meruit. In aversâ reliqui Conſtantis Filii Heraclius & Tiberius exhibentur. Crux ad ſuperiorem Heraclii Triumphum pertinet, indicatque familiam Conſtantis ab Eo deſcendentem.

CXLVIII.

CXLVIII.

CONSTANTINUS POGONATUS.

QUem modo imberbem juxta Patrem conſpeximus, Eundem hîc intuemur barbatum. Inde vel durante expeditione, vel poſt reditum ex Siciliâ, cùm Patrem jam, interfecto Mizzizio, ultus eſſet, hæc Numiſmata procuſa collegeris. Alterum fortè de priore placebit, in quo militaris habitus: Alterum de poſteriore, in quo habitus Imperatoris pacificus viſitur. Quicquid ſit, poſt reditum à barbâ *Pogonatum* dictum, ex Authoribus conſtat. Duas Figuras Fratrum ejus arbitramur, quos & ſupra in Patris Numiſmate vidimus. Hos à Pogonato in Imperii Partes admiſſos, poſt autem ab adminiſtratione rerum publicarum ſubmotos, idonio teſtimonio probari poteſt. Poſterius cauſa eſſe poteſt, cur in ſecundo Numiſmate fuerint omiſſi. Crux genuinam ab Heraclio originem oſtendit. Per Victoriam intelligimus eam potiſſimum, quâ Patrem ultus eſt, forſan & de Saracenis, contra quos vario ſucceſſu, exitu tamen felici, pugnâſſe legitur.

COnſtantino Pogonato ſucceſſit Filius Juſtinianus Rhinotmetus dictus, quod Naſo Eum mutilaverit

CXLIX.

LEONTIUS.

LEontius dejecto Juſtiniano Imperator factus, tres annos præfuit. Cùm Saracenos, Africam vaſtantes, per Johannem Fratrem ſuum, expuliſſet, totamque Provinciam recuperâſſet, Victoriæ, quæ & in Numiſmate

ſmate ſignata eſt, eximiam meruit gloriam. Eximiam dico, ſed non diuturnam. Qui Gloriæ materies fuerant, iidem & ignominiæ fuerunt, & interitûs. Redeuntibus Saracenis, cùm minùs proſperè pugnaret, Exercitus Apſimarum elegit, qui ex Lege talionis Leontium, ut ipſe Juſtiniano fecerat, Naſo truncavit, & Monaſterio incluſit. Sed nec Apſimari felicior dominatio. Juſtinianus poſt decem Exilii Annos Terbalis, Bulgarorum Regis, auxilio in Solium reſtitutus, utrumq; & Leontium & Apſimarum non naſo truncavit, ſed capite.

CRudelitas Juſtiniano interitum maturavit. Cùm redux novem annos graſſatus eſſet, & horrendam in Cherſoneſo edidiſſet ſtragem, devictum capite multavit

CL.

PHILIPPICUS.



HIC variè in Nummis ſcribitur, *Philippicus* & *Filippicus* apud Cl. du Fresne; In noſtro expreſsè FILEPICVS. Conſularis habitus ex Loro & Sceptro agnoſcitur. De eo latius prælaudatus du Fresne in *Diſſ. §. 4. & ſeq.* Sub Aquila forſitan & Somnium ejus tibi imaginaberis, Imperii prænuncium, quo Aquilam caput ejus inumbrantem ſibi viſus eſt aſpicere. Ea de causâ ab Apſimaro in Cherſoneſum relegatus, poſt autem contra Juſtinianum *Imperator* dictus, Imperium obtinuit, quod per Globum Crucigerum indigitatur. Averſæ Crux eadem. eſt, quam Heraclius à Perſis recuperavit, & in templo ſublimen poſuit. Hujus virtute ſibi Philippicus vel pollicebatur Victoriam, vel Victoriam contra Juſtinianum obtinuiſſe, volebat videri, cùm tamen cultum Crucifixi magis turbaverit, quàm foverit.

PHilippico oculis orbato, Imperator dictus est Artemius; Artemium dejecit Theodosius; Theodosium Leo Isauricus; Leoni successit Constantinus Copronymus; Constantino Leo: Uterq; servato descendentis Naturæ ordine. Leo Constantinum Filium in Imperii consortium admisit, Fratrem Nicephorum Tyrannidis damnavit; Sed mortuo, Constantini nomine successit Mater ejus Irene. Hæc dejecta, post autem in Imperii partes recepta, erutis Filio oculis, cùm sola tandem tanti fastigii potentiam obtinuisset, Nicephorum & Christophorum, Mariti fratres, interfecit; Sed tandem à Nicephoro Patritio depositа, & in Lesbum relegata est. Nicephori Filius erat Stauratius. Utriusque Effigies sequenti habentur in Numismate.

CLI.

NICEPHORUS ET STAVRATIUS.

COntra Nicephorum in Solium evectum Bardanes in Oriente Imperator proclamatus est, sed invitus; Unde &, ne civile bellum subire cogeretur, Christianoque sanguini parceret, Majestatem deposuit. Nicephorus hoc metu solutus, per Tarasium Patriarcham, Filium suum Stauratium proclamari jussit Augustum, indeque sociam cum Filio potestatem habuit. Rei fides ex præsenti Numismate roboratur. Pater Crucem, Filius globum crucigerum dextrâ, uterque Volumen sinistrâ tenet. De Volumine vide sæpè Laud. du FREHNE, *Diss.* §. 12. ubi edendorum Circensium id Symbolum quibusdam fuisse, latius asserit. Idem etiam §. 35. in Despotæ Titulo, Submissiorem quandam Filii in Patrem reverentiam agnoscit, quamquam posteà & Augusti eô fuerint usi. Quicquid sit, *Mali Corvi malum ovum.* Nicephorus avaritiâ, impietate & perfidiâ passim à Scriptoribus diffamatur. Stauratius & ingenio & moribus deformis fuit.

Nicephoro

NIcephoro à Bulgaris occiſo, Stauratioque, quòd ad res gerendas ineptus eſſet, ſubmoto, Imperator electus eſt Michaël. Hic Filium Theophylactum Imperii conſortem cùm feciſſet, urgente Fortunæ injuriâ, Leoni Armeno ceſſit. Leone per inſidias ſublato, ex carcere in Solium evectus eſt Michaël Balbus. Michaël Theophilum Auguſtum renunciavit, id quod ſequente Numiſmate adſtruitur.

CLII.

MICHAEL ET THEOPHILUS.

QUÆ ad habitum & titulos pertinent, de iis in ſuperiore dictum. Theophilus Michaëlis Filius erat ex Theclâ, primâ Ejus Uxore, quam Michaëli in ſpem Imperii collocaverat Centurio, ſub quo privatus adhuc militabat. Adeptus Imperium variis cladibus maxima ſuſtinuit damna. Cretam Saraceni occupaverunt, Siciliam Africani. Jugum excuſſit Dalmatia. Tyrannidem arripuit Thomas quidam, fugitivus ſub Irene Servus: Et, utut hunc ope Bulgarorum devicerit Michael, aliis tamen par omninò non fuit. Mortuo ſucceſſit Filius Theophilus. Is variâ ſæpè, tandem tamen adversâ cum Saracenis congreſſus eſt Fortunâ. Imperii Columnas Eum, & Succeſſores ſibi ſubſtituiſſe Filios, Michaelem & Conſtantinum, ex ſequenti Numiſmate conjicit Cl. du FRESNE.

CLIII.

THEOPHILUS MICHAEL ET CONSTANTINUS.

CONSTANTINI (Theophili ſcilicet Filii, Michaëlis Fratris) inquit prædictus Author, *nulla apud Scriptores occurrit mentio, ſed nomen deſcri-*

descriptum legitur in Nummis aureis Theophili, in cujus anticâ parte THEOPHILVS *ipse cum hisce characteribus* : ΘEOFILO BASILEO, *in posticâ verò, duo perinde Imperatores cum hâc Inscriptione:* MIXAHL & CONSTANTINVS. *Ex quo quidem Numismate licet conjectare Michaelem & Constantinum, à Parente superstite Imperatores dictos. Neque enim ad Constantinum, Michaelis Filium, is referri potest, cujus Pater adhuc puer erat Matris tutelæ subditus post Theophili excessum, post quem nuptias iniisse constat.* Hactenus Cl. du Fresne, qui rem sollicitè aggressus, non tamen solvit. Obstat Michaëlis Barbâ. *Michael*, ut ipse Du Fresne fatetur, *Post Theophili, excessum adhuc Puer erat, Matris tutelæ subditus.* Si hoc verum, verum item sit, Theophilo vivo adhuc Numisma cusum esse, planum est, Michaelem, utpote infantem, tunc barbam habere non potuisse; At hæc clarior est, quam ut de eâ dubitari possit. Fatendum igitur, aut à Theophilo Patrem Michaelem Balbum & Filium Constantinum Michaële Filio majorem, aut à Michaele Theophilum mortuum, & Constantinum Filium celebratos esse, aut denique ipsum Michaelem Patrem Theophilo moriente non infantem fuisse, sed plenâ jam pubertate virum. Eligat Lector, quod sibi sequendum judicabit.

Michael à Basilio, quem in Imperium assumptum insidiis appetebat, occisus est. Basilius, ut suæ familiæ perpetuitatem Solii assereret, Constantinum ex Maria priore Conjuge Filium Imperatorem fecit. Utrumque exhibet sequens Numisma.

CLIV.

BASILIUS ET CONSTANTINUS.

Basilius & Constantinus ejus Filius Crucem in medio extollunt, ut intelligas, præcipuam Imperatorum curam in extollendâ salutiferæ Passionis

Paſſionis gloria conſiſtere debere. Iidem & Chriſti Effigiem in aversâ expreſſerunt, dextrâ elatâ quaſi Imperatoribus benedicentem, ſiniſtrâ Librum Evangeliorum tenentem, cum Inſcriptione IHS XRS REX REGNANTIVM. Verè Rex Regnantium dicitur, cujus Regnum non terreſtre eſt, non periturum, ſed cœleſte & æternum. Nihil hîc de adorandarum Imaginum licentia, cujus controverſia horrendos in Orientali Eccleſiâ motûs dedit, cùm pro diverſis opinionibus Principum, nunc Hi, nunc Illi perſecutiones paterentur. Juſtinianus Rhinotmetus primus Effigiem Chriſti etiam in Numiſmatibus protuliſſe putatur. Juſtinianus, at quàm injuſtus?

BAſilium, cùm Conſtantinus ante Patrem obiiſſet, excenerunt Filii, Leo & Alexander. Alexander Fratri ſuperſtes Conſtantinum, Leonis Filium, & Collegam habuit & Succeſſorem. Conſtantinus Romanum Lacapenum & Chriſtophorum ejus filium ad Imperialem dignitatem protulit. En Effigies!

CLV.

ROMANUS LACAPENUS ET CHRISTOPHORUS.

NIhil in hoc Numiſmate novum, præter CHRISTI ſedentis ſimulacrum & Chriſtophori Effigiem, quam apud Cl. du FRESNE non inveneris, licet ſedulus Is deliciarum noſtrarum fuerit indagator, & plura de his & de reliquis Orientis Imperatoribus notaverit.

ROmanus Lacapenus, qui acceptâ Imperiali potentiâ Conſtantinum depreſſerat, Filiosque ſuos evexerat, juſtâ vindictâ à Filio Stephano dejectus eſt. Sed nec Huic pepercit Nemeſis: Conſtantinus cùm Lacapenum amotum cerneret, Filios ejus pari dolo ultus, vel in Monaſteria detruſit, vel relegatione punivit. Inde ſolum imperitâſſe, Authores ſtatuunt, Filium tamen Romanum, quem ad Lacapeni differentiam, Juniorem vocant, Solio illatum, ex Numiſmatibus collegeris; Unum damus.

CLVI.

CONSTANTINUS ET ROMANUS.

ROmanum hîc intelligi, Conſtantini Filium, non Lacapenum, imberbis facies evincit. Lacapenus antequam Imperator fieret Βασιλειοπάτωρ, *Pater Imperatoris* dicebatur, quod non convenit imberbi, cùm his temporibus barbam alere decorum fuerit. De Imagine Chriſti jam dictum eſt ſuprà. Imperatores, qui in aliis Crucem ſimplicem præferunt, in hoc, ut & præcedente, elevant duplicem: An ut Pietatem ſuam oſtendant, & zelum pro Chriſtiana Religione? Niſi hypocriſin involvas, non dixeris. Quod Chriſtiana in Religione ſanctius dogma, quàm veneratio Parentum? At Romanus hic Parentem veneno ſuſtulit.

MOrtuo Romano ſucceſſit Nicephorus Phocas. Nicephorum cùm occidiſſet, Imperium adeptus eſt

CLVII.

IOHANNES ZIMISCES.

ZImiſcæ hæc Numiſmata eſſe, conjicit Cl. du Fresne in *Diſſ.* §. 27. eò potiſſimùm, quòd Scylitzes de Zimiſco narrat: *Eum præcepiſſe, etiam*

etiam in Numiſmatibus, & in Obolis imaginem effingi Servatoris, cum id antea nunquam factum eſſet. Hæc poſteriora verba, quòd, ſi de imagine intelligantur, ex ſuperioribus falſa ſint, prædictus Author de priore Nummi facie intelligi debere ait, non autem de poſteriore. In poſteriore Nummi parte etiam ſuperiores Imperatores CHRISTI effigiem ſignârunt; At in priore Zimiſces. Inde probabili ratione conficitur, Numiſmata quæ priore facie CHRISTVM præferunt, quale & propoſitum, Zimiſcæ eſſe.

POſt Zimiſcem ſublatum in Imperio ſucceſſit Baſilius, Filius Romani Junioris. Baſilium excepit Frater Conſtantinus, Conſtantinum Romanus Agyrus, Romanum Michael, Michaëlem Conſtantinus Monomachus, Conſtantinum Theodora; Hanc Michael Stratioticus, & tandem

CLVIII.

ISAACIUS COMNENUS.

ISaacius non Imperatorio, ſed à capite ad pedes militari habitu armatus eſt, dextrâ Narthecem, ſiniſtrâ gladium geſtat. Armatum Cl. du Fresne obſervat ideò pingi, quòd belli peritiſſimus in Auguſtale Solium evectus, id ſuæ fortitudini acceptum tulerit. Idem & Narthecem, Labari genus, & Imperatorum geſtamen fuiſſe, latius docet *in Diſſ. §. 21.*

Iſaacius

ISaacius cum Imperio decederet, Succeſſorem fecit Conſtantinum Ducam. Conſtantinum ſecuta eſt Eudocia, Ejus Conjux, quàm ſimul cum Imperio adeptus eſt

CLIX.

ROMANUS DIOGENES.

ROmanus in hoc Numiſmate à virgine Maria coronatur. Maria Θεοτόκος dicitur, & *Mater Dei.* Θεοτόκος per literas inſcriptionis initiales ΘΚΕ. *Mater Dei* per literas M. Θ. Nec id tantùm, imò & invocatur : Βοήθει Ρωμάνῳ, *auxiliare Romano* ! En Cultum ſanctiſſimæ Virginis, quem nec appetit ipſa, nec DEVS homini ceſſit unquam ! En devios à primitivâ Eccleſiâ tramites ! *Auxiliare Romano !* An contra Turcas ? Id forſitan haud absque ratione credideris. Hi ab Heraclii temporibus ex ſervili genere, bellorum aſſiduitate eò jam creverant potentiæ, ut nulli ſe viribus inferiores putarent ; Cum Romano tamen de Pace egerunt, quam cùm non daret, proditione Andronici captus memoratur. Zonaras aſſerti Author eſt.

POſt Diogenem Michael Ducas Imperiale Solium aſcendit. Michaelem auxilio Turcarum dejecit Nicephorus, Nicephorum

CLX.

ALEXIUS COMNENUS.

ALexii res geſtas pluribus conſcripſit Anna Ejus Filia. Vir fuit bellicâ virtute clariſſimus, ob perfidiam tamen paſſim infamatus.

Variâ

Variâ fortunâ cum Roberto Normanno, Michaelem reducturo, præliatus eſt. Expeditioni, quam ad recuperandam Terram ſanctam molicbantur, & tandem ductu Gothofredi Bullionei effectui dabant Plurimi Occidentis & Principes & Populi, contrarius fuit. Et quamvis in progreſſu percuſſo fœdere ei favere videretur, ſubdolè tamen egit, & non, niſi vi ad fidem præſtandam potuit adduci. Hæc, utut ſint, CHRISTVM Ei invocatum, in Numiſmatis averſa videmus; Neque enim aliter interpretanda inſcriptio, quàm Κύριε Βοήθει, *ad Glamorem occurre*, vel *auxiliare Domine!*

ALexio ſucceſſit Filius

CLXI.

IOHANNES.

IOhannes, quem NICETAS Calo-Johannem vocat, ANTISTITI TYRIO *Vir inclytus, liberalis, pius, clemens & miſericors* audit. In Numiſmatum ejus primo & ſecundo, præter Chriſtum, ipſe Imperator à Mariâ coronatur. In Tertio Georgius, quem in Sanctorum numero recenſent, Crucem duplicatam ſimul cum Imperatore elevans, ſiniſtra gladium tenet. Ex gladio Heroëm agnoſcis, agnoſcis & ex armato pectore. Nomen Georgii ex adjectis literis colligimus. Mariam indicant adſcripta Monogrammata MP. ΘΥ. Johannem literæ initiales Iω. Et ne dubites, quis ille Johannes ſit, adjicitur δεκπότῃ & τῷ πορφυρογεννήτῳ, qui fuit ipſe, de quo hîc loquimur, Calo-Johannes.

IOhannem excepit Filiorum ultimus

CLXII.

MANUEL.

IN omnibus Numiſmatibus, quæ hactenus cum CHRISTI Effigie inſpeximus, CHRISTVS barbatus fuit; at in præſenti eſt imberbis. Adſcripta Monogrammata IC. XC. JESVM CHRISTVM denotare, cuilibet patet. Reliqua KE BO. Κύριε Βοήθει legimus. De ſignificatione jam dictum. Adverſa MANOYHΛ ΔECΠOTH ΠOPΦYPOΓENNETA habet. Ipſum Imperatorem manus ex cruce duplici, quæ globo impoſita eſt, protenſa coronat, ut intelligas Chriſtianam Imperialis animi humilitatem, qui non ſuis viribus ſupremam in Orbe poteſtatem adſcripſit, ſed Deo, cujus nutu reguntur, quæcunque in terris vel minuta ſunt, vel grandia.

MAnuelem ſecutus eſt Filius Alexius. Alexio ſublato Solium ſibi vindicavit Andronicus. De Andronico pœnas ſumſit ſucceſſor Iſacius Angelus. Iſacium Imperio exuit frater Alexius. Inde imperavit Ducas Alexius, qui *Murzufli* dicitur. Eo dejecto Balduinus ex Latinis. Balduino à Walachis capto, duo potiſſimùm rami exorti ſunt. Ex Græcis Theodorus Laſcares, David Comnenus & Emanuel, extra Conſtantinopolim ſe Imperatores Orientis ſcripſére; Latini qui Conſtantinopolim obtinebant Henricum elegére Balduini Fratrem: Henricum ſecutus eſt Petrus. Petro à Theodoro Laſcare capto, Imperium adminiſtravit Jolanta Uxor, ſucceſſit Robertus Filius. Ex alterâ parte Theodorum excepit Johannes Ducas, qui & Roberto gravis fuit. Roberto mortuo ſucceſſit Filius Balduinus; At Johanni Theodorus, Theodoro Michael Palæologus, qui Conſtantinopolin re-

lin recuperavit. Michaelem excipit Filius Andronicus. Andronicum evolvit Andronicus Nepos. Huic ſucceſſit Johannes, Johanni Andronicus, Andronico Emanuel, & huic Johannes, quem ſecutus eſt ultimus omnium Conſtantinus, ſub quo Muhamed Turcarum Imperator, captâ Conſtantinopoli, Imperatoriæ Chriſtianorum in Oriente Dominationi finem impoſuit.

ANACEPHALÆOSIS.

TAndem Romanæ Hiſtoriæ æquor emenſus ſum : Si non totum, at plurimam ejus partem : Si non totum, at continuam jucundæ navigationis ſeriem. Imperatorum Effigies dedi, ſed non omnium: Imperatorum Actiones tetigi, ſed quasdam. Noli damnare titubantem induſtriam; Etiam linea interdum Corpus adumbrat. Fatum potentiæ, potentiæ pictura eſt. Si alterutrum noveris, noveris utrumque. Fatum Romanorum erat, ex Republicâ Unius ſub Dominatū recidere; Fatum erat, bonis Principibus evehi, malis peſſundari; Fatum erat, Occidentem Gothis, Orientem Turcis ſuccumbere. Hæc ſi contemplaris, Amice Lector, contemplaberis Cauſas, quibus Aquila Triumphans Terrarum Orbem ſubjugavit, quibus fugitiva eundem amiſit. Dum cauſas contemplaris, ſimul noſces, quid Tuæ Reipublicæ utile, quid damnoſum, quid ſequendum, quid fugiendum ſit.

Aſſuetos Libertati Populos vi bellicâ poſſe ſubjugari, ſubjugatos objectâ felicitatis ſpe retineri, Cæſaris erat opinio; Sed quod violentum eſt, id diuturnum non eſſe, & oppreſſos promiſſis lactari, non autem ſatiari, id exitus docuit. Meliore conſilio affulgentem fortunam ſuſtentavit Auguſtus. Hic Populum offendit, motuum ſuorum perpetuitate, Libertatis jam pertæſum: Hunc ſubactum non vanâ ſpe lactavit, ſed gratiſſimâ Pacis dulcedine implevit, & ita ſtabile Imperium nactus eſt. Stabile id fuit, etiam ſequentibus, ſed non ubique floridum. Quod Auguſtus firmavit, id Tiberii fucus & libido, Caji rabies, Claudii ſtultitia, Neronis crudelitas, Galbæ avaritia, Othonis mollities, Vitellii voracitas, adeò concuſſerunt, ut vix in Veſpaſiano & Tito potuerit reſpirare. Vix inquam; Quod enim laudatiſſima horum exſtruxit virtus, id

tus, id deſtruxit Domitiani veſania. Diuturna tamen Huic furiarum licentia non fuit. Antiquum Imperii ſplendorem affectavit Juſtitia Nervæ, reſtituit Trajani Vigilantia, propagavit Hadriani Patientia, conſervarunt Antonini Pietas, & Prudentia Marci. Felicitatis ſuæ culmen videbatur attigiſſe Roma, cùm Philoſophus imperaret; Sed Juvenilis Commodi ardor triumphantem rurſus præcipitavit. Præcipitatæ manus porrexit, ſed incaſſum, Imprudens Pertinacis Rigor. Sic jacuit ſub temeraria Juliani ſocordia. Jacuit & ſimul in partes diffluxit, periiſſetque, niſi Martius Severi Spiritus, ſublatis Nigro & Albino languentem refocillâſſet. Poſt Severum ſub diſcordibus Antonini & Getæ Animis gemuit: Sub Macrino inter ſpem & metum hæſit: Sub Elagabalo infamiæ ſerva fuit. Catenas has cùm vix detraxiſſet prudentior Alexandri humanitas, Maximinus ſurrexit, duriſſimus tanti Imperii Vitricus. Hujus furori non lenitas Gordianorum metam poſuit, ſed poſuit fortuna Pupieni & Balbini. Sic ſub Gordiano pio refloruit Auguſta Majeſtas, ſub Philippis, Deciis, ſequentibusque, diverſis rurſus jactata fluctibus trepidavit, donec ſub Gallieno undique diſſolveretur. Tabulas ex naufragio collegerunt Claudius & Aurelianus. Tacitus eas fovit: Sub Floriano fatiſcentes firmarunt Probus & Carus. In Carino vitia, in Numeriano Virtutes Majeſtatis emicuére. Diocletianus Maximiani & Conſtantius futuræ diviſioni præluſerunt. Diviſionem firmavit Conſtantinus. Hic *Maximus* ob res geſtas vocatur, ſed maximum etiam, ſi verum fatearis, Reipublicæ damnum dedit. Translata ſedes Orientem ab Occidente divulſit. Imperium, quod junctis hactenus viribus tempeſtates diſſipabat, id diviſis, plerunque etiam contrariis, utrinque ſe attrivit, tandemque emarcuit.

En lachrymabilem Maximi terrarum Imperii caſum! Lachrymabilem ſanè, ferendum tamen, niſi & Artium ſplendor interitum ſenſiſſet. A Cæſare ad Commodum usq; venuſtas Numiſmatum ſumma eſt. Inde paulatim deficit, tandemque cum Imperio eam degenerat in deformitatem, ut ſub hominum figuris vix homines agnoſcas. Siccis Oculis tantam barbariem non aſpicerem, niſi Germanis potiſſimùm res acta fuiſſet. Carolus M. Generoſus ille Teutonici ſanguinis Heros ex cineribus conflagrati Occidentis, tamquam alter Phœnix, ſurrexit, primaque rurſus & Artium & felicioris Imperii fundamenta jecit. Cæſareus Vigor eam excrevit in Gloriam, ut adhuc duret & Majeſtas Aquilæ, & Palladis Ingenium, & Auguſtæ ſtirpis veneranda Propago.

Fatales

Fatales eſſe rerum terreſtrium Periodos, ex ſuperioribus patet ; At fata piis precibus flecti, Chriſtiana ratio fatetur. Ego nec luctibus, nec laudibus diutius inhærebo. Vota concipere ſinceræ pietatis eſt. Supremus rerum humanarum arbiter Auguſtam Majeſtatem in terris foveat ! Mirandam Artium venuſtatem tueatur ! Propaginem Caroli frondibus beet ! Sic noſtra vigebit Salus : Sic Teutonicæ Gentis durabit felicitas : Sic æterna erit, quam Ille intendit

RESTITUTÆ REIPUBLICÆ GLORIA.

Errata.

In præfat. pro Caluminatorum *lege* Calumniatorum, *p.5. l.5.* ipſo *lege* ipſe. *p.15. l.15.* cum baſi *lege* absque baſi. *p.22. l.16.* potentiâ *lege* potentiæ. *Ead.p. l.22.* ſecundam *lege* primam. *p.23. l.10.* Deum *lege* Deam. *p.27. l.22.* hos *lege* has. *p.50. l.26.* ſi immenſum *lege* ſi ad immenſum. *p.54. l.15.* Laudandasque *lege* Laudandosque. *p.82.l.22.*quondam *lege* quendam. *p.83.l.12.* propinas *lege* popinas. *p.85.l.16.* Miſeria *lege* Miſerias. *p.88.l.20.* quos *lege* quot. *p.94. l.19.* nen *lege* neu. *p.97.l.4.* procinxit *lege* præcinxit. *p.116.l.3.* Gryp i odem *lege* Grypi eodem. *l.15.* in Doctis *lege* à Doctis. *p.122.l.19.* Monogrammata indicat,& Laurea *lege* Monogrammata propoſiti & Laurea, ſmyrnæos indicant. *p.132. l.5.* ſuas *lege* quas. *p.137. l.22.* quo *lege* ubi. *p.193. l.22.* in nummo quarto *lege* in nummo primo & quarto. *p.198. l.14.* verticis *lege* Saxoſi verticis. *p.199.l.9.* palmam *lege* Victoria palmam. *p.203.l.14.* Tripodem *lege* Citharam. *p.208. l.2.* cùm obſiderent *lege* cùm Agrigentini obſiderent. *p.217. l.24.* Magna *lege* magnam. *p.230. l.15.* Dei hujus *lege* Mercurii. *p.233. l.28.* totam fabulam *lege* tota fabula. *p.243.l.11.* Gyaros *lege* Gyaron. *p.246. l.21.* Hîc *lege* Hic. *p.266.l.6.* primus *lege* Secundus. *p.267. l.12.* ſari *lege* excuſari. *p.280. l.ult.* ſecundi *lege* hujus. *p.292. l.16.* Auguſtum *lege* Auguſtus. *p.296.l.9.* Martis *lege* Marſis. *p.305. l.14.* qui *lege* quod. *p.335. l.16.* Myſiam *lege* Mœſiam. *p.360. l.20.* pro 78. *lege* 708. *p.374. l.12.* Conſtantius *lege* Conſtantinus.

Hæc obiter relegenti obſervata ſunt; Reliqua, ſi quæ occurrant, benevolæ Lectoris humanitati permittuntur.

SPECIAL 55-B
FOLIO 25265